27.9.79

S.1301.A

S.1301.A.19

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

ACTA
PHYSICO-MEDICA
ACADEMIAE CAESAREAE
NATVRAE CVRIOSORVM
J. C. Pintz. fc.

ACTA
PHYSICO-MEDICA
ACADEMIÆ CÆSAREÆ
LEOPOLDINO-CAROLINÆ
NATURÆ CURIOSORUM
exhibentia

EPHEMERIDES
sive
OBSERVATIONES HISTORIAS ET EXPERIMENTA
a
CELEBERRIMIS GERMANIÆ ET EXTERARUM REGIONUM VIRIS
habita & communicata,
singulari ſtudio
collecta.

VOLUMEN TERTIUM
cum APPENDICE
ET PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS.

NORIMBERGÆ,
Apud HÆREDES W.M. ENDTERI ET J. A. ENGELBRECHTI VIDUAM. 1733.

ACTA

PHYSICO-MEDICA

ACADEMIÆ CÆSAREÆ

LEOPOLDINO-CAROLINÆ

NATURÆ CURIOSORUM

BR. MUS. NAT. HIST.

EPHEMERIDES

OBSERVATIONES HISTORIAS

ET EXPERIMENTA

CELEBERRIMIS GERMANIÆ

ET EXTERARUM REGIONUM

VIRIS

Lectis & communicata.

VOLUMEN TERTIUM

CUM APPENDICE

INVICTISSIMO CAESARI CAROLO VI. ROMANORVM IMPERATORI SEMPER AVGVSTO GERMANIAE, HISPANIAE, INDIARVM, HVNGARIAE, BOHEMIAE, CASTILIAE, LEGIONIS, ARAGONIAE, SICILIAE VTRIVSQVE, HIEROSOLYMORVM, NAVARRAE, DALMATIAE, CROATIAE, SCLAVONIAE, BVLGARIAE, BOSNIAE, SERVIAE ET RASCIAE REGI

ARCHIDVCI AVSTRIAE.
DVCI
BVRGVNDIAE, BRABANTIAE,
MEDIOLANI, STYRIAE, CARINTHIAE,
CARNIOLAE ET LVXEMBVRGI
VVIRTEMBERGAE ET VTRIVSQ. SILESIAE,
PRINCIPI SVEVIAE,
MARCHIONI BVRGOVIAE,
MORAVIAE ET LVSATIAE,
COMITI PRINCIPALI
HABSPVRGI, TYROLIS, PFIRETARVM,
KYBVRGI ET GORITIAE,
PROVINCIALI ALSATIAE,
COMITI FLANDRIAE,
DOMINO MARCHIAE VENEDICAE,
PORTENAVIAE ET SALINARVM,
ET QVAE SVNT RELIQVA.

DOMINO
ET
ASSERTORI NOSTRO
OMNIVM CLEMENTISSMO
S.

IMPERATOR CAESAR AVGVSTISSIME.

SI ullo unquam tempore ad Tuam, CAESAR INVICTISSIME, celebratam per orbem terrarum CONSTANTIAM ac FORTITVDINEM confugere nobis necesse fuit, nunc sane apparens conturbatio tranquillitatis publicæ nos eò impellit. Dum etenim Bellona, facibus accensis, adversa quælibet minatur, dum sævæ tempestates terra marique passim cooriuntur, *Argo* nostra, veloces procellas & feroces axenos reformidans, placidissimum in *Portum Austriacum* se recipere hoc magis admittitur, quo diligentius ipsa recordatur,

tur, magno illius beneficio se non solum ædificatam pridem, sed & multos inter variosque fluctus ab eversione & naufragio sæpius defensam atque conservatam esse. Suscipe igitur eandem nunc etiam, DOMINE OMNIVM CLEMENTISSIME, ac *benigno Numine Tuo*, contra quaslibet iniurias & insultationes potenter protege. Ipsa vero jam secura de portorio, quod tanto quidem CONSERVATORE dignum solvere nunquam valebit, ad Pedes SACRATISSIMAE MAIESTATIS TVAE omnes iterum suas, excursibus nuperis conquisitas, supplex deponit merces, sine dubio acceptas ubique futuras, si à CAESARE SAPIENTISSIMO non

plane

plane improbabuntur. Cæterum nos in hac beata ſtatione tantisper commorabimur, dum Tibi, POTENTISSIME IMPERATOR, opportunum viſum fuerit, motos componere fluctus, & liberam nobis auſpicatamque navigationem reddere. Tunc vero alacriori cum celeuſmate, panſis denuo velis, ſub *Aquilæ Imperialis aplu-ſtri*, ſecundiſſimo vento, *nunquam otioſi* curſum tenebimus; interea pro incolumitate CAESARIS OPTIMI & AVGVSTAE DOMVS aſſidua vota nuncupantes

SACRATISSIMAE MAIESTATI TVAE

DEVOTISSIMI
ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM
PRAESES, DIRECTOR, ADIVNCTI
ET COLLEGAE.

L. S. B.

PAulo quidem tardius, quam promissum a nobis fuit, *tertium Volumen Actorum nostrorum* in lucem nunc editur. Ad cujus moræ purgationem nihil afferre jam lubet, præterquam nobile istud CATONIS dictum: *Sat cito, si sat bene!* Nimirum tametsi non ignoremus, à quibusdam rerum Physico-Medicarum amatoribus desideratum illud esse diu, maluimus tamen aliorum etiam appetitui languidiori satisfacere, quibus grave & fastidiosum fore cognovimus, in tanta librorum consimilis argumenti copia, nostrarum *Ephemeridum* Volumen novum quotannis, aut altero certe quovis anno coëmere sibi, ac perlegere. Ergo, dices, *Ephemerides* appellandae porro non sunt? Nos autem hoc, quicquid est vocabuli dudum recepti, facile tuebimur, si dubitantes advertere jubeamus, num, rigida quantumvis computatione instituta, effluxerit nobis *vel unica dies sine linea?* quamquam neque annuis, neque menstruis, neque demum hebdomadariis editionibus astringi velimus labores nostros, neque Volumi-

num

num amplitudine metiri. Quare nec opus est, ut *Observationum minorem* in præsenti *numerum* solicite excusemus. Non semel inaudivisse nos recordamur, vituperatam à nonnullis *nimiam Observationum brevitatem*: Iis igitur *prolixiores* non paucas nunc impertimur; quemadmodum secus sentientes invenient, quod *brevitate*, omnes forsitan quod *varietate* oblectari queat. Quodsi autem ne sic quidem plenam mereri potuerimus approbationem, communi scribentium sorte contenti erimus, quando *nec Jupiter placet omnibus*. Vnum succurrit adhuc objectationis momentum, quod nempe ista cunctatione, & longius dilata Observationum nostrarum editione, pereat *novitatis gratia*; uti sane hoc inprimis seculo sunt multi, quibus non nisi recentissime inventa quælibet statim vulgata arrident. Verum enim vero cum nos non tantum novis semper indagandis veritatibus inhiemus, sed perinde jam detectis amplius confirmandis invigilemus, parum nostra aut L. B. interesse putamus, utrum paulo serius, an ocyus earum fiat explicatio. Quapropter non admodum curamus, qualem alii, mero *novitatum Physico-technico-Medicarum*, quam ocyssime proponendarum præjudi-

cio,

cio, beneuolentiam ac laudem aucupentur. Sineremus omnino eos abundare ſuo genio ac ſenſu, dummodo abeſſet à conatu evidens κακοζηλία. Quid etenim aliud indicat illa nimis officioſa invitatio ad *novum*, præter omnem neceſſitatem in Germania inſtitutum *commercium literarium?* quid illa nimium liberalis *collectio ſingularium Obſervationum*, partim à Collegis quibusdam noſtris, male forſitan perſuaſis, impetratarum? Quod ſi talia peregrini quidam molirentur, faciliorem haberet locum excuſatio. Jam vero Autores illius commercii, antehac ad deſiderium ſuum Ordini noſtro benevole adſcriptos, nec ulla (quod ſciamus) iniuria a nobis affectos, decebat utique melius ea penſitare, quæ inter Leges noſtras (quibus & ipſi tenentur) penultima ſeorſim requirit ac præcipit. Adhæc vix intelligimus, quid ſibi velit iſta *commercii literarii novi*, ſub *naviculæ* ſchemate iterata repræſentatio? niſi forte ſociam, aut vicariam, aut ſuccedaneam ARGOS *noſtræ* denotat; quæ tamen nulla ejusmodi *navicula* indiget, uti nec vetus illa, quam olim *Anteceſſores noſtri*, non ſine autoritate in *ſymbolum* ſibi elegerunt, comitem aut ſubſidiariam habuiſſe legitur *naviculam*. Iſti quidem noviter inſtructæ, ad exquiſitum

ſplen-

splendorem & omnimodam libertatem parata jam feruntur *ipsa* CAESAREAE MAIESTATIS *insignia.* Nos autem, qui ab *Academiæ Naturæ Curiosorum* bona causa stare debemus, & nomine ipsius hæc cordate scribimus, quemadmodum CAESAREAE *Clementiæ* usuramnemini merenti, ac bonis artibus impetranti invidemus, ita timere non possumus eventurum unquam, ut IMPERATOR IVSTISSIMVS, in detrimentum suæ fidelis & innocentis *Academiæ*, quam suo etiam, juxta cum DIVI LEOPOLDI NOMINE AVGVSTISSIMO appellandam clementissime voluit, quicquam adversi concessurus sit. Interea mercibus nostris liberaliter depositis, proram obtorquemus dextras in undas, & antiquum, clementi sub sidere cursum tenemus, bona spe freti fore, ut novo elegantium & utilium Observationum apparatu locupletati, expectatione forsan citius reuertamur. Neque enim illarum, quas labente hoc anno adepti sumus, quicquam in præsenti expedire licuit, aut libuit, quæ tamen diligenter asservatæ certo comparebunt in *proximo Actorum Volumine*; ad quod mature conficiendum meliorem partem Dnn. *Col*legarum nostrorum laudabili sua industria porro non defuturam confidimus, plane persuasi, *mal-*

le plures colligere nobiſcum, quam diſpergere. Quorundam equidem *Illuſtrium noſtri Ordinis Virorum*, ac de rebus noſtris inſigniter meritorum *jactura*m, uno alteroque abhinc anno factam, juſtis proſequimur lachrymis, haud facile inhibendis, niſi *ſuperſtitum*, etiam ex *Veteranis*, complurium perſpecta virtus ac benevolentia, & *noviter accedentium ſubinde Sociorum* promiſſa humaniter aſſiduitas, illum animi dolorem ac deſiderium noſtrum mitigarent. Dum hæc ita ſincere pronuntiavimus, opportune nunc ſubjiceremus *enumerationem Collegarum amiciſſimorum*, quos ab editione primi Actorum noſtrorum Voluminis, ad hoc usque tempus, partim eripuit nobis adverſum fatum, partim ſecunda fortuna eorum in locum auſpicato reſtituit. Sed enim vero, cum ſit futura longior hæc commemoratio, quam ut reſiduæ modo caperent pagellæ, reſervatam volumus *Hiſtoriæ pleniori*, quam D. *Præſes* elucubrandam ſuſcepit, ac divina gratia opitulante, intra unius anni ſpatium abſolvere ſe poſſe ſperat. Hoc opuſculum, *quidquid ad notitiam univerſæ Societatis noſtræ pertinet*, ordinate, luculenter ac bona fide recenſebit, habita etiam *cognominum* ratione, quibus *Collegæ* ſinguli propemodum, inde a primordiis Academiæ, dici conſueverunt,

verunt, cujusmodi expoſitionem accuratam a multis deſideratam eſſe novimus; quare in ſequenti Catalogo eorum, qui ſuas obſervationes ad præſens Volumen benevole contulerunt, ſpecimen aliquod ἐπαινυμίας illius dare voluimus. Quod attinet ad noſtratium ſcripta, ſeparatim vulgata (horum quippe non pauca quotannis prodeunt) dolemus ſane, recenſionem illorum immerito neglectam, & aliorum arbitrio aut affectui relictam eſſe hactenus, ut æquum omnino videatur, eorundem curam in nosmetipſos recipere; quemadmodum pridem B. D. DN. VALENTINI plerorumque *ad Normam Academiæ noſtræ à Collegis editorum tractatuum ſynopſin*, per *Appendices Ephemeridum* exhibuit. Neque omittemus porro, quod antea ſæpiuscule fecimus, publico plauſu orbis eruditi, *elegantiora quædam opuſcula integra inſerere noſtris Appendicibus*; ſicuti eo conſilio recudendam in præſenti Volumine curavimus eruditiſſimam *Diſſertationem Breynianam*, tanto faciliore, ceu ſperamus, cum venia celeberrimi D. Autoris, quanto minus eſt dubium, quin ducenta illa opuſculi exemplaria, quæ ipſe primitus in publicum exire voluit, jam jam diſtracta ſint. Adjunximus vero conſimilis prope argumenti quorundam Exterorum commentationes, è Gal-

lico & Italico in Latinum conversas, ut uno quasi obtutu omnem fere *Cocci tinctorii* diversæ indolis, tum & affinium usu materiarum apparatum pernoscere liceat. Plura nunc de rebus nostris commemorare supersedemus, præter hoc unicum, quod nempe nuper, singulari Programmate declaratum, per D. *Præsidem* laudabile *institutum, Bibliothecam & Museum commune ad usus Academiæ nostræ adornandi*, non sine successu optato ac prospero hucusque fuerit; variis jam libris utilibus, raris ac pretiosis partim, prædicanda DNN. Collegarum liberalitate, tum et alio honesto modo collectis. Quid, quod B. DN. D. *Jo. Maur.* HOFFMANNI *supellectilem librariam* in promptu habemus, pleraque nobis maxime desiderata complectentem, modico redimendam pretio, cui propediem exolvendo nos subleuaturam confidimus amicorum ac fautorum nostrorum munificentiam: Hanc vero minime profusam postulamus; siquidem multorum voluntaria contributio totum facile complebit pretium. Erit autem quod unusquisque sibi perpetuum suæ liberalitatis monimentum hinc polliceri queat, tunc etiam publice compariturum, quando primum indicem nostri apparatus edituri sumus. Quod superest L. B. valere, nostrisque conatibus favere jubemus!

NOMI-

NOMINA

DNN. COLLEGARVM, aliorumque Illustr. celeberrimorumque VIRORVM, *ex quorum Observationibus & Commentariis concinnatum est hoc Volumen.*

ANONYMI quidam eruditi in Italia viri, quorum observationes nobiscum communicavit DN. D. VALLISNERIVS. pag. 2. ad 36

DN. D. Jo. Sebast. ALBRECHT, Medicus Coburgensis, A. N. C. *Panthemus.* 181. 288

DN. M. Sigismund. Jacobus APINVS, Gymnasii Aegid. Brunsvic. Rector, A. N. C. *Solinus* II. 329

DN. D. Jo. Jacobus BAIERVS, Archiater & Comes Palat. Cæsar. S. R. I. Nobilis, Acad. Nat. Cur. PRAESES, d. *Eugenianus* I. Vniversit. Altorf. Senior & Prof. Medic. Prim. 379

DN. D. Ferdinandus Jacobus BAIERVS, Physicus Norimbergensis A. N. C. *Eugenianus* II. 411

DN. D. Jo. Frider. BAVERVS, Medicus Lipsiensis, A. N. C. *Chrysermus.* 208

DN. D. Jacobus Bartholom. BECCARIVS, Medicus Bononiensis. 142

DN. D Gottlieb Ephraim BERNERVS, Med. Profess. Duisburg. A. N. C. *Mnaseus.* 84

DN. D. Jo. Fridericus BOELI, Medicus Brunsvicensis, A. N. C. *Cineas.* pag. 383

DN. D. Jo. Georg. BREBISIVS, Physicus Rotenburg.

burg. Senior. A. N. C. *Evelpides* pag. 152. 312.

Dn. D. Jo. Philippus BREYNIVS, Medicus Gedanensis, A. N. C. *Callimachus*. Societ. Reg. Londin. Socius. Append. p. 1. sequ.

Dn. D. Jo. Thomas BRINIVS, Medicus Venetus, A. N. C. *Philagrius* II. 360

Dn. Jo. Godofr. BüCHNERVS, Comit. Ruthen. Consiliarius, A. N. C. *Columella*. 232

Dn. D. Alexander CAMERARIVS, Medic. Prof. Tubing. A. N. C. *Hector* IV. 371

Dn. D. Jo. Hartmannus DEGNERVS, Medicus Neomagensis, A. N. C. *Argonauta* IV. 94

Dn. D. Christian. Henr. ERNDTELIVS, Archiater Reg. Pol. A. N. C. Adivnctvs, d. *Aruntius*. App. 121

Dn. D. Michael Ernestus ETTMVLLERVS, Archiater & Comes Palat. Cæsar. S. R. I. Nobilis, A. N. C. EPHEMERIDVM DIRECTOR, d. *Alexias*, Vniversit. Lipsiens. Decemvir, & Facult. Medicæ ibidem Senior.

Dn. D. GARIDELLVS, Medicus in Provinc. Gall. Append. p. 57.

Dn. D. Jo. Georg. GMELINVS, Academ. Scient. Imper. Petropol. Socius. 274

Dn. D. GEOFFROY, Junior, Reg. Scient. Paris. & Londin. Socius. Append. p. 60

Dn. D. Jo. Adamus GOERITZIVS, Medicus Ratisponensis, A. N. C. Adivnctvs, d. *Isidorus*. 56. 80. 176. 292.

Dn.

Dn. D. Jo. Daniel GOHLIVS, Medicus Reg. Pruſſ. Wrizenæ ad Viadrum, A. N. C. *Æſchryon.* 45
Dn. D. Benedictus GVLLMANNVS, Phyſicus Auguſtanus Sen. A. N. C. Adivnctvs, d. *Alcinous.* 62
Dn. D. Georg. Frider. GVTERMANNVS, Phyſicus Kaufbyrenſis, A. N. C. *Agapetus.* 237. 331
Dn. D. Georg. Erhardus HAMBERGERVS, Phil. & Med. Prof. Ord. Jenenſis, A. N. C. *Cteſibius.* 285.
Dn. D. Jo. Georg. HASENNESTIVS, Marchion. Brandenburg. Culmbac. Conſiliarius, Aulæque Medicus, & Phyſicus Neoſtad. ad Aiſcham, A. N. C. *Aſclapo.* 280
Dn. D. Jo. Frider. HENCKELIVS, Conſil. Elect. Sax. & Phyſicus Freiberg. A. N. C. *Archagatus.* 343
Dn. D. Jo. Georg. HOYERVS, Phyſicus Molhuſinus Primarius, A. N. C. *Apollodorus.* 70
Dn. D. Jo. Hieron. KNIPHOFIVS, Medicus Erfurtenſis, A. N. C. *Soſagoras.* 228.
dn. D. Jo. Chriſtian. KVNDMANNVS, Medicus Vratislav. A. N. C. *Epimenides.* 317
Dn. D. Jo. Adamus LIMPRECHTVS, Duc. Wurtemberg. in Sileſia olim Conſiliarius, Medicus Berolin. A. N. C. Adivnctvs, d. *Fabius.* 40. 193
Dn. D. Carolus Frider. LOEW, Nobilis Hungar. Duc. Saxon. & Würtemberg. Conſiliarius & Archiater, A. N. C. Adivnctvs, d. *Pittalus.* Append. p. 77
Dn. D. Frider. Ignatius LOSPICHLERVS, Medicus Provinc. & milit. Salisburgenſis, A. N. C. *Polyarchus* II. 305
Illuſtriſſimus Dominus Aloyſius Ferdinandus COMES MARSIGLI. Append. p. 335

Dn.-

Dn. Jo Theophilus MICHAELIS, Technophylacio Elector. Saxon. Dresdenſ. Præfect. Adjunctus, A. N. C. *Archimedes* II. 387
Dn. D. Petrus Anton. MICHELOTTVS, Medicus Venetus, A. N. C. *Athenæus* II. itemque Societatum Imper. Petropolit. nec non Regg. Londin. & Berolin. Socius. 194
Dn. D. Jo. Jac. NEVHOLDVS, Comit. Comarom. & Strigon. in Hungaria Phyſicus Provincialis, A. N. C. *Apollophanes.* Append. 145
Dn. D. NISSOLIVS, Medicus & Botan. Reg. Monſpel. Append. 49
Dn. D. Jo. Adamus REIMANNVS, Medicus Eperieſſ. Hungar. A. N. C. *Ariſtophanes.* 389
Dn. Georg. Frider. RICHTERVS, Mathemat. Profeſſor Lipſienſ. A. N C. *Nicetas.* 66
Dn. D. Jo. Jacobus SCHEVCHZERVS, Archiater & Medic. Profeſſor Tigurinus, A. N C. Adivnctvs d. *Acarnan*, Societat. Regg. Londin. & Berolin. Socius. 102
Dn. D. Wolfg. Henr. SCHREY, Phyſicus Deliz. in Saxon. A. N. C. *Timon.* 294
Dn. D. Erneſt. Gotthold STRVVIVS, Phyſicus Primislavienſis, A. N. C. *Hipparchus.* 68
Dn. D. Chriſtoph. Jacobus TREW, Phyſicus Norimbergenſis, A. N. C. *Heraclianus.* 393
Dn. D. Jo. Petrus WAHRENDORFIVS, Medicus Lignicenſis, A. N. C. *Polyidas.* 414
Dn. D. Philipp. Jacobus WEIGANTVS, Medicus Viennenſis, A. N. C. *Evenor.* 38
Dn. D. Jo Nicol. WEISSIVS, t. t. Medicus Curiæ Variſc. nunc Prof. Medic. Altorf. A. N C. *Agathinus* II. 219. 356
Dn. D Jo. Frider. WEISSMANNVS, Conſiliar. Aul. & Archiater Marchion Brandenb. A. N. C. *Phoſphorus* III. 301
Dn. D. Jo. Philippus WOLFFIVS, Medicus Suinfurtenſis, A. N. C. *Cleon.* 270

ACTO-

ACTORVM PHYSICO-MEDICORVM ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM VOLVMEN TERTIVM.

* *
*

Um haud ita pridem ἀρχεῖον noſtrum paulo curioſius perquireremus, in *Obſervationes* nonnullas incidimus Italico idiomate conſignatas. Debentur ipſæ humanitati Illuſtris quondam Equitis & Profeſſoris celeberrimi DN. D. VALLISNERI, ad quem à variis in Italia medicis eruditis olim perſcriptæ, nobiſcum vero deinceps ab eodem communicatæ fuerunt. Has utique par erat *priori Actorum noſtrorum Volumini* inſerere, ſed defuit forte tunc idoneus, qui in Latinum converteret, interpres. Talem nuper nacti non dubitavimus reliquo hujus Voluminis

apparatui istas præmittere, tametsi nomina Autorum, utpote omissa aut obscurius notata, pro more alias nostro commemorare nequeamus. Quando autem, citra ullius injuriam laudisve imminutionem, hæc industriæ specimina sic publice proponimus, æquam gratiam ignoto etiam cuivis tribuentes, non ingratam rem B. L. ac diis manibus Vallisnerianis nos facere confidimus. Esto igitur

OBSERVATIO I.

De pisce prægrandi Mular.

IN litore *S. Hospitii*, prope portum *Villa franca Nizzæ*, d. 10. Novemb. A. 1726. mortuus repertus est piscis, vulgo dictus MULAR, cujus effigiem minutam heic (Tab. I, Fig. I.) offero. Præbuit ipse trecentas, nostri ponderis, libras pinguedinis eliquatæ. Mihi videtur esse piscis eiusdem speciei cum eo, quem *Joh. Eusеb. Nierembergius*, Lib. II. hist. Natur. cap, 62. descripsit; quamvis noster sit multo minor, & quatuordecim in utroque latere inferioris maxillæ *dentes* habeat, cum ille viginti utrinque dentibus instructus sit. Ceterum hoc singulare apparet in nostro, quod *pinnam in dorso* habeat, qualis de altero non commemoratur.

SCHOLION.

SÆpe mirari subit, quod, cum pleraque, etiam minimorum animalium genera, à curiosis rerum naturæ scrutatoribus diligenter perveſtigata luculenterque descripta sint, maximorum piscium historia naturalis adeo multum adhuc habeat obscuritatis, ut ne species quidem omnes, secundum formam externam, nedum internam corporum conformationem declaratæ satis appareant. Causa sine dubio præcipua hæc est, quod vix unquam alii homines ad ista loca

Fig. 2. pag. 3.

Fig 1.



Orgyiæ.

1 2 3 4 5



ca maritima proficiſcantur, quam nautæ rudes & indocti mercatorum operarii, quorum unica eſt cura, ut capiant ac trucident immanes belluas, ipſarumque pinguedinem paucasque partes alias prædentur, reliquis ad lucrum non facientibus, omnino neglectis, aut non niſi admodum oſcitanter conſideratis. Eſſet igitur operæ pretium, vel regiis ſumptibus inſtructos mittere viros, in re phyſica & anatomica verſatos, qui maximorum inter viventia corporum illorum naturam atque fabricam curatius ſcrutarentur, expectando hinc etiam emolumento haud exiguo *comparatæ* (quam dicimus) *anatomiæ*. Cum enim quadrupedum animantium, & ipſius hominis in modum, pulmonibus reſpirent, coeant, vivosque fœtus edant, & mammis nutriant, credibile eſt à partium hiſce functionibus inſervientium tam vaſtæ magnitudinis obſervatione, multum lucis accipere poſſe diſciplinam anatomico-phyſiologicam. Verum hæc fortaſſe optanda magis quam ſperanda ſunt. Nos interim ad propoſitum revertentes, diſpiciemus aliquantulum piſcem MULAR. Ipſum quidem hoc vocabulum nusquam hactenus invenire licuit, præterquam apud citatum *Nierembergium*, qui à veretri amplitudine ſic appellatam pronunciat belluam aliquando captam in Hiſpaniæ maritimis oris, prope Valentiam. Etſi vero neutiquam in omnibus ſatisfaciat illius deſcriptio, in aliquibus tamen momentis aperte congruit cum pictura, quam nos hic repræſentamus. Magis adhuc convenit *Car. Cluſii* Exotic. Lib. II. cap. 6. narratio de duobus ejusmodi cetis, ad Hollandiæ litora diverſo tempore projectis. Uterque multo longior noſtro fuit, & unus quidem altero tanto major, LX. nempe pedum.

„Superior roſtri pars ab extimo ad oculos usque quin„decim pedum reperta eſt: ipſum in ea parte palatum, „quadraginta duobus foraminibus ſive alveolis præditum „erat, hoc eſt, in utroque latere viginti & uno, ad excipien-

„dos totidem *dentes inferiori mandibulæ inhærentes*, qui ma„gnitudinem pollicis alicujus viri prægrandis & robusti ha„bebant: *In capite versus dorsum* erat etiam *foramen* circiter „tres pedes amplum, *per quod aquam in altum ejiciebat:* in„ferior mandibula, in qua illi dentium bini ordines, septem „pedum longitudinem non excedebat: linguæ extima pars „tam magna & crassa erat, ac dolium cerevisiarium: oculo„rum magnitudo pro tam vasto corpore non erat major, „quam spatium, quod pollex & index digiti extensi com„prehendere poterant: distabant oculi quatuor pedibus a „pinnis: pinnæ vero quatuor pedes & totidem pollices „erant longæ, ac pedem fere densæ: umbilicus a mandibu„lis sexdecim pedum spatio distabat: ab umbilico ad penem „interstitium erat trium pedum: *penis* vero jam mortuæ *sex* „*pedum* longitudinem habebat: à pene autem ad podicem „trium pedum cum semisse: ipsa vero cauda valde crassa, tre„decim pedes alta sive lata erat. In belluæ capite mercato„resreperisse dicebanturplus quam quartam partem dolii in „quo asservantur saliti haleces, plenam ejus liquoris quem „vulgo *Spermaceti* appellant &c.

Quodsi nunc recensionem hanc cum exhibita a nobis figura conferamus, facile apparet, ipsam non una in parte notabiliter aberrare, imprimis *oculi* amplitudine, *lateralis* autem *pinnæ* incredibili parvitate, sicut etiam *linguæ*, prorsus contraria descriptione. Neque ad naturalem formam plane depicta videtur *eminens in dorso pinna*, cujus quidem nihil omnino de suis piscibus meminit *Clusius*. Ad *dentes* quod attinet, ipsorum magnitudinem ex icone nostratis ceti vix possumus æstimare, miramur vero illorum a *Clusio* notatam exilitatem. Is ex adverso non injuste vituperat *Ludovici Granatensis* de consimili ceteroquin pisce asseverationem, *quod grandiores ejus dentes fuerint octo cubitorum*, cujusmodi nec ullius elephantis, etiam maximi cornua unquam conspe-

cta

cta ſint. Verumenim vero tranſcriptoris fortaſſe culpa factum eſt, ut pedum menſura & numerus pro unciis poneretur. Qua correctione ſic admiſſa, ὁμόψηφον *Lud. Granatenſis* habebit *Ambroſ. Pareum* Oper. Chirurg. Med. Lib. XXIII. cap. 21. Ubi illapſam aliquando in Scaldim fluvium balænam (cum Cluſianis plurimum convenientem) deſcribit, cujus maxilla inferior ſenum in ſingulis lateribus pedum erat, *viginti quinque dentibus* armata, qui totidem foraminibus in in ſuperiore, dentibus omnino carente, excavatis, recondi poterant: *tot dentium longiſſimus ſex pollices non excedebat.* Ceterum figuram iſtorum dentium declarat quodammodo Cluſiana comparatio cum pollice humano, ut propterea neceſſe ſit obtuſum aut convexum habeant apicem. Hujusmodi *dentem* in muſeo meo aſſervatum, ad formam & magnitudinem naturalem exprimendum curavi (*Tab. I. Fig. 2.*) circumſcripta etiam punctis internæ cavitatis amplitudine; *pondus habet undecim unciarum*, nec dubium eſt, quin ejusdem ſit moduli cum iſtis hactenus examinatis. Mole minores & numero pauciores dentes (ſicut in noſtro) nondum ſatis adultum animal indicant. Ut tandem definiamus productum in ſcenam piſcem, nomine MULAR, eundem omnino eſſe arbitramur quem *Jo. Rajus in ſynopſi method. piſcium p. 14.* ex *Roberti Sibbaldi phalænologia nova* hunc in modum breviter deſcripſit: *Balæna macrocephala, tripinnis, quæ in mandibula inferiore dentes habet minus inflexos, & in planum deſinentes: fiſtulam in fronte gerit, & in dorſo medio erectam pinnam, malum navis, Anglis the Mizzen-maſt dictum, amulantem.* Quæ omnia cum in noſtrum *Mular* rectiſſime quadrent, eum ſimul ſpecie diverſum reddunt à *Cete* ſupra memorato *Cluſii*, quem ipſe Batavis *Pot-Walviſch* appellari teſtatur. Hunc eodem pariterque *Cachelot* nomine ſignavit noviſſimus Grœnlandicæ piſcaturæ ſcriptor *C. G. Zorgdrager*, p. m. 391. addita etiam qualicunque imagine, quæ pi-

ſcem naribus reſpirare & pinna in dorſo carere oſtendit: appicti vero ſeorſim forma minuta *dentes* cum iſto à nobis exhibito plane conveniunt, ſicut etiam commemorata linguæ gracilitas, & acutus apex, cui quidem penitus contrarium in balæna ſua *Cluſius* aſſeruit. Quod autem *Zorgdragerus* ex capite illius, quem deſcribit ceti tantum materiæ in ſperma ceti cogendæ extractum fuiſſe perhibet, ut XXIV. doliis replendis ſufficerit, id omnem fidem eo magis excedit, quo minus credibilis eſt proportio pinguedinis ex reliquo corpore toto collectæ, videlicet XXV. doliorum. Quare ſuſpicamur, priori in loco *pro doliis* totidem legendas eſſe *libras*, aut certe *vaſa* intelligenda *multo minora*; Quandoquidem Cluſianus ille cetus *quartam tantum unius dolii partem* ejusdem materiæ præbuit. Cum igitur tam craſſa caligine adhuc tegatur, falſisque narrationibus plena ſit maximorum iſtorum inter animantia corporum hiſtoria naturalis, emendationem ipſius atque perfectionem optimis quibusque in naturam curioſis Viris magnopere iterumque commendamus; hinc enim profecto utilius ſcientiæ lumen affulgeret, quam à cerebroſis circa eadem objecta commentis, cujusmodi hoc nuperum quoque eſt, dum nonnulli *auram borealem à mactatis in extremo ſeptentrione Cetis, horumque pingui exhalatione, propterea quidem neceſſario altius, vel ſupra Lunam ſtatuenda, repetere contendunt,*

(Eugenianus I.)

OBSERVATIO II.

De

Hydrophobia ex morſu Lutræ, & hepatis ipſius eſu felibus mortifero.

CUm aliquando in vicinia *Cremonæ*, æſtivis diebus, uti moris eſt, aquæ diverſarum foſſarum, has repurgandi cauſa

causa, derivatæ essent, ibique multi homines piscandi spe allecti concurrerent, in horum quoque numero erat *Lucretia Cantona a Fianello*, quæ *Lutram* in fovea se abscondentem conspiciens accersi, it maritum, qui reti ad capiendum extenso, animal hoc cum palo ad exeundum stimulare incepit, quod etiam post duarum horarum spatium expellebatur. In exitu vero, quem magno impetu faciebat, cum laciniæ vestimenti uxoris adhæsisset, in ipsam se convertens, pollicem & digitum indicem dextræ manus miro cum furore momordit, sicut & paulo quidem levius, minimum seu auricularem sinistræ manus. Hæc autem vulnera balsamis sarcoticis adhibitis, brevi tempore in cicatrices coierunt. Octodecim diebus post febri acuta correpta fuit, unde ego ad curandum vocatus ægrotam cum pulsu valde duro inveni, conquerentem simul de dolore intercostali pungente in latere sinistro, qui ad claviculam se extenderet ac usque ad scapulam, urgente præsertim tussi, a qua sæpius vexabatur, conjuncta cum difficili decubitu in utroque latere, itemque siti & lingua scabra. Ex ejusmodi symptomatum præsentia judicavi hanc veram esse pleuritidem, potissimum à varia æstatis tempestate, & ob crebriores imbres solito frigidiore, tum etiam ab exigua, quam tenuioris fortunæ homines, in ejusmodi aëris cœlique mutationibus adhibere solent corporis cura contractam. Ita persuasus pro primo exhibebam remedio emulsionem amygdalarum dulcium, additis etiam antipleuriticis & fomentis convenientibus affectæ parti, unde facile eveniebat expurgatio materiæ concoctæ & purulentæ cum quadam sanguinis tinctura, ita ut supervacuum judicarem emittere sanguinem, præsertim quum ægrota quodammodo cachectica & valde debilis appareret. Quarta autem quum die incideret in maximam agitationem, & omnia symptomata adaugerentur, de septima metuens, volebam ut Sacramentis ritu Christianorum instrueretur. Septima

ptima illucescente videbatur malum potius quodammodo remittere, sed nona vesperam versus incidebat ægrota quasi in lethargum, noctu vero sæpius tentabatur deliriis & motibus convulsivis cum magno clamore. Proximo die ad illam visitandam prodiens, certior fiebam *extis illius lutræ & præcipue hepate a pluribus felibus comestis, illas omnes exinde mortuas esse*, id quod haud exiguam pejoris mali in ægrota muliere mihi injiciebat suspicionem. Ad eam igitur iterum accedens inveni in pessimo statu, ab omni cibo & potu abhorrentem, quamvis molestissima perureretur siti; unde ipsa interrogata, num bibere vellet? aquam, qua sitim levaret, propinandam curavi. Tum ore firmissime clauso, supervenientibus multis motibus convulsivis cum deliriis & clamore, opus erat, ut maritus eandem in lecto omnibus intensis viribus contineret, quæ antea tam debilis erat, ut vix brachia levare posset, jam vero sæpius quoque illum mordere cum impetu niteretur. Quamobrem tam ex *hydrophobia* quam robore insolito eam *rabiosam* esse judicavi, lectoque propterea alligandam curavi, unde quum per quatuor dies subsequentes semper delirans, cum continuis convulsionibus terribilique clamore dentibus fremens, ad extremum redacta esset, postquam duo aut tria cochlearia jusculi accepisset, extincta est. Vulgus equidem in judiciis suis ferendis semper effrenatus, tunc arbitrabatur, hanc feminam non potuisse rabidam esse, vana persuasus opinione, quod malum hocce quadraginta requirat dies usque dum se manifestaret: ast vero plebeja ejusmodi judicia de rebus medicis, sæpissime inepta & fallacia deprehenduntur, nihilque omnino certi de periodo illius morbi statuere licet; quemadmodum sequens etiam exemplum comprobat. *Carolus* nempe *Antonius Perucca*, juvenis hujus loci, ante viginti menses a cane morsus quum sibi statim Cremonæ sacris cerimoniis benedici curasset, præter popularem expectationem furiosus

decess-

deceſſit, ubi compluribus, qui eum matutino tempore ſuis negotiis intentum & obambulantem viderant, judicium meum, quod ea ipſa veſpera accerſitus tuleram, eum, quia diverſis ſymptomatibus & maxime *Hydrophobia* affectum offenderam, quartum diem inter vivos non ſuperaturum eſſe, (uti etiam exitus probauit) minime placuit: Quo in caſu obſervatione dignum erat, quod ex antiqua cicatrice brachii ſiniſtri, ubi morſus erat, tanquam è ſeminario & foco prodirent effluvia miaſmatis illius maxime activi, & verſus cordis regionem ſerperent, uti ipſe indicavit, præter intolerabile frigus in parte adfecta, de quo conqueſtus eſt, ad quod temperandum panni calefacti continuo adplicati neutiquam ſuffecerant. Sed ut ad priorem revertar caſum, vellem ſane, ut mihi quædam, circa ipſum enata dubia eximerentur. 1.) *Num animalia aquatilia, ſicuti Lutra, tam brevi temporis ſpatio & per ſolam irritationem poſſint fieri rabioſa?* 2.) *An feles, ex eſu hepatis aliorumque viſcerium Lutræ occiſæ, deceſſerint occaſione rabiei, an vero propter ſingularem antipathiam cum hac animalis ſpecie, aliis fortaſſe animantibus non adeo inimica natura;* quemadmodum conſtat alia aliis dum aſſumuntur plus minusve exitioſa eſſe. Et profecto in diario quodam navigationis, ſub finem Sæculi XVI. per *mare del Noort*, orientem verſus ſuſceptæ, memini me legiſſe, quod *hepar urſi albi*, à nautis occiſi, inſtar cibi ſapidiſſimi in extrema qua verſabantur penuria, comeſum, omnibus tam atrocia creaverit ſymptomata, ut vix eluctarentur, decidentibus illis omnibus pilis & capillis. 3.) *An potius feles interierint ex acido illo fortiſſimo Lutræ irritatæ;* quod majorem, quam in aliis partibus impreſſionem facit in inteſtinis & maxime hepar hujusmodi pernicioſis effluviis replet. Notum veto eſt, quod felibus omne acidum ſit infeſtum, quin ipſamet etiam aqua vitæ, quæ uti mihi aliquando relatum, ipſis mortifera eſt; quum inſuper feles ſupradictæ nullum rabiei ediderint indicium, inque breviſſimo

temporis spatio mortuæ sint. 4.) *An hujus lutræ carnes hominibus in convictu adhibitæ potuerint esse nocivæ?* hactenus quidem nihil ejusmodi est auditum, quamvis caro ista vendita fuerit in caupona *Cremonæ* frequentatissima.

SCHOLION.

CUm neutiquam nobis constet, utrum doctissimus VALLISNERIUS ad quæstiones ab autore hujus observationis propositas responderit, easdemque dissolverit, quod forte nemo melius ipso præstare poterat; nos paucula saltem eò pertinentia subjiciemus. Et ad 1) quidem, quod *Lutra*, tametsi in aquis hospitetur ac victitet, ratione naturalis sui characteris, à dentibus præsertim tum & pene osseo, & claviculæ defectu petendi, *ad caninum genus referri* debeat; unde etiam rabiei obnoxia reddi potuisse colligitur. Num vero reapse rabida, & intra tam breve temporis spatium, in furorem perfectum impulsa fuerit, non adeo expeditum est decernere. Assentimur autem facile *Celso* Lib. V. cap. 26. *omnis feræ* (cumprimis vehementer exagitatæ) *morsum habere quoddam virus.* Ad 2) an feles ab esu viscerum lutræ mortem oppetierint, quatenus ipsa rabiosa fuit, an propter singularem generis antipathiam? posterius apparet nobis vero similius, quoniam nulla rabiei indicia feles istæ dederunt. Cæterum tota natura sua venenosum esse *jecur Lutræ*, hoc minus credibile est, quo magis è *Gesnero* patet, idem vino infusum prodesse cœliacis, tostum vero dysentericis; quem usum amplius prædicat *Casp. Schvvenckfeld* in Theriotroph. Silesiæ p. 108. Quæ 3) afferuntur; *de acida indole miasmatis irritatæ Lutræ*, tanquam opinionem nondum satis probatam, suo loco relinquimus. Ad 4) vero quod attinet, *carnes* videlicet *istius Lutræ*, has, licet in universum non sint boni admodum succi, *nocivas* tamen *hominibus*, qui comederunt,

neces-

neceſſario non fuiſſe, vel ideo perſuaſum habemus, quia conſtat aliarum quoque ferarum, venando plurimum vexatarum carnes innoxie aſſumi in eſcam. Accedit, quod canis aliusve animalis rabidi hepar, & aliæ quædam partes, admorſis hominibus pro certo hydrophobiæ antidoto commendentur.

(Eugenianus I.)

OBSERVATIO III.

De

Rariore Ignis lambentis ſpecie.

Fœmina quædam Mediolanenſis, cum aliquando tempore nocturno cubitum iviſſet, placideque obdormiviſſet, ſubito dolorem in brachio, parum à junctura manus diſtante loco ſenſit, & quidem talem, ut exinde expergefieret. Oculis igitur apertis, animadvertit *flammam ſupra lectum & corpus ſuum.* Qua viſione perterrita, vociferari cœpit, atque hoc clamore maritum è ſomno excitavit, qui pariter illam flammam, ſupra conjugis corpus accenſam conſpexit adeo claram, ut ope ſplendoris ejusdem non modo ſtragulam & lectum, ſed & reliqua cameræ objecta nullo negotio diſtinguere poſſet, Hic itaque ſimili terrore concitatus, ac neſcius utrum ignis verus lecto admotus, an aliud quid rei eſſet, manibus & ſtragula commotis ita laboravit, ut flammam ſuffocaturus videretur; ſed ecce! quum manibus illi appropinquaret, ignis receſſit, & quum manus iterum ad ſe traheret, flamma rediens acceſſit: Quum ab uno latere illi minitaretur, ad alterum fugit, quum hoc verſus brachium intenderet, ad priorem reverſa eſt locum, ita ut hæc lucta per aliquot tempus, nimirum octavam unius horæ partem duraret, intra quod tempus ita pulſavit

disiecitque aërem maritus, ut flamma tandem evanescceret, bonique conjuges in tenebris remanerent, horrore & admiratione pleni, quia nunquam eiusmodi visionem evenisse credebant, dubitantes an iste ignis cœlo sit delapsus, an e purgatorio emersisset cum anima quadam, fortassis deprecationem illorum efflagitante; his aliisque cogitationibus anxiis insomnem traduxerant reliquam noctem.

Illucescente die accersendum me curabant, ut decernerem, annon necessarium foret malis effectibus, qui non raro improvisum terrorem subsequi solent, remedio quodam obviam ire? sed, ut verum fatear, quo magis illi circumstantias rari hujus casus mihi exponendo se cruciabant, eo magis me ad ridendum commovebant, quum mihi terribile istud phantasma & cum igne certamen repraesentarem. Per jocum igitur illos interrogabam, utrum ab isto igne fuissent usti, vel ad minimum notabilem calorem percepissent, annon stragulæ repertæ fuissent denigratæ? ad quod sicuti verosimile erat, negando responderunt. Postea tamen misericordia eorum captus, ne diutius suspensos detinerem, magnum visionis suæ mysterium cœpi explicare.

Declaravi nimirum, hanc esse *speciem ignis fatui*, qui communiter *ignis lambens* nominari solet, & esse quidem rem perraram, non tamen novam aut inauditam: Qua occasione mihi ille in mentem venit, quem *Virgilius* circa caput *Ascanii* visum fuisse, memorat:

Ecce levis summo de vertice visus Juli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.

Amplius iis enarrabam, quod Historici de *Alexandro Magno* perhibent, illum nimirum in aciem prodire volentem visum fuisse e corpore suo scintillas projicere, & de

equo

equo Tiberii, e cujus capite flamma accensa prodiens conspiciebatur. Quod si vero de hisce dubitare liceret, annon phantasiæ poëticæ aut iis, quæ *Græcia mendax* audet in Historia, adscribenda forent, propterea tamen Physicos Medicosque scriptores, qui de ejusmodi phænomenis testimonium perhibuerunt, non falsos esse; quorum quosdam ad majorem illorum consolationem recensebam.

Notare autem convenit, istam fœminam esse juvenem & corpore præpingui: Cameram vero ubi ignis apparuit lateribus coctis stratam, vespera præcedente aqua fuisse expurgatam & postea bene præclusam. Probabile igitur est, quod exhalationes e corpore tam pingui, calore lecti agitatæ, unita cum nitro aëreo & pavimenti vapore permistæ, flammam istam ignemque fatuum produxerint.

SCHOLION.

Etsi opido frequens sit phænomenon, in corporibus hominum viventium, *Ignis lambens*; si quidem quaslibet, fricando artus, aut agitando indusia pinguibus exhalationibus calentia, prodeuntes scintillas isto nomine appellare velimus; *adeo* tamen *amplam atque lucidam durabilemque flammam* vix ab ullo fide digno scriptore notatam reperimus. Neque enim illud matronæ Veronensis exemplum, cujus occasione *Ezechiel* (qui postea *Petrum* se nominavit) *à Castro* peculiarem tractatum, *Ignis lambentis* titulo edidit, ad nostri casus conditionem proxime accedit; neque complures aliæ, cum in eodem, tum in *Thomæ Bartholini de Luce hominum & Brutorum libris* recensitæ historiæ parem, nedum maiorem flammæ amplitudinem, tandiu durabilem observatam testantur. Cæterum nulli dubitamus, quin hæc ipsa nostri phænomeni prærogativa commemorato causarum concursui, alias fortasse rarius contingenti, accepta sit referenda.

(Eugenianus l.)

OBSERVATIO IV.

De

Impetigine maligna, obstetricis contagio mirabiliter propagata.

MEnse Martio anni 1727. apparuit *in digito indice obstetricis*, in civitate *Sanctæ Euphemiæ*, *pustula* quædam, quæ illi intoletabilem creabat pruritum. Sive hoc acciderit propterea, quod in iuventute sua morbo gallico laboraverit, sive quod officio suo fungens uterum hac lue infectum aliquando tetigerit, sive etiam propter internam sanguinis dispositionem: Quicquid igitur horum in caussa fuerit, nullam tamen modo dicta obstetrix hujus *pustulae pruriginosæ & malignæ* indicavit, quæ in digito observabatur, unde eo ipso die maximum illi in brachio dolorem cum tensione attulit, & posteaquam hoc miasma acre ac deleterium universae humorum discurrentium massæ se insinuasset, insignis accessit *Phlogosis*, brevique totum corpus *impetigo universalis* occupavit, quum interim *pustula* illa in digito, per quatuor mensium spatium obstinate perseveraret. Et quia hocce digito uterum feminarum parturientium explorare consueverat, evenit (quum ibidem loci alia obstetrix non adesset) ut per memoratum temporis intervallum *quinquaginta plus minus personis* suum præstaret officium, quæ omnes, *quotquot* nimirum *pestifero attactæ fuere digito, duabus aut tribus forte exceptis, contagione morbi* sequentis, maximo cum cruciatu afflictæ fuerint, tametsi nulla ipsarum perierit.

Ab initio malum istud se exeruit cum maximo & molestissimo pruritu in partibus a prædicta obstetrice contrectatis, nempe labiis & vagina uteri, eum in modum, ut miseræ

ſeræ fœmellæ nullam poſſent invenire quietem. Requiſivere ergo auxilium, ſed quum nemo contagioſum ſuſpicaretur morbum, conveniens ipſis nullum miniſtrabatur remedium. Quamobrem ſumma urgente neceſſitate, omni pudore ſepoſito, quinque aut ſex illarum tandem ſe Chirurgi ſubjecere inſpectioni, qui omnes earundem vulvas ulcerum & rubicundarum ferventiumque puſtularum plenas deprehendit. Hinc idem, iteratis obſervationibus, judicavit, has fœminas in partibus paulo ante memoratis *impetigine Gallica* eſſe contaminatas. Et quia compertum habuit, publicam obſtetricem ejusmodi ſcabie ſicca & pruriginoſa laborare, ſuſpicari cœpit, quod ab ipſa manaverit contagium, ſicuti poſtea in omnibus illis, quibus dicta obſtetrix opem tulit, eventus probavit, hoc tamen cum diſcrimine, ut in quibusdam poſt menſem, in aliis citius aut tardius iſtud malum erumperet. Interea hæc dira muliercularum lues ad ipſarum maritos ac infantes quosdam lactentes traducta eſt, ut intra quatuor menſes, octoginta perſonæ contagioſo morbo affectæ numerarentur, unde factum ut obſtetrix male commendata, prorſus abſtineret ab officio, hominesque cautius vivere inciperent.

Poſteaquam malum hocce genitalia variarum utriusque ſexus perſonarum dicto modo puſtulis & ulceribus primum occupavit, per totum deinde corpus ſeſe diffudit, ſuccedentibus paſſim tuberculis duris atque calloſis magnitudine parvi lupini, quæ cum *Thoma Willisio pharmaceut. rational. part. II. cap. ult. Corymbos* nominare poſſemus, & hæc prodibant racematim ſeu per quasdam areas, diverſæ amplitudinis, qui Corymbi ab ægrotis, ob taedioſum pruritum, fricati fundebant liquorem tetrum & ſanguineum, maxime mordacem, inque manibus & per univerſum corpus conſpiciebantur ſquamæ & cruſtæ, immo multis perſonis utriusque ſexus ſub digitis pedum naſcebantur ulcera fœtidiſſima & moleſtiſſima

stissima. Duabus aut tribus personis progressu temporis accessit tanta raucedo, ut verba facientes vix proximo audirentur, quibusdam vero excidebant capilli.

Horum symptomatum respectu me non errare puto, si dictum morbum cum *Willisio*, appellem *Impetiginem* ad *Lepram Græcorum* accedentem, & quia originem duxit a corpore Gallica lue contaminato, placuit mihi eundem nuncupare *Lepram Gallicam*, non Græcam.

In curatione hujus mali, præscriptum laudati *Willisii* sequutus, *medicamenta* cumprimis adhibui *antivenerea*; & quamquam ipsa lues venerea ordinariis stipata symptomatibus, multo facilior sit curatu quam *Impetigo*, nihilominus, quum medicamentis mercurialibus & *Aqua antivenerea* præstantiora vix habeamus, sequentem in modum institui curationem. Præparavi nempe per aliquot dies humores acres cum *Syrupo fumariæ majori* & *aqua cichorei*; postea purgavi cum *Extracto Catholico*, *Mercurio dulci*, *resina Jalapae*, & Sale Tartari fixo: Deinde propinandum curavi *Decoctum antivenereum Zwölferi*, mane & vesperi, & post singulos sex dies dedi *pillulam e Mercurio dulci* & *extracto fumariæ*. Quibusdam, quibus aqua antivenerea erat nauseosa, exhibebam *pulverem de carne viperina*. Ad ulcera seu *Corymbos* a Chirurgo adhiberi jussi *aquam Hartmanni*, *aluminosam Fallopii* & *oleum seu liquorem Mercurii*, quibus remediis multi, per DEI gratiam, recuperarunt pristinam sanitatem, quamvis interdum recruduerit malum.

In aliis denique ægrotis, quibus curta fuit supellex, quique aut noluere aut non potuere indicatis uti remediis, morbus notabile incrementum cœpit, & multi adhuc iisdem utuntur remediis, quibus non omnino proficientibus, *unctione mercuriali* succurrere decrevi, quanquam *Willisius*, illud auxilium, alias satis probatum, penitus extirpandæ impetigini vix sufficere testetur.

SCHO-

SCHOLION.

NImis equidem nota est *Venereæ luis contagiosa indoles*, promptaque non uno modo *propagatio*: Quod autem solo contactu digiti unius, impetigine illius generis infecti, tot personæ tam atrociter eodem malo fuerint contaminatæ, paulo rarioris est observationis specimen; quamvis prope similem infestum casum, singularibus circumstantiis notabilem, Lutetiæ Parisiorum quondam observatum commemoret *Louyse Burgeois*, in suo de arte obstetric. opere Lib. II. cap. 42. p. m. 145. Neque vero admodum difficile est comprehendere, quod genitalibus mulierum, instante partu jam ferventibus & quasi sauciis, intrusus digitus malignum miasma suum facilius quam alibi affricare, idemque hinc altius in corpora se insinuare potuerit. Cæterum ista lues, etiamsi modis variis homines corripiat, recte animadvertente *Antonio Everardi*, eam principio partem plerumque obsidet, quæ primum à corpore contaminato attingitur; quod ipsum ille confirmat non minus calamitoso quam euidenti exemplo. Cum scilicet aliquando Medioburgi in Zelandia, *per unicam mulierem, quæ puerperis colostrum, aut lac molestè restagnans exugere consueverat, harum brevi tempore plures ita fuerunt inquinatæ*, ut primo in papillis & uberibus maligna erumperent ulcera, deinde per totum corpus longe lateque malum spargeretur; hinc vero non solum lactentes plerique infantes, sed & nutrices & famulæ, eorum matrumque curam sustinentes, quin etiam mariti non pauci misere contaminarentur. Totam hanc tragœdiam laudatus *Everardi* opusculo singulari curiose expositit. Ejusmodi autem historiæ, quemadmodum luculenter ostendunt, veneream luem, quia corporum qualicunque contactu tam facile propagatur, inter morbos contagiosos, proprie dictos, nulli secundam esse, ita maximopere providas reddere debent fœmellas,

parturientes inprimis ac puerperas, in eligendis obstetricibus, ne harum nomine impurissimas meretrices ad officium admittendo, se suamque prolem & familiam contagionis fœdissimæ periculo committant: Sicut ex adverso publicas obstetrices etiam cavere decet, ne scortis lue pollutis serviendo, hanc in semet ipsas recipiant, posteaque alias plures personas honestas flagitiose contaminent.

(Eugenianus I.)

OBSERVATIO V.

De

Vermiculis, Pique & Culebrilla, incolis Americæ familiaribus & infestis.

TAm verum est, quam quod verissimum, quamlibet regionem, præter mala pluribus communia, sua etiam habere propria: Unde e. g. in Italia, & alibi, istud capillorum excrescens vitium, quod *plica Polonica* vocatur, incognitum est. Regiones Americanæ, plurimum ab Europæis differentes, similiter sua habent incommoda peculiaria, quæ ultra mare vix nomine nota sunt. Duo illorum, curiositatis gratia, paulo accuratius in præsenti lubet describere: sunt autem diversa insectorum genera, incolarum corporibus admodum infesta & molesta. Alterum lingua vernacula PIQUE vel NIGUA, ut alterum CULEBRILLA dicitur. Venit autem *Pique* nomine animalculum minutissimum, pulici simile, in hoc seorsum discrepans, quod ad saliendum majori polleat agilitate ac promtitudine, adeoque difficilius arripi queat. Hoc per poros & vasa cutis excretoria glandulis subcutaneis, tam hominum quam animalium, se insinuat. Inprimis pedes ei sunt obnoxii, in quibus maxima cum voluptate vitam sustentandi & speciem suam propo-

gandi

gandi gratia sese occultat. Simulatque se ibi insinuavit, exiguum primo tumorem cum pruritu valde molesto conjunctum suscitat, & præcipue, si locus atque tempus ipsi conceditur, incredibilem suorum ovulorum multitudinem excludit, quod non raro accidit aut propter hominis recipientis mollitiem, vel quia animalculum ipsi incognitum est; Quo fit, ut brevi tempore veluti glandula usque ad magnitudinem ciceris intumescat. Et pauci omnino sunt, eorum qui ex Europa in Americam transeunt, qui non hoc afficiantur malo, quumque multi nullam illius habeant notitiam, plurima illis prius sunt perferenda, quam idoneum inveniant remedium, quod unicum est singularis dexteritas, in extrahenda glandula, seu folliculo integro; is enim ubi forte sub unguibus rumpitur, ovula cum magno mali incremento disseminantur. Cum vero mancipia nigra, quia nudis incedunt pedibus, calamitati *Pique* maxime sunt exposita, necessitas eadem coëgit omnem navare operam, quo facilem curandi modum addiscant: quare hac etiam in parte optimi sunt magistri & artifices. Adhibent acum & hujus apicem in cutis porum provide insertum ita circumducunt, ut a lateribus separent glandulam seu folliculum, quem deinceps integrum una cum *Pique* extrahunt; ita, ut microscopio admoto, animalculum observetur dictæ glandulæ inclusum, quasi unioni rotundæ ac pellucidæ inhæreret; supra quod conspiciuntur duo aut interdum tria puncta sanguinea a se invicem distantia, quæ puto esse extremitates arteriæ & venæ capillaris; unde sanguis apparet sparsus intra membranulam per internam superficiem totius glandulæ, quæ hinc quasi pellucida redditur & rubicunda; sicut in pluribus curiose asservatis ejusmodi folliculis ad oculum demonstrare possum. Hæc observatio, de *Pique*, contra omnes objectiones valet, quas vel ipsi nobis fecimus, aut ab aliis factas novimus, ut pro certo affirmare liceat, sanguinem per anasto-

mosin ex arteria in venam non regredi, sed eum potius se spargere extra vasa ad nutritionem partium, ut & ad separationem variorum liquorum, siquidem duo, quæ dicto modo observantur notabiliter ab invicem distantia puncta, deberent esse continuata, si intra glandulæ membranam se non expanderet ad separandam lympham, quæ per insensibilem transpirationem ordinarie egreditur, aut per sudorem. Quod si vero naturalis constitutio glandularum istarum subcutanearum violetur, tunc etiam sanguis aut egreditur cum ipso succo nutritivo per poros, veluti in *plica Polonica*; aut ex arteria in venam regreditur incassum, nec sinit prodire ad nutritionem extremarum partium succum illum alimentosum, quem antiquiores Medici rorem, appellarunt; inde vero marasmus oritur. Malum autem à *Pique* suscitatum, non raro coniungitur cum erysipelate seu inflammatione ac febre, si cura non debito modo peracta, totusque folliculus extractus fuerit; siquidem remanens illius portio, cum liquore extravasato computrescens, primo inflammationem deinde gangrænam affectæ partis producit; quemadmodum in *Portobello* accidit Dn. *Ignatio Dominiguez, Magistro Cameræ Principis de S. Buono*, cui cum aquam vitæ adplicasset glandulæ imprudenter tractatæ accessit inflammatio ac dolor per integrum pedem & femur, una cum febre; unde obligati tunc sumus quicquid gangræna affectum fuit, resecare, vulnus autem impositio emplastro, quod *manus Dei* dicitur, sanare. Eidem ipsi antea Limæ idem fere contigit, propterea quod adhibuerat pulverem tabaci, è communi consuetudine; quandoquidem accedente inflammatione unguis pollicis in pede, sub quo animalculum suum construxerat nidum, gangræna inficiebatur, quæ pariter solo emplastro modo laudata curato est. Ut igitur isthæc incommoda evitentur, animalculum *Pique*, cum tota quam occupavit glandula prius effodi necesse est, postea vero statim adplice-

plicetur paululum sebi calidi, quod cutem mollificans, non permittit, ut vulnus ante tempus coëat; idem feliciter succedit cum emplastro supra dicto, statim post *pique* exemtionem in usum vocato. Per longum tempus in America commoratus sum, ante quam crederem, quod *pique* per cutis poros introire soleat, potius existimans, quod à caussa interna forte provenerit; etiam postquam duabus aut tribus vicibus ab eo ipsemet tentatus eram: nullum tamen expertus dolorem, sed tantam titillationem, ut aliquamdiu partem adfectam fricare coactus molestiam demum perciperem: dubitavi nihilominus adhuc, an per poros cutis intrasset animalculum cum mente concipere vix potuerim quod istud in partem tam sensibilem & simul augustam usque ad glandulam subcutaneam sine ullo dolore, penetrare possit; Cum tamen postea in extrahendo, magnum sensserim dolorem. Et quia decreveram experientia uti magistra, ut certior hujus rei fierem, rogavi mulierem, quæ in ædibus *Dni Melchioris Paz*, Secretarii S. R. M. & *Principis de S. Buono* commorabatur, ut nobis illius generis monstraret animalculum, utpote quæ ipsi erant familiarissima: quum igitur quodam die mane ad illam evocaremur, eo ipso tempore, quo tale animalculum prope unguem digiti indicis manus dextræ intrabat, jucundo perquam curiositati nostræ spectaculo illud observavimus, & quidem pro parte posteriore instar punctuli nigri adhuc foras eminente, capite vero jam intra porum recondito: quapropter ei *Doppiam* promisimus, si illud penitus introire pateretur; id quod etiam lubens concessit. Nocte sequente ingentem ipsi excitavit dolorem una cum digiti inflammatione; die vero subsequente illud extrahendum curavi per meum æthiopem, hujus operationis chirurgicæ probæ gnarum, quod is etiam optime perfecit. Nos autem magnam exinde percepimus voluptatem, quod oculari experientia de tam curioso phænomeno plenius in

formati essemus, quum fœmina patientiæ suæ accepto præmio pariter esset contenta.

De Culebrilla.

INter arcana naturæ maxime abstrusa merito referimus malum *Culebrillæ:* quod propterea hoc nomine insignitur, quia insectum est serpentis similitudine, qui Hispanico idiomate *Culebra*, nuncupatur à latino Coluber, unde & malum, quod hominibus inferre solet, suum mutuatum est nomen. Præditum est illud insectum capite & cauda perquam tenui, cubitalem vero circiter habet longitudinem, & chordæ in cithara crassitudinem. Efficit hoc animalculum tumorem in cute, dimidiam fabam amplum, in quo ægrotans caput *Culebrillæ* se movere sentit, non sine tædio & melancholia, absque tamen sensibili dolore sineque febris concurrentia. Perfectissimi deprehenduntur in hoc malo Chirurgi mancipia nigra s. Æthiopica, extra hanc regionem nata & per mare huc adducta, quæ sola fere huic incommodo expositæ omnem impendunt operam, quo huic obviam eant medeanturque malo. Eum igitur in finem utuntur emolliente quodam medicamento, quo dilatatis poris, *Culebrillæ* capiti facilior præparetur exitus. Sæpenumero quoque non tarde se ostendit, & paullatim cum capite e poro cutis egreditur: Quo facto sensim eam extrahere incipiunt, usque dum filo ligatam asserculo circumvolvere queant, cum adipe suilla non salsa aut cum unguento Basilico eam, quo facilius integra producatur, inungentes. Experientia comprobavit, hoc insectum una vice totum vix posse evelli, sed repetito conatu super dictum asserculum complicando extrahendum esse; magna moderatione adhibita, ne abrumpatur, & idcirco valde dolorifica suscipienda foret operatio. Nos, ut hujus rei majorem nanciscceremur certitudinem periculum ejus fecimus

cimus in mancipio Dn. Capitanei *Mazzeta*, *Limæ*, cui cum asserculi ope anteriorem insecti partem attraxissemus, integrum illud expromere continuo conati sumus, sed æthiope dolorem percipiente, ulteriorem destitimus adhibere vim, siquidem certo ruptum foret; quamobrem curam assidutati filii nostri reliquimus, quæ ad perfectionem integros quindecim requisivit dies, quum postea plaga *emplastro manus DEI*, non minori cum facilitate, quam felicitate sanaretur. Alia hujus generis bestiola extracta fuit æthiopi *Dn. Francisci de Cordoua*, quam adhuc balsamo conditam curiosorum contemplationi asservamus. Sed non modo in æthiopibus alienigenis *Culebrillæ* hospitantur, verum etiam in cane prægrandi, alias gracili & macilento per accidens quædam à nobis sunt observatæ: quo in cane ut *Dni Principis de S. Buono* satisfaceremus desiderio, in præsentia multorum studiosorum, demonstravimus, quomodo chylus ex intestinis per venas lacteas cor ingrediatur; qua occasione invenimus in fundo ventriculi cordis sinistri duas exiguas *Culebrillas*, palmum longas, quæ duobus aut tribus gyris circumvolutæ erant fibris cordis quam firmissime, id quod nobis persuasit, *Culebrillas*, quemadmodum in hoc repertæ sunt cane, ita etiam posse generari in aliis hujus regionis animalibus, quamquam nemo unquam in illas curatius inquirendo operam navaverit. Cæterum hujus insecti, tam in humanis quam brutorum corporibus generatio, non adeo magna nos affecit admiratione. Siquidem, secundum hodiernorum physicorum & præcipue Clar. Dni *Vallisneri* systema, nemo facile vitio vertet, si dicamus in nobismet & animalibus ipsis extare ovula, unde illud excludatur & nascatur: hoc autem, quod nobis admirationem injecit est, quod soli æthiopes, & animantia quædam, huic *Culebrillæ* incommodo subjecta sint. Omnis autem admirandi ratio forte cessabit, si consideremus, temperamentum illorum constitutionem sanguinis

guinis & humorum in ipsis fermenti supplere vicem non minus, quam fœcunditati ovuli auxiliatrices porrigere manus, quod non succedit nec forsan succedet unquam in indigenis aut Europæis, utut per longum tempus multasque generationes in America sint commorati, quum in illis debita deficiat dispositio ad ovulum fœcundandum: Sicuti multi inter nostros reperiuntur, qui nunquam à vermibus intestinorum ordinariis, licet semina adsint, ullum percipiunt incommodum. Quomodo autem *Culebrillæ*, cor canis intraverit, & per arterias ad glandulas perveniant haud ita facile est explicatu: Sicuti etiam adhuc ignoratur, qua in parte horum animantium ovulum inveniri queat, quandoquidem mox in cruribus, mox in brachiis hominum, mox in alia parte, *Culebrillæ* recens natae progredientes deprehenduntur. Quare etiam adhuc observandum restaret, an omnes per cutem intrent, indeque ad interiora quoque penetrent, sicuti in cane, ac propterea mortem etiam accelerare possint hominibus, prout isti cani probabiliter eam intulissent, nisi à nobis præventum jugulando fuisset, supra memorati experimenti causa.

SCHOLION.

QUi exterarum, & novi præsertim Orbis regionum felicitatem invidiose nimis extollunt, ac nostratibus anteferunt, næ isti aliter sentirent, si recte considerarent, quod quantaque incommoda stiparent illam qualemcunque commoditatem. Ut enim nunc taceamus cœli, quæ passim obtinet, gravitatem, ac endemiorum morborum sævitiam, tempestatum item ac terræ motuum frequentiam, ferarum insuper belluarum insidias atque impetum; vel sola tot insectorum, hominibus maxime infestorum agmina, multum sane minuunt illarum regionum felicitatem ac præstantiam. Quin imo

imo singulari fortunæ tribuendum hoc est, quod nationes Europææ, ad Indiam utramque excurrentes, una cum divitiis, ac mercibus, tam avide conquisitis, non plura domestica earundem regionum mala convehant ac reportent; quamvis tale quid, nec opinantibus accidere interdum posse, nuper admodum edocti sumus exemplo immanium teredinum, sive vermium, qui detestabili casu in litora Hollandiæ cum navibus advecti, ligna quibus aggeres adversus aquarum vim sustinentur, incredibili celeritate exedunt ac funditus evertunt: Qua quidem calamitate, nisi Deus averruncus tempestive supervenerit, vix quicquam isti provinciæ maritimæ exitiosius evenire poterit. Cæterum in ipsa mortalium corpora sævientibus infectis, etsi neutiquam Europa careat, multo tamen gravius affliguntur Indiarum incolæ. Soli autem Americæ (quantum hactenus constat) indigena est illa vermiculi species, quam præsens observatio, nomine *Pique* aut *Nique*, satis curiose exposuit. Hoc idem animalculum *Georg. Marcgravius* & *Guil. Piso*, in Hist. Natur. & Med. Brasil. à Lusitanis *Bicho*, à Brasilianis *Tunga* dici perhibent. Antillarum vero Insularum habitatores *Chique* nuncupant, teste *Dn. de Rochefort*, qui illas Insulas, quoad naturalem pariter ac politicam historiam luculenter descripsit & Part. I. cap. ultimo ista animalcula haud inepte cum *Sironibus* (vulgo nostratium Reitliesen) comparavit; quamvis omnino specie inter se differant, ipsoque colore, qui est in *Pique* nigricans, in *Sirone* albus; figura insuper *Pique* magis ad pulicem, *Siro* ad pediculum propius accedit: Illi *Marcgravius* duos in capite cirrulos adesse notat, quæ desunt in Sirone, secundum accuratam *Mich. Ettmülleri* delineationem in Act. Erudit. Lipsienf. An. 1682, p. 317. In hoc equidem inter se conveniunt, quod *Sirones* etiam cutanei sint vermiculi, sive potius sub cuticula manuum præsertim ac pedum hospitentur, at in minoribus multo pustulis, fero turgidis ac prurientibus,

quæ neutiquam tantum incommodi ac periculi inferunt, quantum à *Pique* oriri legimus: Sed tamen *Thomas Mouffetus* Theatr. Insect. Lib. II. cap. 24. meminit matronæ nobilis in Anglia, quæ toto corpore *Sironibus* misere lancinata, vitam aliquandiu duxit molestam atque insomnem, ac tandem irritis remediis, aucto malo, & carne etiam tota depasta diem obiit. Atqui rarior hic casus insolitæ vermiculorum multitudini, & singulari forte causarum concursui tribuendus esse videtur.

Ad *Culebrillam*, quod attinet, vix opus est ut moneamus, hoc vocabulo designari *Dracunculum*, antiquitus dictum animalculum, Africæ cumprimis, tum & Asiæ provinciis compluribus domesticum, atque incolis valde molestum. Omnem ejus historiam, ex omnibus antiquitatis & literarum monimentis eruditissime congessit ἱ πολυμαθὴς quondam noster *G. H. Velschius*, in perampla exercitatione, de Vena Medinensi; cum quibus collectaneis conferri merentur observationes propriæ, quas incomparabilis peregrinarum rerum scrutator, *Engelbertus Kæmpferus*, Amœnit. Exotic. p. 524. & seq. utpote αὐτόπτης, lectu sane dignissimas proposuit.

(Eugenianus I.)

OBSERVATIO VI.

De

Ischuria, & hinc urina per vomitum rejecta, cum inedia diuturna.

VIrgo quædam religiosa, Deo consecrata, & adhuc juvencula, saltem nondum illius provectioris ætatis, quæ

apud

apud Gentiles in ipsorum spernebatur sacris, canente Poëta:

Virgineam tandem fastidit Vesta Senectam.

votis suis vix solenni professione confirmatis, incidit in febrem lentam & continuam, quæ in progressu maciei totius corporis & sicca tussi stipata, haud dubia edidit indicia subsequentis hecticæ: Post integrum biennium huic febri accessit *Ischuria* molestissima, sive urinæ suppressio periculosa, quæ quamquam initio remediis obtemperare videbatur, successu tamen temporis rebellem & contumacem se ostendit, paucorumque dierum intervallo miseram Religiosam summo vitæ exposuit discrimini. Ast subito copiosa *genuinæ per vomitum urinæ ejectione*, imminens mortis effugit ægra periculum. Quum tamen hoc non obstante, urinæ per vias ordinarias excretio præclusa maneret, vomitusque cum extrema nausea continuaret, necessitas efflagitavit, ut ad *Clysteres* nutrientes confugeremus, quorum etiam usu per quindecim menses vitam produxit, siquidem per omne hoc temporis spatium *Ischuria*, *Vomitus urinæ* & *nausea* constanter durarunt, excepto tantum brevi quodam intervallo, in quo cum urina per vias ordinarias, quamvis parce admodum excerneretur, confestim vomitus cessavit, & hinc nonnihil cibi levioris ægra potuit assumere, quod tamen per universum morbi decursum, accuratissimo computo, quantitatem viginti ovorum non æquavit, si forte excipias rarum Sacchari perlati frustulum, & paucas Julepi guttulas, quotidie assumtas. Hoc non obstante, excrementa observabantur subinde dura, & conglobata, quæ confracta intus apparebant subflava & livida, colore ovorum, quæ in jusculo solum adplicabantur in formam clysteris. Dubitavimus ab initio, an hæc *Ischuria* caussam haberet viscidum concretum in collo

veficæ; propterea quod eo ipſo tempore, quo iſto correpta fuit malo, aſſumſerat lac Religioſa noſtra; deinceps oriebatur alia ſuſpicio, annon ſubeſſet aliquid convulſivi, unde conſtringerentur fibræ ſphincteris veſicæ, præcipue quum in dextro colli illius latere dolorem quendam ægra ſentiret: Sub ipſum mali ingreſſum adhibebantur cuncta remedia, tam externa, quam interna, quæ ars potuit ſuggerere, ſed omnia incaſſum; Exitus vero tandem veram oſtendit morbi cauſſam, ſicuti *Galenus* dixit; *ſanatio oſtendit morbum;* ſiquidem poſt malum tam diuturnum & moleſtum prodibat è veſica calculus planus, politus, figura triangulari, diametri unciæ dimidiæ; quo factum, ut urina viam ordinariam recuperante, ſtatim ceſſarent omnia ſymptomata, & ab eo tempore quarto jam effluente menſe, nullum amplius caperet incommodum, ſed in priſtinam ſanitatem reſtituta ſit.

Perquam difficilis erat cauſæ hujus mali indagatio, quia hæc religioſa nunquam neque calculum, neque ſabulum, neque viſcoſitatem, vel aliam malam urinæ diſpoſitionem experta fuit, ſemper antea firmiſſima gaudens valetudine. Catheteris uſus, ad percontandum aptiſſimus, ab initio propoſitus, conſtanter cum hoc gravi & ſancto dicto recuſabatur; *Malo mori, quam fœdari.*

Operæ pretium non eſt, ut in explicando horum accidentium nexu me detineam, quum in aprico ſit poſitum, collo veſicæ per calculum obſtructo, egreſſum urinæ fuiſſe impeditum, quæ exinde in ſanguinem retrogreſſa, ſtomachumque ingreſſa, nauſeam & vomitum concitavit; Quod vero admirationem movet præcipue hoc eſt, *quomodo nempe & per quas vias urina ad ſtomachum pervenerit? alterum: quomodo ova in juſculo conquaſſata, & in formam clyſteris adhibita, quum à ſtomacho nequaquam digeſta ſint, virtutem nutriendi, ægrotamque per longum adeo tempus vivam conſervandi exercere potuerint?* Et

hæc

hæc quidem duo erunt, in quibus evolvendis tantisper occupabimur.

Prioris dubii forsan, citra pulveris jactum, solutio peti posset ab experientia, quæ docet, quod sæpenumero natura interitus periculo exposita, enitatur per vias insolitas, & ad alium usum destinatas transmittere & expellere vi propria materias sibi molestas & inimicas, perniciemque valetudini minitantes: quo referre licebit casus ab *Hildano* commemoratos, eorum, qui e.g. screatu turundas & costarum fragmenta, per vulnera in cavum pectoris intrusa, ejecerunt, tum & curationes inexpectatas & improvisas nonnullorum hydropicorum, qui aqua restagnante per umbilicum, aut per ulcera in tibiis exorta corpus exonerarunt. Singulare autem exemplum, mihi observandum se obtulit in moniali quadam ascitica, quæ una nocte omnem aquam abdominis, cauterii emisit beneficio, quod per multos annos in femore tenuit apertum. Verum enim vero tales historiæ non clariorem intellectui accendunt lucem, ad abstrusas corrivationis atque trajectionis vias inveniendas, sed in sola eventus admirandi caligine nos relinquunt.

Possemus igitur, in declaranda ratione casus antea propositi recurrere ad quosdam ductus, quos nonnulli è ventriculo in vesicam recta quasi ingredi crediderunt, atque ita statuere, per ipsos urinam è vesica in stomachum ascendisse. Sicuti autem hæ viæ, post diligentissimas ab Anatomicis institutas explorationes, ad hoc usque tempus indagari non potuerunt, sic justa sane de illarum existentia relinquitur dubitatio, quo magis etiam experimenta in contrarium facta, repugnant; quandoquidem ex relatione *Bohnii*, ligatis in cane vivo ureteribus ne guttula quidem urinæ in vesicam descendisse observata fuit. Huc pertinentem casum adjungere licet, à viro fide digno mihi enarratum: nobilis nempe cujusdam ante aliquot annos defuncti ex ischuria re-

nali, in cujus cadavere ren sinister cum suis vasis repertus est plane inofficiosus, & impenetrabilis, incertum an per malam conformationem à nativitate, an alia de causa id evenerit: in uretere vero dextro tres detecti sunt calculi sibi invicem innixi, qui urinæ transitum præcluserunt, unde *Ischuria* subsequuta est lethalis; ex quo credere adducimur, quod, si ultra vias per renes ordinarias, aliæ apertæ exstitissent ad urinæ in vesicam derivationem, natura tam duro necessitatis telo coacta, iisdem ipsis ad vitam conservandam, usa fuisset. Ego itaque fidem his vasis habere tamdiu differo, donec ipsorum clarior emergat demonstratio; & nunc progredior ad investigationem viarum magis apparentium, per quas urina in stomachum penetrare potuerit, primumque considero, quod præter duo, superius & inferius orificia, nulla alia ad ventriculum pateat via, quam per ejus glandulas, quarum ope communiter à sanguine arterioso in stomachum sese effundit succus serosus, qui pro fermento digestioni ciborum inservit; quapropter si perpendam, urinam non potuisse introire in stomachum per unum illorum antea memoratorum orificiorum magis patentium, quorum unum in œsophago alterum in intestinis terminatur, necessario concludendum est, solam & unicam ingressus viam per glandulas modo dictas superfuisse; quod quamquam Mechanicæ contrariari videtur legibus, propter apparentem diversitatem horum liquidorum in transitu per poros solidæ partis unius figuræ, nihilo minus instituto debito examine unius atque alterius istorum liquidorum, non adeo penitus dissimilia inter se deprehendentur, nec particulæ ita difformes, quin plerisque transitus per illum canalem queat esse communis. Porro mecum reputo, quod officium fermenti digestivi sit, penetrare, resolvere & comminuere cibos, iisque fermentationis aliquem imprimere motum, cujus beneficio præbeant liquorem album, quem Chyli nomi-

nomine indigitamus. Hoc negotium perfecte absolvi non potest, nisi fermentum sit analogum, vel si magis placet, ejusdem naturæ cum cibis fermentandis; aliter nil sequeretur, nisi dissolutio destructiva; qualem peragit fere aqua regia cum auro. Hinc in conficiendo pane utimur fermento ex eadem farina massæ composito, & qui caseum elaborant, quo copiosiorem ejus ex lacte materiam obtineant, illud coagulant cum sero acido, quod pars lactis fuit.

Quemadmodum itaque cibi digerendi, diversi sunt saporis, & per consequens è diversis compositi salibus, quia *omnis sapor à sale*; & liquor gastricus iisdem analogus debet esse cibis, eapropter etiam debebit continere diversa salia correspondentia & consimilia iisdem cibis: sed vero urina continet salia cum salibus cibi correspondentia, ergo salia urinæ erunt consimilia salibus liquoris gastrici. Quod autem salia urinæ similia sint salibus complurium alimentorum, communi Medicorum comprobatum est sententia, proinde salia urinæ sunt ejusdem indolis cum salibus ciborum, ergo hi duo liquores non sunt naturæ adeo dissimilis, ita ut per eas ipsas vias, per quas poterit transire unus, poterit quoque meare alter: si igitur liquor gastricus secerni poterit per glandulas stomachi, etiam urina per illas transire poterit. Et hæc quidem respectu convenientiæ duorum liquidorum dicta sufficiant: Quodsi vero nihilominus quoddam adhuc dubium restaret, respectu figuræ pororum ventriculi, perpendatur velim, Religiosam nostram, uti ab initio mali, ita per totam ferme periodum illius, pro assiduo remedio adhibuisse salia diuretica, quæ in ventriculo dissoluta illius glandulas intrando, facile sic conformari potuerunt, ut adventantem urinæ laticem, consimilibus turgidum salibus reciperent ac in cavum stomachi eructarent.

Neutiquam opus est, ut virtutem penetrantem salium demonstrem, quum manifestum sit, carnes extrinsecus sale asper-

aſperſas usque ad oſſium medullam à ſale penetrari, atque olivas ſalſugini immerſas in intimas ſuas partes illius ſalia abſorbere. Quapropter vero ſimile eſt, iſta ſalia diuretica & valide penetrantia, à glandulis ſtomachi abſorpta, novam quodammodo illis conciliaſſe formam, & ad ingreſſum urinæ habiliores reddidiſſe.

Quodſi rationes ad hypotheſin meam ſtabiliendam hucusque adductæ non omnino ſatisfaciant, amplius perpendendum commendo, quod noſtri corporis glandulæ & vaſa non ſint adeo ab invicem diverſæ naturæ, quin viis ordinariis obſtructis, ſerum urinoſum alibi penetrare & a ſanguine per glandulas aliarum partium ſeparari poſſit, quemadmodum experientia quotidiana magiſtra edocemur in quibusdam, qui multum tranſpirant, urinam parcius reddunt, contra vero in illis, qui parum tranſpirant, urinam largius excerni; id quod ſeorſim autumno ac hieme experimur, dum poris cutis ab externo frigore clauſis multo copioſior urina emittitur. Ex quo plus ſatis apparet commercium, quod inter corporis noſtri glandulas & excernicula intercedit, idem magis adhuc manifeſtum fit per ſudores vehementiores & criticos, in quibus haud raro odor & ſalſedo ſalium urinoſorum aperte diſtingui poteſt; Ita *Phil. Salmuthus* Cent, II. obſerv. 82. caſum commemorat cujusdam nephritici, qui quum per multas dies urinæ pateretur ſuppreſſionem ac propterea corpus eſſet inflatum, usque ad crepaturam fere, ſuperveniente ſudore univerſali & copioſo, urinam plane referentem, non ſolum ventris conſederit tumor, ſed & calculus eo ipſo tempore per ordinariam prodierit viam, reſtituta hinc ſanitate. *Tackenius* in ſuo Hippocrate Chymico aſſerit, ſe ex induſiis à multo ſudore ſordidis extraxiſſe ſal in omnibus ſali urinoſo ſimile ejusdemque cum illo naturæ: immo *Th. Bartholinus* Centuria I. Hiſtoria 34. refert ſe vidiſſe ſæpius ſudores quaſi arenoſos in iis, qui calculis vexarentur. *Bohnius* in

in circulo suo Anatom. cap. de Transpiratione & sudore, commemorat casum hypochondriaci, sudoribus affecti nocturnis velut arenosis, quorum salia parum differebant ab iis, quæ urinæ hypochondriacorum innatantia variisq; coloribus resplendentia conspiciuntur; id quod clare demonstrat, serum urinosum æqualiter transire tam per poros & vasa renum, quam per glandulas totius corporis. Hinc igitur credibile fit urinam nostræ Religiosæ in stomachum penetrasse per illius glandulas, & ab ipso rejectam esse per vomitum, à salibus stimulato. Quodsi quis causam ex me quærat, cur tam multi, qui suppressione urinæ laborant, hoc sudoris vel vomitus beneficio non gaudeant, cum viæ per unam aut alteram partem tunc facile pateant? illi respondebo, quod plerumque hi, qui ex hoc malo decedunt, viscosis humoribus scateant, unde sicuti urinæ secretio per renes ad vesicam facile, ita quoque regressus ejusdem ad alia loca impediri facilius potest; quale quid vix potuit vsu venire in nostra Religiosa, quum nulla humorum crassitudo caussa suppressionis extiterit, sed calculus collum vesicæ obstruens; si amplius ex me quæratur, quare à *Tiberio* condemnati, ut per urinæ suppressionem necarentur, isto vomitus beneficio non gavisi sint, quum illorum urina forte nullam singularem haberet crassitudinem, respondere licebit, illos miseros non simpliciter ob urinæ suppressionem interiisse, sed etiam per violentas constrictiones & maxime dolorificas ligaturas genitalium membrorum, quod diserte indicat *Suetonius*, dum de illa *Tiberii* crudelitate scribit: *Excogitaverat autem inter genera cruciatus etiam, ut larga meri potione per fallaciam oneratorum repente veretris deligatis, fidicularum simul urinæque tormento distenderet.* Sed ego nunc ad alteram propositi mei partem transeo, inquisiturus quomodo clysteres crebro adhibiti vim nutriendi vitamque Religiosæ conservandi habuerint, quum probabiliter in stomachum non ingressi, multo minus digesti in eo fuerint.

Primo autem supervacaneum foret contendere, num sola sacchari frustula, ac paucæ julepi guttulæ quotidie assumtæ, nostram religiosam vivam servare potuerint? si respiciamus ad exiguam quantitatem, non æque ad qualitatem sacchari, quod nescio quale acidum stomacho nocivum continet, adnotante post alios *Hoffmanno*: *Omne saccharum acidum in se continet, ob quod scorbuticis & febricitantibus nocet, quod varias & vitiosas effervescentias suscitat, & ventriculi vitale fermentum corrumpit*; unde illi non potuit subministrare nutrimentum ad tantum tempus sufficiens: & quod ad perlas cum eo parce admodum permistas attinet, hæ quoniam nil sunt quam coagulationes terreo-alcalicæ quarundam concharum, pauciſſimam imo ne minimam alibilem materiam potuerunt contribuere. Porro nec disputabimus, an pauca ova per totum morbi decursum ore assumta, potuerint vitam Religiosæ producere, quandoquidem viginti illa in universum comesa intra quindecim menses, si accurate dispertiantur, paulo plus uno cuilibet tribuendum erit mensi, atque hinc facile apparebit, quantillum alimenti competat in singulos dies. Restat igitur ut concludamus, sustentationem vitæ hujus Religiosæ, solummodo enematibus nutriendi fine usurpatis adscribendam esse. Confido autem neminem mihi contradicturum, quod per anum infusa ejusmodi ordinarie ultra intestinum colon non progrediantur, ob valvulam, in principio illius appositam, quæ non permittit, ut aliquid altius ascendat in ventriculum; Quemadmodum igitur dicti clysteres nutrimentum, deficiente alia materia per omne temporis spatium suppeditaverunt, ita necessario credendum est, in intestino colo eos suam sustinuisse digestionem; quod quidem quibusdam videbitur alienum, qui forsitan præconcepta tenentur opinione, quasi intestinum colon non nisi excrementorum esset receptaculum; ast experientia cum ratione conjuncta nos facile docet, illud non esse simi-

plicem

plicem cloacam, ſed ſimul inſtrumentum ad fermentationem ac digeſtionem alimenti idoneum, & hoc nomine ventriculi ſuccedaneum. Ad probationem aſſerti facit, quod ſupra notavimus, Religioſam nempe noſtram ſubinde excrementa reddidiſſe dura, & colore ovis applicatis ſimilia: unde haud obſcure colligitur, ova cum juſculo ſoluta & infuſa prius digeſta fuiſſe in colo, & pro meliori ſaltem parte ad vaſa chylifera tranſiiſſe, magis vero craſſam materiam in inteſtino remanſiſſe, & in excrementa globulorum forma coiiſſe.

Quod vero inteſtinum colon habeat facultatem digerendi, hoc nobis perſuadet ejus ſtructura analoga cum tenuibus inteſtinis ipſoque ventriculo, quoad tunicas, vaſa, & glandulas, ut ita ſuo loco perinde ac ſtomachus cum reliquis inteſtinis digerere valeat. Recte igitur Bohnius in cap. de Chylificatione admonet: *Nolit ſibi quis perſuadere, ſolum ventriculum huic muneri vacare, prout à plerisque hactenus factum, ſed chylificationem in ventriculo inchoatam, in inteſtinis continuari & abſolvi; quatenus ratione non minus ſubſtantiæ ſolidæ ſeu tunicarum, quam fluidæ, ſeu lymphæ adfluentis, hæc,* nempe inteſtina ipſumque adeo colon *Ventriculus revera continuatus exiſtunt.* Quamvis igitur inteſtinum colon, in ordine quia ultimum eſt, videatur magis ad recipienda excrementa, quam ad digerendum eſſe deſtinatum, non tamen ideo debet excludi ab illo officio; ſicuti etiam *Gliſſonius Aquapendentem* redarguit, propterea, quod hic arbitratus eſt, inteſtina craſſa duntaxat ad recipienda excrementa inſervire, contrarium in brutis oſtendens & ſubjungens: *quod vero nec in homine ſola excrementa contineantur, eluceſcit ex eo, quod venæ lacteæ, ad hæc quoque inteſtina ſatis numeroſe diſpergantur, indeque lacteum ſuccum eliciant,* & in alio loco: *Lacteæ hujus inteſtini venæ nec infrequentes nec obſcuræ reperiuntur, & quidem lacteo ſucco opulen-*

to refertæ cernuntur, unde constat non solis excrementis damnari, sed & crassioris chyli extractioni inservire.

Non citra rationem itaque possumus dicere, hoc intestinum, tanquam alterum esse ventriculum, quia & insignis est capacitatis, & in vicinia ejus collocatum atque positum, ita ut propter hanc vicinitatem alterum organon alteri subvenire, & vicariam præstare operam in digestionis munere queat. Naturam autem non abhorrere, immo potius velle pluralitatem ventriculorum in animalibus, vel inde patet, quod pennatis duos, ruminantibus quatuor concesserit, ad unicum officium digerendi ac in chylum convertendi alimenta.

Quum igitur intestinum colon facultate digerendi polleat, sicuti probavimus, consequens est, clysteres nutritios liberaliter applicatos, unice quasi subministrasse alimentum per omne tempus inediæ ad Virginis religiosæ sustentationem; quo ipso exemplo simul dissolvitur quæstio à Medicis tam frequenter agitata, *utrum Clysteres nutriant?*

SCHOLION.

SAtis equidem operose Autor hujus observationis, opido raræ, consectaria sua confirmavit: Hoc tamen nihilominus restat dubium; *quibusnam viis urina ex renibus, aut vesica, pervenire possit ad glandulas ventriculi?* Constat his inseri extremos ramulos arteriæ cœliacæ: ast nullum huic commercium intercedit cum renibus & vesica. Neque alia ad revehendum præsto sunt organa, præter venas & vasa Lymphatica: Sed de utrisque pariter difficile est demonstrare, quomodo resorbere queant lotium jam secretum in renibus, multoque magis in vesica; aut saltem quomodo idem ἄγρατον, h. e. *syncerum*, derivari potuerit in ventriculum? cum illud prius necessario debuerit cum sanguine denuo permisceri, & lege circuitus communis, à corde in arterias, & hinc

& hinc longe lateque per corpus diffundi, ante quam ad stomachum pertingeret. Quare aut ignorantiam modi necesse est confiteri, aut, quod perinde est, ad *incognitum vasorum devehentium genus confugere.* Et horum quidem ductuum inventio, ad exemplum complurium aliorum œconomiæ corporis humani phænomenorum, nuperis demum temporibus declaratorum, aliquando contingere potest: *Diu enim canaliculi chyli lactei, etiam lynceos sedulorum naturæ scrutatorum subterfugerunt oculos, diutius qui claram ducunt Lympham: forsan igitur aliquando in cadavere strenui cujusdam bibuli, qui continua irrigatione vias urinarias satis reddidit patulas, aut alia occasione aperientur, quæ hactenus opertæ fuerunt;* ceu non inepte existimat & sperare jubet Clar. D. *Jac. Chr. Scherbius*, Ephemerid. Nostr. Acad. Centur. III. & IV. pag. 15. Interea talem urinæ metastasin ad ventriculum factam, eo facilius credere decet, quo minus desunt casus consimiles, ab aliis Autoribus observati. Unicum adducere jam sufficiat, quem Illustr. *Vallisnerius*, Ephemer. A. N. C. Cent. IX. & X. pag. 341. recensuit, *Puellæ scilicet annos XIIX. natæ, cui ex improviso suppressa fuit urina; decem transactis diebus supervenit serosæ materiæ vomitus, colore, sapore & odore urinam referentis, cujus indolis salivam quoque expuebat;* servata nihilominus puella, & sanitati restituta est idoneis remediis. Quin etiam *Salmuthus*, in observatione citata, commemoravit *anhelitum urinaceum*, quem adstantes percipere poterant, in Chimico famoso Ischuria laborante. Tacemus exempla *Urinæ*, viis ordinariis præclusis, *per alvum redditæ*, tum etiam *ex oculis, sub axillis & in inguine transudantis;* cujusmodi identidem in Ephemeridibus nostris occurrunt.

Quod attinet ad alterum Autoris præmissæ observationis Problema; *utrum clysteres decenter præparati & applicati, urgente necessitatis casu nutrimentum sufficere queant?* Indubitatæ illi historiæ adjungimus aliam à *Guil. Fabr. Hildano* Cent. IV.

obs. 30. traditam, gravidæ nimirum Matronæ, quæ per sex hebdomadas ab omni fere cibo ac potu abhorruit, usu tamen clysterum ex jure carnium, & ovorum vitellis paratorum, conservata feliciter cum ipso fœtu fuit.

(Eugenianus I.)

OBSERVATIO VII.

DN. D. PHILIPPI JACOBI WEIGANT.

De

Bubonibus Verminosis.

VOcatus die 27. Sept. An. 1729. ad Virum, temperamenti sanguineo-melancholici, sexaginta duorum annorum, de nuptiis per triduum celebratis, domum reducem, lamentabiles audio querelas de insigni utriusque inguinis dolore, intolerabili ardore, intumescentia, appetitu prostrato, vigiliis immodicis, cum pulsu duro, celeri & pleno, aliisque symptomatibus. Impetrata venia inspiciendi affecta loca deprehendo bubonem utrumque tumentem & inflammatum. Miratus ego in viro tantæ ætatis, talem morbum, ulterius in causam ejus inquirere cœpi, æger vero constanter negavit sibi cum re venerea decem ultra annos, vel quicquam commercii fuisse. Jubeo acciri Chirurgum, atque ob symtomatum copiam, præsertim verò febris intensioris præsentiam habitumque corporis pleniorem, incidi venam medianam brachii dextri; ex qua ubi sanguinis ebullientis circiter ℥ VI. effluxerunt, patiens paulo melius se jam dum habere affirmavit: Altera die rediens, locis affectis emplast. Diachylon cum gum. applicari, supraque illud epithemata ex herbis emollient. cum lacte imponi mandavi: interne vero diapnoicis temperatioribus, ac emulsionibus con-

continuare suasi, quod ubi per dies quinque observatum esset, patiens dolore minuto, bubones pulsare & emollitos sensit; vocatus hinc Chirurgus, phlebotomo eosdem, jussu meo aperuit: Et ecce, non sine stupore nostro vermis seu lumbricus spithamæ unius longitudinem superans, capite subcæruleo, & faucibus conspicuis exiliit; mox etiam ex altero bubone inciso consimilis prodiit vermis, ac simul insignis fœtidi puris copia. Patiens vero vigesimo abhinc tertio die, tam chirurgice quam pharmaceutice rite tractatus, optime convaluit.

(*Vienna Augustam Vindel. missa, M. Januar. A. 1730.*

SCHOLION.

LUmbricos per inguina suppurata prorupisse, non semel observatum legimus. Et in *Ephemeridibus* quidem A. N. C. Dec. I. An. VII. & VIII. observ. 144. notabilis à D. *Simone Schulzio* exponitur historia puellæ XI. annorum, cui post diuturna inguinis tormina facto abscessu, exierunt duo primum, deinde plures lumbrici, interdum cibis liquidis, interdum fæcibus alvinis comitati. Ex hoc igitur, aliisque ibidem notatis ejusmodi casibus manifesto apparet, vermes illos ab intestinis peresis prodiisse.

Num vero ii etiam, quorum præsens observatio meminit, ejusdem fuerint prosapiæ, non omnino exploratum habetur; quoniam signa erosionis intestinorum nulla commemorantur, & subsecuta ulcerum tam expedita facilisque sanatio contrarium persuadere videtur.

OBSERVATIO VIII.

DN. D. JO. ADAMI LIMPRECHTI.

De

Mola cavernosa, dentibus pariter ac pilis referta, per umbilicum in lucem edita, matre superstite.

Anno cIↃ IↃc xcviii. tempore æstivo, Theophilus Hölzelius, tunc temporis Hundsfeldensis, postea Serenissimi Ducis Würtembergico Olsnensis & Berolstadiensis Dn. Christiani Ulrici, Domini mei, dum viveret, Clementissimi chirurgus, Vratislaviam Silesiorum Metropolim, ubi ea æstate vivebam, mittebat mihi massam exterius membrana obductam, quæ rotunditate & magnitudine sua æquabat follem, scilicet pilæ genus ex pelle vento inflatæ (vulgo *Balon*) de quo olim *Martialis*;

Folle decet pueros ludere, folle senes:

dextram meam pondere suo deprimentem: Accepi eam una cum literis, quibus nunciabatur, se, Chirurgum, in itinere ad ægrum quendam constitutum, vocem flebiliter gementem, nec opinato auribus suis percepisse, quam cum ipse prosecutus fuisset, in mulierem quandam incidisse sepimento campestri accubantem, prope Oppidulum Hundsfeldt nominatum, distans milliare Germanicum ab urbe Wratislavia; partus dolorum anticipatione, ut illi videbatur, laborantem, opinionem suam confirmavit globus mihi missus, ægrotæ pedibus interjacens, hunc enim ex utero protrusum primo persuasum sibi habuit Chirurgus sed conjecturam istam fuisse erroneam ipsa declaravit mulier, referens, talem fœturam ex umbilico suo proditam; ac ne ullum relationis

hujus

huic restaret dubium, ipse mulieris umbilicus rei veritatem luce meridiana clarius demonstrabat, à partu hoc nondum penitus clausus sanieque pilosa, qualis in dissectione postmodum inveniebatur commaculatus. Nam doni hujus à Chirurgo accepti, cultro anatomico à me subjecti interior substantia in multis locis fere callosa, curiosis oculis ostendebat cavernulas varias distribute collocatas, sanie subviridi repletas, cui pili minuti & ad colorem rufum accedentes innatabant, in quibusdam officula, dentibus humanis, qui ab anatomicis canini dicuntur non dissimilia reperiebantur. Tres cavernularum harum singulare quid occultabant; etenim unaquæque pilorum jam memoratorum copiam dense & firmiter compactam, fructus Anacardii figuram obtinentem possidebat. Partus hujus dentiformis non minus ac piliferi testis fuit oculatus B. DN. LUCAS SCHROECKIUS, Cæsarei Naturæ curiosorum in Germania Collegii Præses, longævitate & laborum tolerantia splendidi ejusdem muneris Antecessorum nulli secundus, atque meus ad obitum usque Fautor non è multis, cum quo commercium litterarum mihi fuit per triginta & quod excurrit annos, & cui hujus anni initium vitæ suæ finem imposuisse universa mecum dolet Academia nostra: Ille miranda hæc propriis usurpare oculis gestiebat. Ut itaque desiderio tanti viri à me satisfieret, Vratislavia Silesiorum ea misi Augustam Vindelicorum. Monitus quidem fui ab ipso in responsoriis die 17. Julii 1698. ad me datis, ut rarum istud phænomenon cum erudito orbe statim communicarem; duriora autem fata, ex dispersis chartis meis eadem evolvere vix tandem mihi concesserunt. Hæc de partu: Jam de parturiente per locum insolitum, plura addere verba, ut veritas historiæ magis eluceseat, labor superfluus mihi non videtur. Fœmina ista erat annorum quadraginta trium, cui nomen Elisabetha, ruricolæ Michaelis Strilkii filia, conjux Johannis Bergeri, subditi Abbatissæ

Trebnicienſis, in pago Lucina appellato, quatuor milliaria ab urbe Sileſiorum capite in Ducatu Olsnenſi ſito, ubi ego comite chirurgo ſupra nominato eam ſalutavi, nondum anno à partu hoc mirabili completo, & ſequentia ex ore ejusdem percepi: Se cum marito ſuo per novendecim annos jam vixiſſe in conjugio; biennio poſt nuptias prima vice peperiſſe, & quidem filium; abhinc per quindecim menſes variis vexatam fuiſſe febribus, quartana nimirum in tertianam mutata, quam excepit intermittens quotidiana ſimplex & duplex. Durantibus febribus abdomen præternaturaliter intumuiſſe, morbum vero hunc chronicum, poſt purulentum ex naribus per duos dies effluvium, una cum tumore abdominis finitum; menſibus viginti ſex peractis, filii ſecundi matrem factam, integro anno ſequente ſanam vixiſſe atque incolumem; hoc elapſo, rediiſſe ventris tumorem magis auctum cum dolore pungente & difficili reſpiratione: abſoluto triennio tertium enixam eſſe filium, ventremque per decennium remanſiſſe tumefactum, & tandem in ſiniſtro epigaſtrii latere circa regionem umbilicalem quatuor foramina fuiſſe aperta, ex quibus multa ſeroſa, pure pilisque minutis intermiſta profluxiſſe, ſed & ex eodem umbilico, ſub dolore vix explicabili, pilos extractos ſe obſervaſſe prioribus longiores, utpote qui tribus vicibus digito circumvolvi potuerint. Tot tantisque excruciata malis, non tamen deſiit duas adhuc progignere filias, quinque adeo liberorum & genitrix & nutrix, ex quorum numero filius primogenitus vivere deſierat, duos autem filios totidemque filias proſpera valetudine gaudentes meis conſpexi oculis; ſoboles ultima quinque annorum erat filia. Lochia ſemper ipſi perpauca, menſtrua, quæ decimo & ſeptimo ætatis anno acceſſerant, fere nunquam debitum obſervarunt ordinem; virgo nimia paſſa, conjux rariora, poſt primum partum maxime exigua, poſt reliquos fere nulla, niſi ante ſeptennium bis per

unum

unum diem & mense subsequente per tres dies. A sexto ætatis suæ anno semper valetudinaria, cui dulcia & flatulenta ex posterioribus præcipue pastinaca domestica lutea, & brassica capitata graviora excitassent ventris tormina. post menstruorum tamen accessum mitigata. Coronidis loco hoc addendum: *Molam*, ut ita dicam, *umbilicalem, folliformem*, à chirurgo mihi missam, non primam fuisse quam fœmina hæc in lucem tali modo emisit; confitebatur enim aliam huic consimilem nondum exacto quinquennio ex umbilico suo non dilacerato, sed dilatato saltem prodiisse locumque illum in latere sinistro regionis umbilicalis, ubi sedem suam habuisset jam adhuc se sentire vacuum; quid vero latuerit in rotunda hac massa priore, à nemine credebat examinatum fuisse.

(Berolino Altorfium missa d. 25. April. 1730.)

SCHOLION.

Molas uteri non solum forma externa & magnitudine, sed & materia & constructione, in infinitum quasi variare, notissimum est. Tantoque latius patet ipsarum genus, quanto liberalius ad idem referri solent concreta quælibet, quæ præter formatum fœtum hujusque secundinas, ex utero prodeunt; quamvis non citra confusionem, dum sic sæpe grumi sanguinis & secundinarum appendices aut reliquiæ venditantur pro molis, quæ proprie dictæ nihil aliud sunt, quam *ipsa ovula, male fœcundata & concepta, nec sufficienter ad organicum hominis corpus reddendum informata.* Quare in *molis* ejusmodi *genuinis* aliquid fœtui, aut partibus ipsius, aut secundinis saltem plurimum simile observatur; etsi ruditas obstetricum id rarius attendat: Hinc fere est, quod molæ pleræque à solo habitu externo communiter definiantur, neglecta conditione interna, cujus tamen consideratio haud parum lumi-

nis afferre posset theoriæ de conceptu partuque humano. Cæterum in casu præsenti, cujus nempe causa hæc hactenus commentati sumus, duo cumprimis animadvertenda occurrunt, *molæ contenta singularia, & locus unde prodiit ipsa, plane extraordinarius.* Illorum, videlicet *pilorum ac dentium*, consimile prorsus exemplum notavit luculenterque descripsit Clar. D. *Jo. Jac. Grambsius*, edito lingua vernacula opusculo Francof. 1730. Erat autem ista *mola* XVIII. pondo, deprehensa in ventre mulieris defunctæ, supra uterum mesenterio adnata, *crinium variis glomeraminibus, omnisque ordinis dentibus sparsim fœta.* Mirum sane & obscurum, cur Natura, omissis principibus humani corporis partibus, in utraque mola, eas adeo distincte produxerit, quæ alias in embryonibus deficiunt, aut parce admodum comparent, utpote homini nascenti minus necessariæ. Majorem adhuc admirationem habet modus, quo utraque mola extra uterum, si non primitus concepta, saltem deinceps constituta, nutrita & amplificata; & in nostro tandem casu, integra tantæ molis, per insolitam plane viam (nempe umbilicum) excluſa fuerit? Huic profecto simile quid, inter innumeras Medicorum observationes, legisse nos haud recordamur; situti nec *Thomas Bartholinus* in perampla Dissertatione *de insolitis partus humani viis*, ullum compar exemplum proposuit, tametsi seorsim in cap. X. varias mortuorum & putrefactorum fœtuum, per aut prope umbilicum abscessu facto, frustatim extrusorum historias recenseat.

(Eugenianus I.)

OB-

OBSERVATIO IX.

DN. D. JO. DANIELIS GOHLII,

De

Quartana Duplici, habituali facta, Croco Martis aperitivo Stahliano percurata.

PUella 6. annorum, circa Æquinoctium autumnale anni 1729. menſe Septembri, ubi quartana epidemiam quandam formare videbatur, una cum fratre natu majore, poſt eſum fructuum nondum ſatis maturorum, præviis torminibus abdominis, in *quartanam* delabitur *ſimplicem & intermittentem.* Non ſtatim, pro more vulgi, parentes circumſpiciebant remedia, reputantes, tam feſtinatam febris oppugnationem male ceſſuram. Quare cum tertio forte Septembris die primam acceſſionem habuiſſet, ſub finem ferme menſis requiſitus, vomitorium ætati conveniens, ex ſale vitrioli, die 18. & vacuo ordinabam, cum multa euphoria, & paroxyſmi poſtpoſitione, ſubjungebatur verſus inſtantem acceſſionem potiuncula ex oxyſalibus conſtans, qua ſenſim ſenſimque inſequentes acceſſiones miteſcendo decreſcebant.

His tam benignis morbi aſpectibus autem exacta Diætæ Obſervatio non jungebatur. Interea quoque una cum parentibus Berolinum proficiſcebatur ægra, ſub ſpe mutationem aëris Medicinam fore, aſt redibat cum febre. Indulgens ita genio ſuo, præprimis à paſtu verſus acceſſiones ſibi non temperans, nova ſemper dedit febri & nutrimenta & incrementa. Laxavi illam iterum diebus vacuis & ſubjunxi infuſum cum vino ex radicibus aperientibus, addito Cortice Peruviano cum radice Aſari. Videbatur hoc ipſum etiam acceſſiones febris imminuere imo etiam abolere, quare ni-

mis cito securi parentes parvulam iterum secum in concionem ducunt, ubi statim post febris recrudescit, per singulas accessiones semper insolentius, cum vomitibus spontaneis & ex simplici statu transibat in *duplicem*. Ab ulteriore usu infusi desistebatur nunc, & ut vomibundæ accessiones mitescerent, iterum ordinabam potionem ex oxysalibus paratam, qua quidem vomituriens symptoma compescebatur, febris autem duplicari non cessabat. Hinc præmissa iterum evacuatione per Magnesiam in emulsione datam, descendebam ad adeo commendatum usum Salis ammoniaci cum Sale Cardui benedicti; Videbatur etiam hoc remedium contra febrim aliquid præstare, sed cum necessaria diætæ observatio, qua febris ventriculum semper vacuum offendere deberet, locum non haberet, omnis remediorum, etiam optimorum effectus, sic eludebatur.

Febris duplicatæ ratio consistebat in sequentibus: Prima & ordinaria accessio primo die, & erat intensior in suis motibus & longior in duratione, sed postponens; quam illa, quæ secundo & insequente die formabatur, utpote quæ & mitior, brevior, & ferme ad horam unam & alteram anticipando prior erat.

In hac *febri habituali* facta, quæ scilicet à Septembri anni 1729. per Octobrem Novembrem & Decembrem ad Januarium usque anni curr. 1730. ad minus binas recidivas formando, perduraverat, tandem tentare volui, quid *Crocus martis Antimoniatus Stahlii* sit præstiturus. Memineram enim me aliquando in viro adulto ex Castris Polonicis tum reduce facto, quartana intermittente contumaciissima affecto, *hujus croci* effectum admodum præsentem expertum esse. Debebam præterea in hoc immorigero subjecto talia Medicamenta seligere, quæ non adversi sint saporis. Adornavi itaque Medicamentum ex dicto croco sequentem in modum pro una dosi.

℞. Croc.

℞. Croc. Mart. Antimoniati Stahl. gr. iij.
Sal. Card. bened. gr. iv.
Sacch. gr. vj. M. f. pulvis.

Dabatur una dosis bihorio ante accessum, qui erat circa Meridiem, dein quoque dosis alia sero & mane diebus paroxysmi. Intercalari autem die dabatur Essentia Gent. rubr. c. Cascarill.

Per solitarium & continuatum horum pulverum usum, concurrente strenua diætæ observatione effectum est, ut paroxysmus primæ statim diei, ita & insequentes multum à sua vehementia remiserint, alter autem secundæ diei, in secunda accessione emanserit, & sic *febris se in simplicem denuo reduxerit typum.* Febre sic denique secure fugata, diætæ hactenus observatus vigor intempestive iterum laxabatur, & sic febriles simplicis saltem, iterum evigilabant motus, quibus ut nutrimentum detraherem, evacuabam parvulam cum Ipecacuanha & instabam usui pulverum ex *croco Martis Antimoniato* paratorum, & sic febris in solidum hactenus fuit & mansit sublata, patiente constanter vegeta & sana.

Epicrisis.

Febris præsentis exemplum, unum esse ex contumacibus, quilibet credo facile perspiciet; & quidem tanto contumaciorem extituram, si remedium conforme nondum inventum fuisset. Quæ enim ultra tertiam anni partem se extendunt, facile anniversarium tempus permigrare solent, adeo ut exempla extent, quæ per plures annos durarunt.

Certe Febris in se spectata non est illud, quod consuescit actus in tam extensum tempus reiterare. Febris enim est motuum adversus peccantem materiam certa & determinata ratio. Hinc febris non est morbus; sed morbum constituunt duo correlata: sc. principium illud, quod motus

tus in suam determinat formam vel typum, pro materiæ peccantis ad corpus vivum habitudine, & materia peccans excernenda.

Jam palam est *Consuetudinem* & *habitum* cadere non posse nec in materiam morbi, nec in febrim per se spectatam, sed in principium febris rationem instruens. Et hic simul aperitur ratio, cur motus in morbis, præprimis in febribus esse possint, absque causa materiali physica, stimulante & irritante, ex sola protervia, à priori, quæ residet in temperamento animi, & res est mere moralis.

His præsuppositis exigunt Febres habituales factæ remedia, habitum motuum (nam ad materiam in his casibus non semper respiciendum est) sistentia, quæ ejusmodi indolis esse debent, ut agant in principium, quod motus instruit & illos ex pertinacia citra necessitatem continuat. Talia sunt *Adstringentia, specifica tonica* & *Anodyna*. Nullum ex recensitis rem habet eum materia physica, & si intempestive adhibentur, gravis expectanda est læsio, materiam enim non evacuant, sed incarcerant; ad habitum autem motuum sistendum apprime conveniunt, agunt enim per sensum in sentiens & movens. Nullum itaque hoc scopo securius febrifugum adhiberi potest, præ *Croco Martis Antimoniato. De quo simul notabile fuit in præsenti casu, quod cum dosin prima vice sumsisset ægra, paroxysmus validior quam hactenus insecutus sit in horrore & æstu; patiens autem in ejus declinatione in profundum somnum ad 4. horas durantem sine noxa ceciderit in reliquis non similiter.* Ex quo effectu colligere licet quod sulphurea etiam natura *crocus* iste profuerit.

OBSER-

OBSERVATIO X.

DN. D. JO. DANIELIS GOHLII.

De

Ulcere lumborum, ex translatione hæmorrhoidum fistuloso, per aquam gryseam sanato.

VIr juvenis 32. annorum, à servitiis cellæ regiæ vinariæ, Cholerico-sanguineus, iracundus, diætæ plenæ ac vinosæ deditus, parentibus natus Nephritico-calculosis, narium hæmorrhagi is nunquam obnoxius, ne quidem ex caussis violentis; neque ad Venæsectiones aut scarificationes adsuetus, nisi quod anno 13. febre petechiali decumbens ex Medici jam pridem defuncti suasu, in brachio dextro primum & semel sanguinem miserit. Juvenis existens expetulanti ætatis indole, ferocientes equos audacius & frequenter conscendere sategit, adeoque contigit circa annum ætatis ipsius circiter vigesimum, ut, cum effrene tale animal ipsum sessorem pati recusaverit, dejectus ephippio, jubis adhuc tenax adhæserit. Ab hoc tempore lumborum valida extensione facta, concurrens terror latentem dispositionem suscitavit, ut prima ad has partes fieret congestio. De inuadente enim in dextra lumborum regione dolore pressorio, subinde recurrente, se infestari conquestus est, quem quidem neglexit, donec vix quarta anni pars elapsa esset, & semel commotus ad excretionem sanguis, ex connata naturæ indole, *qua in certa ætate ad certa loca pro tentanda excretione assuevit*, recursum faceret ad pectus, sub schemate *Peripneumoniæ*, id est, febris acutæ inflammatoriæ, cum oppressa respiratione, doloribus pungitivis, tussi & sputo cruento. Qua feliciter brevi discussa, vel 4. elabebantur anni, ubi denuo dolor in

lumbis prestius urgere, & id excernere volebat, quod à parentibus traductus habitus exegit; quippe dolor coxendicum ad scapulas usque se extendens, & rigida ossis sacri tensio, quæ ipsum, *Charlottæburgi* (unum lapidem Berolino siti) prehendebant, ut erectus incedere nequiret, jam tum loquebantur, mutam naturam occupari circa excretionem sanguinis hæmorrhoidalis, qui etiam tum temporis meliore fato quam jure (dederant enim ægro infusum baccarum juniperi saturatius) suam obtinebat perruptionem. Ast Medici, quorum intererat, ut intentionem naturæ callerent, hanc male intelligentes, in perversum egere per consilia & remedia ad Nephritidem calculosam directa. Hinc evenit, ut ante 4. annos circa æquinoctium vernale acerbissimis in dextro lumbo doloribus continuis, sed tamen paroxyzantibus, fuerit prehensus, qui ipsum clinicum detinuere per 12. septimanas. Adscivit in solatium dolorum beatum D. D. *Wolfium*, Medicum, constanter ad calculum renalem sua dirigentem medicamina, & evenit ut sponte exantlato paroxysmo supervenientes hæmorrhoides fluentes tandem nephriticis paroxysmis dederint inducias. Ast appropinquante æquinoctio autumnali idem atrox paroxysmus lumbum dextrum nostri ægroti iterum satis truculenter invadebat; nec sese per anodyna, juncta pellentibus, placari passus est, nisi post *enixum calculum* magnitudinis amygdali. Revertente æquinoctio vernali revertebantur etiam dolores miseri nostri calculosi, qui tamen sine partu calculi præsentis paroxysmi faciebant transitum. Mense Julio anni 1708. Regem Thermas Carolinas petentem sequutus, satis tolerabiliter se habens, semel saltem curiositatis gratia balneum ingressus est. Vix autem 4. dies effluxerant, & ecce dolor afflicti lateris immaniter recrudescit, ad quem demulcendum sibi varia à Pharmacopæo Aulico itinerario parari curavit, quæ cum nimis calida fuerint, pertinacem quoque & alias inconsuetam

alvi

alvi obstipationem inducentia, nihil nisi mali perpetuam & durabilem usque ad reditum constantiam effecere. Itinere post graves & dolorosas succussationes corporis, quas compresso spiritu sustinere debuit, per saxa montesque absoluto, vix per 8. dierum spatium continuantem in lumbo dolorem, inter ipsi competentes dolores concoquere potuit; quin graviores redditi, ipsum tamdiu lecto affixum detinuere, donec infelix calculi, figuram corculi lenticularis referentis, partus inanem daret spem cessaturi paroxysmi. Quippe nihil sublevatus, in tertia post decubitum septimana, primo indicia latentis quoque abscessus per elatiorem in lumbo dextro tumorem, figuram soleæ ferreæ referentem, apparere cœperunt, quem Chirurgus pariter ac Medicus topicis primo discutientibus, demum his irritis, etiam emollientibus, tractare omni studio annisi sunt. Quum autem latens abscessus per adplicata emollientia ad rupturam deduci non posset, patiens autem per interna symptomata febris conjuncta ferme exhaustus esset, in ancipiti statu ultimum tentandum erat. Chirurgus, posthabita omni hactenus cauta tergiversatione, adacta in tumorem lanceola, latenti puri portam aperiebat. Effluxerunt primo die prima vice, puris parumper male olentis & sanguinolenti tres tertiæ mensuræ; secunda vice vero pus nihil olens, & belle coctum iterum ad duas tertias mensuræ, ita ut per primam septimanam ex aperto hoc abscessu quatuor mensuræ puris fuerint evacuatæ. Elapsis 4. septimanis profunditas ulceris in examen vocabatur, & deprehendebatur valde cavernosum, interim per frequentes injectiones balsamicas mundificatum, ut hinc post decursum 6. septimanarum consolidatum fuerit, at cum eventu fallaci materia adhuc in insidiis latente. Quippe vulnus vix per 6. septimanarum decursum in coalitu perstiterat, ubi, accedente novo succussatorio motu, pristinus dolor cum omnibus suis accidentibus stipatus, ita recrudescebat, ut novam coa-

liti vulneris sectionem instituere necessum fuerit, quo facto effluxit materia solito valde olidior. Manebat ulcus in aperto statu per quadrantem anni, quo tempore paullo negligentius curabatur, ac per varia tentamina ac immodesta ministeria non leviter exacerbabatur; nihilominus exterius os ulceris semper coalescere gestiebat, quod etiam concedebatur. Mansit iterum ita coalitum per 14. dies; ast dolor lumborum, cum gravativa omnium artuum delassatione denuo suadebant apertionem, quam Chirurgus fere lubentius in inguine, ubi sese pariter aliquis dolor pressorius exserebat, tentasset, nisi incertus de materia ibi latente fuisset. Aperiebatur itaque in consueto loco, & dilatabatur vulneris orificium per turundas, ne iterum opinione citius coalesceret. Continuavit etiam Chirurgus, ulcus hoc omni solertia per varias injectiones mundificantes & balsamicas tractare; sed cum se sperato effectu & eventu semper videret frustratum, castra sequi jussus, Patientem terrifica prognosi, sub præconcepta persuasione impossibilis sanationis, dereliquit. Ita omni spe orbatus Patiens, (ulcus enim nec mundificatum nec deligatum fuit per plures septimanas) noctes inquietas transigens, ardoribus hecticis consumtus, & ad incitas virium redactus, quærit hinc inde suo malo remedium, sed nusquam invenit: Aut enim impotentia artis, aut insciția prætendebatur, Tandem miro fato suasu amici, qui & me Halæ noverat, ad me ferebatur neotericum, (vix enim Halam linquens accesseram,) quod an meliore eventu, quam præconcepta spe aut expectatione factum sit, curationis decursus docuit. Curavi itaque, ut me præsente ulcus, per Chirurgum castrensem, quod per 6. septimanas non erat repurgatum, & negligentius curatum, deligaretur, & ejus cavitas per candelæ cereæ insertionem exploraretur. Excernebatur autem hac vice admodum putida & nigricans materia in satis larga quantitate, quæ tamen in subsequentibus deligationibus,

bus, post factas liquoris mox nominandi injectiones, sensim fiebat benignior & coctior. Deprehendebatur autem ipsum ulcus (quod in dextro lumbo intra costarum spuriarum & coxæ istius lateris metam, palmam à spina dorsi distans situm erat) tribus insignitum profundis cuniculis: cujus *prima cavitas* antrorsum versus inguina descendebat (ubi, ut antedictum, Chirurgus secundam tentare voluit sectionem,) & æquabat profunditate longitudinem unius spithamæ: *Secunda cavitas* directius magis ducebatur quasi ad ipsum renem istius lateris (quod etiam Chirurgus judicaverat, quare de ejus restitutione desperabat,) profunditate digiti medii manus. *Tertia cavitas* per obliquum dorsi ferebatur in altum versus scapulam, & æquabat pariter profunditate longitudinem spithamæ. Tres hæ cavitates intus callo obductæ, commune os externum habebant angustissimum, quod, ne coïret præcocius, semper turundarum efflagitabat insertiones. Rebus sic exploratis & satis deploratis repertis, tradidi ipse Chirurgo peculiarem liquorem, *aquam gryseam* vocatum, cujus Descriptionem inserui *Act. Berol. Volumini tertio Decadis primæ*, p. 90. pro injectione ad rebelles ejusmodi & callosas ulcerationes efficacissimum pariter ac expertissimum, ad cujus scientiam practicam me domesticus ac deplorabilis casus, initio quidem ex præjudicio invitum & trepidum, ex eventu vero fortunatum, ne filiæ meæ funus viderem, perduxit. Quo liquore hactenus, decenter manu chirurgica quotidie bis tepide injecto effectum, est ut omnia hactenus perpessa febrilia tabidaque symptomata de die in diem evanuerint; appetitus, vires & somnus, secundum consuetudinem, redierint. Inferior etiam cavitas, quæ ad inguina tendebat, ut & illa, quæ directius ad renem ducebatur, funditus mundificatæ sensim atque sensim, sine ullo alio adminiculo vel balsamico vel sarcotico, sine ullis insidiis consolidatæ fuerint. Tertia autem cavitas profunda valde & per-

pendicularis, serius paullo (propter relapsum medicamenti injecti sub erecto patientis incessu, & defectu commodioris situs, qui formandus fuisset ad diuturniorem detentionem liquoris in fundo) admisit curationem. Nihilominus vix restabat tum adhuc cavitas duorum articulorum digiti longitudinem profunditate æquans, quæ de die in diem optime coctum pus parcius fudit, & constantissima dedit indicia jamjam instantis consummatæ (prout etiam secuta est) sanationis.

Externam curam internis quoque facilitare summo studio annisus sum. Præprimis autem eo direxi meam intentionem, ut illum adfluxum, (quem Germanico idiomate Leibes-Fluß appellare solent,) quem frequentius ulcus hoc apertum sustinuit immoderatissime, præsertim ubi Patiens animi pathematibus, aut aliis diætæ erroribus indulserat, revellerem & interciperem, & ut extra paroxysmum, humores corrigerem. Prius obtinui per laxantia & diuretica, respiciendo simul ad conservationem fluxus hæmorrhoidalis; quare ipsi dedi pilulas meas cephalico-catarrhales. Posterius obtinui per Decoctum Sarsaparillæ, Tincturam Antimonii & Succini, & per præcipitans aliquod, e. g. lap. cancr. versus noctem datum. Sic hactenus fluxus hæmorrhoidum mansit in statis periodis, nec indicia calculi repullulantis sese manifestarunt amplius, & vivit de præsenti vegetor & incolumis.

Epicrisis.

Ex hoc casu docemur, singulos homines non pati morbos tumultuarios, sed (præter generales omnibus hominibus communes febres) nexum rationalem in mutua morali, ad temperamentum animi se referente, dependentia habentes. Ut hoc dispaleſcat, recensui casum paulo prolixius quasi ab incunabulis. Est patiens noster Cholerico-sanguineus

neus; hinc vergit ad febres acutas inflammatorias, ut morbos generales; ut & ad hæmorrhagias finceras, quas fine dubio *præcocius* paulo, *ob vitium connatum hæreditarium, per hæmorrhoides* expertus fuiſſet, *niſi* juvenis, per infortunatæ equitationis circumſtantias, *motum excretorium foras prolicuiſſet*, & ad partes muſculoſas lumbares inſtar rhevmatismi, decumbere feciſſet.

Hic prima facta eſt diverſio & avocatio motus excretorii. (Cauſas enim ſtimulantes & rodentes, heic non agnoſco.) Ulteriorem confirmationem avocatoriam dedere incongruæ curationes, quas patiens noſter ſuſtinuit. *Admodum ſolenne enim eſt in vulgata praxi, ut quando patientes de doloribus in lumbis & oſſe ſacro querimonias ducunt, pro nephritico-calculoſis & judicentur & tractentur.* Id quod noſter etiam expertus eſt.

Quocunque autem modo morbi in patiente noſtro facta eſt perverſio, tanta tamen facta non eſt, ut ſit extra nexum poſitus. Multum facit ad morbi perverſionem in ſervando & genium & tempus & locum congruum, *hæreditaria labes*, qua noſter, à parentibus calculoſis genitus, male mulctatus eſt. Si dein perverſæ curationes ſuperveniant, res fit adhuc deterior. His autem nihil obſtantibus, morbi ejusmodi ſingularium ſubjectorum certam ſuam ſibi ſervant dependentiam ab invicem. Ita noſter, antequam ad calculum per artificia naturam ducentia devolutus fuit, affectibus rhevmatico-ſpasmodicis ſaltem fuit obnoxius. Si tunc quis Medicus, *naturæ intentionem*, (aſt barbarica ſunt hæc Mechanicis,) calluiſſet, æque tempeſtive revulſorio divertente, modo ſtatus integer conſervari & ſalubriter tractari potuiſſet, ac minus ſalubriter per Diuretica & Lithontriptica inverti & ad Calculum diſponi potuit.

Habent adeo dolores Rhevmatici partium muſculoſarum externarum intimam cum calculo renum æque ac cum Hæmorrhoidibus, ſive internis, ſive externis, conſpirationem, ut & illi, qui ex Temperamenti ratione facile ad finceras excretio-

crectiones Hæmorrhoidum internarum duci potuissent artificio congruo, incongruo, ad translationes sanguinis renes versus, quæ alias magis cum externis hæmorrhoidibus conspirant, pessime ferantur.

Wrizena ad Viadrum missæ Altorfium d. 25. Maj. A. 1730.

OBSERVATIO XI.

DN. D. JO. ADAMI GOERITZII

De

Singularibus fulminis effectibus, & Anatome Viri eodem percussi.

HOrrenda tonitrua, ignesque cœlo delapsi, quantum terroris in terra habitantibus nunquam non incusserint, & quantum damni simul sæpius attulerint, de hoc præter myriades exemplorum, incendium testatur nuper in fine Maji fulmine ortum Berolini in urbe regia. Descripsi & ego unum & alterum ejusmodi tragicum casum in *Collectaneis Vratislaviensibus*, vicinitati nostræ terrificum. Hæc Dei T. O. M. κεραυνοφόρε Majestatem, potentiam & pyrotechniam plane non imitandam testantur. Nescio an non absonum, an risu dignum, an impium magis dici mereatur, quando *Scaliger* in Exercitationibus suis L. de subtilitate, Jovem ita alloquitur: *pace tua dicam Jupiter, fulmina nostra sunt terribiliora tuis: age, coge nubes, ut tonare queas; nos etiam, te tranquillo, iratum regnum tuum faciemus:* & alio loco: *bombarda Jovis iram imitati sumus.* Næ, Christianum ita loqui non decet, multo minus subtilem ejusmodi Philosophum. Pulvis & umbra sumus, & facile cognoscimus, simile non esse idem, si Deum imitari volumus in actionibus suis. Terra tremit, si loqui-

loquitur in ira sua, & præ metu caput corpusque curvamus, si fulminat. Experiebatur hoc Ratisbona, vel quod malunt Critici Reginoburgum nostrum, anno salutis nostræ M DCC XXVII. d. 18. Junii. Post mediam enim noctem totum cœlum ignibus fulgebat, & tonitrua, iteratis vicibus, adeo terrifica, quoad fragorem audiebantur, ut quivis vel propriam vel vicinam domum accensam crederet. Ictæ quoque sunt 3. domus eodem tempore à fulmine, absque incendio tamen, quæ Dei fuit clementia, licet earum muri mirum in modum dilacerarentur. Turris est in muro urbis, prope ædes *Per-Illustris ac Reverendissimi Domini à Simmern, Suffraganei & Administratoris in spiritualibus &c.* in qua pauperes quidam vivebant. In lecto dormiebant maritus cum uxore & filio VII. circiter annorum. Turris pars suprema postquam fulminis insultum experta fuit, multis tegulis dejectis, fulmen ex regione septentrionali murum supra fenestram ovalem perforavit, & maritum, *Joseph. Schmid*, in lecto vigilantem occidit, uxori femur sinistrum adjacens simul comburendo, filium tamen intactum relinquens. Tres hæ personæ supra stramen linteo tectum jacebant, in quo nota ambustionis, nigra macula ad palmæ magnitudinem videnda. Camera, in qua pauperes isti dormiebant, ab hypocausto per parietem ligneum ex asseribus crassioribus distinguebatur, in quorum uno fulmen transeundo, foramen reliquit, quasi globulo majori (Musqveten-Kugel) perfossum esset. Simile foramen etiam in pavimento lapideo extra cameram observabatur. Sub pavimento hoc trabs magna erat, quam fulmen dilaceravit in multa frusta, quorum unum longitudinem & crassitiem brachii mei superabat. Filum ferreum supra trabem ad campanam excurrens fusum quoque fuit. Cadaver fulmine icti, à meridie, jussu Magistratus nostri, cultro Anatomico subjiciebatur, & sequentia in illo notabantur: Oculi clausi, totum corpus, inprimis

dorsum sugillatum erat, supercilia autem adustionis notam habebant. Supra os Zygomaticum sinistrum macula fusca videbatur, floreno gallico vix tegenda. Cuticula corrugata & paululum aperta erat. Musculus subjacens illæsus & os Zygomaticum non fractum reperiebatur. In detegendo cranio professor serra carotides improvide abscinderat; Unde effluxo copiose cruore atro, non tamen coagulato, sugillationes mox evanuerant, pallido relicto corpore. In cerebro & cerebello nihil p. n. conspiciebatur, nisi quod ex falce osticulum extraheretur. Aperto thorace, pulmo parum cœruleus apparebat, cum punctis nigris, illæsus tamen erat, uti & cor. Cruor ex utroque effluens ater erat, sed non coagulatus. Mulieris quoque latus tactum fuit à fulmine, & maxime femur sinistrum, in quo mox ardentem sentiebat dolorem. Occiso autem marito, uxor mox fugiebat cum filio ex turri, pleno fœtoris sulphurei, multo cum ejulatu, & ad Chirurgum proxime habitantem deducebatur. Cutis fulmine tacta dura & corrugata apparebat, instar porcelli assati, vel instar corii madefacti & pone fornacem iterum siccati. Dolor valde sensibilis, urens, ad octiduum duravit. Cuticula non separabatur, sed successive iterum, laxatis fibris, pristinam formam, obtinuit, & in hodiernum usque diem sana vivit ista mulier, nisi quod femur percussum ipsi sit loco Calendarii & tempestates præsagiat.

OBSERVATIO XII.

DN. D. JO. ADAMI GOERITZII.

De

Aloë officinali florente.

AMericana *Aloë* sæpius jam floruit in Germania, & multis fuit admirationi, sed nullius aut exigui usus in Medicina

dicina. Ex foliorum fibris seu filis linteum hic Reginoburgi fabrefactum fuit, de quo Observationem ante aliquot annos scripsi in *Collectaneis Vratislavienſibus*. Hæc *Aloë*, de qua jam locuturus sum, & cujus αὐτόπτης ego testis fui est illa, quæ succum inspissatum à tot annis exhibuit officinis pharmaceuticis, pro parandis pilulis aloëticis. Succus iste inspissatus tantum laudis habuit apud Veteres, ut etiam in proverbio dixerint; *qui vult vivere annos Noë sumat pilulas de Aloë.* Nomen hujus plantæ Botanici mirum in modum detorserunt. Quidam *Succocitrinam* alii *Succotrinam* vel *Socoterinam* eam appellarunt. Ego semper illam scribo *Zocotorinam*, ab Insula *Zocotora* dictam, in qua copiose crescit, testantibus id multis Botanicis; quamvis etiam passim in Africa & Asia reperiatur. Hæc à *Tabernæmontano* optime describitur, addito icone, & cum hac conveniebat in omni nostra hic florens, in horto domestico *Viri Maxime Reverendi atque Doctiſſimi Domini Mezgeri, Superintendentis noſtri, Conſiſtorialis & Scholarchæ*: qui eam ante 8. annos à majori planta abscissam ita coluit, ut hoc anno floruerit. Hieme in Museo, per æstatem vero in horto domestico servabatur. Terram ipsi dedit macilentam, multa cum arena permixtam. Per æstatem raro eam humectabat, & hieme vix unquam, quia planta in se succulenta est, & propterea ponderosa. *Foliorum XXX.* caulem circumibant, cum floreret. Quodlibet folium adultum tres spithamas habebat in longitudine, & dimidiam in latitudine, pone caulem. Aculeis non adeo acutis utrinque armantur, æquali positis distantia. Crassities horum foliorum ad summum 2. digitorum est. *Folia discissa* intus instar glaciei vel galredæ videbantur, succum luteum stillantia, non tamen ex medio, sed ex circumferentia. *Succus* iste succesſive rubescit, & tandem exsiccando nigrescit. Collectus fuit suppositis conchis majoribus, qui exsiccatus postea *odore, ſapore, forma & virtute cum Aloë*

officinali conveniebat. Mirari satis vix potui graveolentiam vehementem foliorum viridium, caput nimium replentem. Quatuor ejusmodi folia obtinueram, sed vix per dimidiam horam in Museo meo jacuerant, & mox necesse erat, illa iterum removere, apertisque fenestris ac januis graveolentiam expellere. *Caulis* scandere cœpit sub initium Junii & altitudinem 4. pedum obtinuit. Crassities illius maxima, circa radicem nempe, pollicem æquabat, compactus & durus tactu erat. Circa medium caulis duo quasi *brachia* exibant, sive caules secundarii, in quovis latere unus, æqualiter distantes & tridentis formam repræsentantes; caulis tamen medius vicinos suos anteibat palmæ seu dimidii pedis altitudine. Caulis primarius ab incipiente tridente altus est 2. pedes, & caules secundarii quilibet sesqui pedem. *Flores* caulem circumstant, antequam aperiantur, sursum eriguntur & cœlum respiciunt; quamprimum vero sese explicant, de die in diem versus caulem se inclinant, quem, flore marcescente, tegere & quasi defendere videntur. *Flos est campanularis monopetalos, hexapetaloides.* Campanula divisa est ad medietatem usque sexies, quinque divisiones in superiori parte sibi invicem quasi super incumbunt; sexta vero ab infra quasi superiores osculando florem claudit. In floris medio *capsula seminalis* est, plerumque vacua remanens, in paucis *semina* maturescunt. Ex his capsulis stamina brevia egrediuntur cum parvis apicibus rubris. *Flos* ipse longitudinem habet sesqui-digitalem, crassitiem vero digiti mei minoris, luteus est, ad aurantium colorem magis quam citrinum inclinans. Versus petiolum suum flos amplior est, quam in anteriori parte, & antequam cadit, in anteriori parte corrugatur & clauditur, ut difficilius possit explicari, quia à mellagine exstillante quasi conglutinatur. Tres modo dicti caules *ad minimum quadringentos flores* habuerunt. Instar campanularum hæc *Aloë* floret, ita ut inferiores flores sint priores, & su-

& ſuperiores fiant ultimi. Florere cœpit ſub initium Julii & florendo duravit usque ad medium Septembris. Flores plerumque quarto die decidunt, relictis petiolis ſuis. Hoc certe admiratione dignum eſt, quod *eum foliorum ſuccus ſit adeo amarus, ex floribus tamen ſuccus exſtillet mellis dulcedinem habens;* hinc ab apibus multum viſitatus, ut defenderetur, opus fuit. Maſticando etiam flores deciduos adhuc dulcedo percipi poterat. *Capſula ſeminalis* matura craſſitiem & longitudinem habuit digiti mei minoris. Exſiccata in tres partes findebatur, tres monſtrans cameras medulloſas, in quibus duodecim *ſemina* latebant fœniculo leviori ſimilia. *Radix* multis gaudet fibris, & cum aſparagi radice convenit, *prorſus* autem *caret amaritudine.*

(*Ratisbona Altorfium miſſa, d. 25. Junii A. 1730.*)

SCHOLION.

UTrum hæc *Aloë vera vulgaris*, accurate ſatis deſcripta, reapſe ac ſpecie differat ab *Aloë vera majore*, quam ſeorſim propoſuit, ac diverſam ab illa ſtatuit *Abrah. Muntingius* in Aloidario ſuo vix auſim affirmare: Quandoquidem is omnino nullam differentiæ notam conſtituit, præter ſolam foliorum plantæ majorem amplitudinem; quæ fortaſſe calidiori ſolo natali, in Aſia aut Africa, debebatur. Quare tametſi *Rajus in Hiſt. Plant.* autoritatem *Muntingii* ſequatur, alii æque præſtantes Botanici, *Tournefort*, *Boerhaave &c.* non agnoſcunt *Aloën veram majorem*, à vulgari diſtinctam. Quod vero & quomodo è foliis illius, etiam in Europæ provinciis calidioribus, parari queat *genuinus aloës purgans ſuccus*, jam pridem edocuit *Fabius Columna*, Part I. rarior. ſtirp. cap. XI.

(Eugenianus I.)

OBSERVATIO XIII.

DN. D. BENEDICTI GULLMANNI.

De

Podagræ, incongruo medicamento retropulsæ lethali eventu, & officulo singulari sub cranio reperto.

VIr Prænobilis & spectatissimus, 54. annorum, temperamenti cholerico-scorbutici, constitutionis alias robustæ, paucis hinc morbis obnoxius, anno trigesimo & quod excedit, *insultu podagrico*, leviori tamen, infestatur, qui medicamentis ad æquatis, & injuncta strictiori diæta facile expugnabatur. Insequentibus annis cum videret ingratum illum hospitem sæpius, & quidem majori cum vehementia rediturum, indignabundus, ulterioremque invasionem avertere studebat, inscio Medico, & hoc obtinere putabat per *arcanum quoddam antipodagricum*, (ex Spir. Vini & radice Aristolochiæ longæ paratum) ipsi magnopere commendatum ab amico, potius dico medicastro, quibus scarabeis nostra etiam Civitas satis est inquinata. Experimentum itaque fecit, cum eodem quamprimum nonnulla molimina hujus affectus persentiscebat, & sicuti putabat, optimo cum effectu; eventus vero plane aliud, eheu! edocuit. Hoc quidem verum erat, quod ab assumtione nocivi hujus medicaminis nullum genuinum paroxysmum podagricum amplius sustinuerit, sed ob *retropulsam* hanc *materiam*, & impeditum conatum naturæ laudabilem, multa deteriora; valetudinarius enim fiabat, variaque rhevmata, catarrhos atroces, tumores ex melliceridum genere sæpius experiebatur, tandemque cachecticum statum sibi contrahebat. Medicus Ordinarius ple-

plenariam podagrici affectus emanſionem valde ſuſpectam habens, in illius cauſam magis magisque inquiſivit, perque conſanguineos de clandeſtina hujus ſiniſtri medicamenti informatus Nobilem Dominum ab ulteriori hujus uſu ſerio eſt dehortatus, ſonticas conſequentias, imo vitæ periculum ante oculos ipſi ponens, & omni ope eſt anniſus, *podagram*, ſi poſſibile eſſet, *revocare*, atque cachexiam imminentem evertere. Eum in finem varia ſanguinem corrigentia, viſciditatem reſolventia; acrimoniam temperantia, laxantia, antiſcorbutica, tonica &c. præſcripſit, non neglectis æſtivo tempore acidulis & VS. circa æquinoctia, ob aliqualem plethoram ipſi ſolenni, quibus tantum effecit, ut Nobiliſſimus dominus negotiis ſuis graviſſimis rite fungi, imo itinera interdum neceſſaria & longinqua absque ullo incommodo abſolvere valuerit, reſtante tamen ſemper colore faciei livido, vivacitatis alteratione, animique ad iracundiam, levem ob cauſam propenſione. Hoc anno, menſe Julii, cum curam per potum acidularum Egranarum incipere intenderet, corripitur tumore capitis lateris ſiniſtri, tam interne, quam externe; Medicus accerſitus, pulſumque nonnihil alteratum non tamen febrilem vel durum deprehendens, ipſi mixturam diapnoico-præcipitantem ordinavit, Chirurgus vero tumorem per ſacculos ex herbis reſolventibus & diſcutientibus, cum ſpirituoſis tractavit, adjunctis gargarismatibus neceſſariis: his per 24. horarum ſpatium continuatis, neque hilum proficientibus, veſicatoria revulſionis ergo pedibus applicabantur, ſed cum fruſtraneo quoque effectu. Ex his omnibus facile Medicus judicare poterat genium hujus affectus, eo magis cum videret eum celeritate inconſueta ſerpentem, ſeſeque ſupra os frontis extendentem. Sicuti enim ſemper aliquid monſtri alunt hujusmodi capitis tumores, ita præprimis hoc in ſubjecto cachectico multo magis illum valde ſuſpectum, præcipitisque periculi pronunciavit. Hoc facto

&to consanguinei, de vita hujus Domini valde solliciti, unum adhuc Medicum experientissimum Ordinario adjunxerunt, qui, percepta morbi historia, & quoniam hucusque frustra adhibita cognoscebat optima medicamenta, facile condescendebat in fatalem Prognosin, omnem nihilominus operam pro conservatione Nobilissimi hujus Viri porro contulerunt medici, videntes vero discussioni nullum amplius hic superesse locum, & ne partes affectæ à decubitu hujus acris materiæ profundius læderentur, ad maturantia & suppurantia curam externe direxerunt, interne vero cum diaphoreticis, nitrosis, cinnabarinis, alexipharmacis mixtis continuarunt; his non obstantibus affectus semper in pejus ruebat, Dn. Patiens assidua inquietudine affligebatur, febricula accedebat, & tumor colore suo, duritieque sua magnam malignitatem indicabat. Rupto abscessu tam externe quam interne, & hinc sequuta aliqua tumoris detumescentia affulsit exigua spes, quam tamen materia & pus emanans, illico abstulit: Tanti enim fœtoris cadaverosi & acrimoniæ erat, ut stylos exploratorios arroserit, & Chirurgus, artis suæ peritissimus, sancte testatus fuerit, per totam vitam suam similem nunquam se tractavisse. Hinc facile judicabatur, saniem hanc summe acrem, imo causticam palati internas partes glanduloſas, spongioſas & musculoſas arrosisse, dilacerasse atque destruxisse. Omnium vero pessimum symtoma erat tumor circa tempora & supra os frontis, qui nullis medicamentis, cedere volebat, ut hic Medici non frustra metuerint, cerebrum ipsum ab hac materia jam esse infectum, confirmabantur etiam in hac sententia, quando insequentibus diebus nobilem Dominum soporosum, imo lethargicum invenerint. Ex læsa itaque spirituum animalium officina, pulsu inæquali, urina limpida, quid aliud præsagire poterant, quam instantes convulsiones? quæ etiam presso pede sunt sequutæ, & gravissimo huic effectui ipsiusque vitæ finem imposuere.

Ana-

Anatome cadaveris:

Hanc quidem nobilissima Vidua plane permittere recusavit, obtestationi vero Medicorum, qui in mortis causam inquirere, & interiora cerebri examinare cupiebant, tandem concessit, ut cranium aperiretur. In præsentia itaque cognati cujusdam, Chirurgus operationem suscipiebat, & denudato capite, rasisque capillis totum illius latus sinistrum cæruleo-fuscum, gangrænosum, in conspectum veniebat, separato pericranio sinister musculus temporalis corrosus, putredineque consumtus, in dextro vero latere immunis erat; ossa cranii, cumprimis temporum bregmatisque, carriosa. Remoto cranio, dura meninx pariter ac pia sphacelosa, ipsumque cerebrum putredine corruptum conspiciebatur, ita ut cineritiam partem à medullari vix potuerimus discernere. Detecta itaque sufficienter mortis causa, paulo accuratius in cerebri penetralia inquirere non concedebatur. Latus dextrum in optimo sanitatis statu quidem fuit deprehensum, nihilominus aliquid præternaturale visui sese offerebat in vertice, *corpus* scilicet *osseum*, parte sua convexa duræ meningis processui falciformi per minima vascula adhærens, quod vero facile separari poterat. Hoc exemptum & mundatum, colore suo, figura (Vid. Tab. II. fig. 1.) imo etiam textura faciem cochleæ minoris, seu potius umbilici marini convexioris æmulatur. Mirandum sane, Nobilissimum Dominum per totam vitam suam nusquam de dolore capitis, vel alio graviore symptomate fuisse conquestum. Quid de hujus ossiculi generatione sit statuendum, annon etiam hoc ipsum materiæ podagricæ retropulsæ sit attribuendum, & quam sontici subitaneique affectus successu temporis inde exoriri potuissent, sublimioribus ingeniis judicandum relinquo.

(*Augusta Vindel. Altorfium d.* 24. *Octob.* 1739. *missa.*)

OBSERVATIO XIV.

DN. GEORGII FRIDERICI RICHTERI.

De

Lapide in trunco betulæ reperto.

LApides in variis animalium partibus, eosque interdum satis duros & magnos reperiri, frequenti observatione Physicis compertum est. Nec desunt corporum ad lapideam naturam accedentium exempla, in plantis earumque fructibus passim obvia: quæ, dubium non est, quin sensim in iis locis, ubi deprehendi solent, ex materia cum nutrimento allata, generentur atque augeantur. Illud nunquam me legisse apud autores historiæ naturalis memini, in medio trunco solidæ & perfectæ arboris, verissimum lapidem, imo silicem inventum esse. Quo magis admiratus sum, cum nuper ejusmodi novum atque insolens spectaculum oculis exhiberetur meis. Et mihi quidem id non injucundum, operariis permolestum accidit; quippe cum serra, qua ad secandum lignum illi utebantur, non mediocre detrimentum accepisset. Sed juvat rem totam ordine narrare. Cum superiori hyeme ligna ex betulis satis robustis parata, pro instruendo foco scindi curarem, in eoque essent operæ, ut medium dissecarent frustum non minimum, ex infimo trunco betulæ desumtum, subito ad obstaculum aliquod durissimum graviter allidi serram animadvertunt. Itaque verso ligno & ab altero latere inciso, rem perficiunt. Quærunt offendiculum, nec difficulter inveniunt. *Lapidem* enim vident, in quem pene medium prima sectione impegerant: altera non erat tactus: hinc nido suo etiamnum firmiter adhærens ita tamen oculis & tactui apertus erat, vix ut data opera commodius detegi potuisset. Re ad me delata, cum

eam

eam minime negligendam censerem, jussi, ut à frusto betulæ majori tantum quantum commodum judicabam caute abscinderetur, mihique traderetur: quod etiam ita factum est: atque istud ligni segmentum, una cum lapide nec dum evulso, diligenter apud me asservatur. Est autem *lapis prædurus, subalbicans, & manifeste siliceus, pruni ferme aut juglandis minonoris magnitudine*, non ille quidem asper, nec frequentibus eminentiis atque anfractibus incisus, sed *aliquantum* tamen *angulosus* & *minus perfecte æquabilis*. Nidus ad figuram lapidis non plane accommodatus, sed quadrangulus, & hinc illinc in mediocres rimas desinens, corticeque inprimis notabili, non multum ab exteriori cute diverso, maximam partem vestitus, ubi lapidem non attingit, farinam aliquam crassiusculam & obscuram continet, ex particulis tum succi concreti tum ipsius ligni putrefacti constantem. Reliquum lignum circumcirca sanum, solidum & bene constitutum: nisi quod ab uno latere lapidis, fibræ quædam ligneæ partim excisæ partim laceratæ apparent, non aliam ob causlam, ut videtur, quam quod fibras illas, post duplicem incisionem nondum dissectas, sed adhuc integras, lignatores denique pro more perfregerunt. Neque illud forte omittendum, quod non multum infra lapidem & ejus nidum, vestigium ramusculi conspicitur, è solido ligno prognati, & ita oblique ascendentis, ut non externas sed ipsas medias arboris partes progrediatur. Quem ramulum propterea persequi non licuit, quia partes arboris in quas ille penetravit, disjectæ & minutim ab operis conciſæ, frustra sunt quæsitæ. Jam si quis & trunci betulæ, & loci ubi repertus est lapis, paulo accuratiores dimensiones requirit, is diametrum infimæ arboris novem circiter fuisse digitorum, nidumque lapidis ad pedes tres supra terram extitisse sciat. Porro nidus ille non integrum digitum in latitudinem, & paulo amplius in longitudinem patens, uno fere digito à centro arboris, duobus & di-

midio ab extremo cortice distat. Denique ramulus, de quo dixi, inter lapidem & centrum betulæ medius, vel potius per ipsum centrum penetrans, ejusmodi habet crassitiem, ut diameter ejus vix tertiam digiti partem adæquet. Exposui, quæ ad historiam hujus rei pertinere visa sunt. Reliquum esset, ut de ratione & via disquirerem, qua lapis ille vel totus insinuari, vel particulatim eo loco coalescere potuisset. Sed, cum mihi ipsi hac in re necdum satisfecerim, aliorum ex piscari judicia, quam immaturis meis cogitatis chartam implere, & lectorum patientia abuti satius existimo.

(*Lipsiæ Altorfium missa, d. 1. Novemb. 1730.*)

OBSERVATIO XV.

DN. D. ERNESTI GOTTHOLDI STRUVII.

De

Infanticidio crudelissimo & fere in audito.

CUm celeberrimus Dominus *D. Behrens*, priori volumini nostrorum Actorum p. 63. peculiarem observationem *de scrutinio infanticidii* inseruerit, & pro substrata materia varios modos variasque occasiones enecandi recens natum vel nasciturum infantem evolverit, liceat mihi ea, quæ paucis abhinc septimanis in vicino pago sese obtulit inspectio atque sectio crudelissime trucidati, ex furtivo amore concepti infantis, & hinc officii ratione exhibitam relationem paucis subnectere. 1) Corpusculum, ante aliquot dies clanculum nati infantis inveni, horrendo modo laceratum; Capite & utroque brachio mutilatum, externa cute per totum ambitum excoriatum, ut musculosæ partes exteriori cutis

tis veſtimento prorſus eſſent denudatæ, & inferior venter dilaceratus, ut non ſolum inteſtina omnia abdominis cavitate propenderent, verum etiam in regione partium genitalium omnia adeo deſtructa & diruta, ut de ſexu certum judicium formare vix potuerim. 2) Dum detruncatum caput trunco admoverem, cadaver ſolitam fœtus perfecti & maturi exhibebat magnitudinem, unguibus in digitis manuum & pedum rite & ſolide firmatis conſpicuis, crinibus etiam in capite reperiundis: 3) Funiculus umbilicalis ad dimidiæ ſpithamæ longitudinem, ſine debita ligatione relictus: 4) Ipſum caput circa tertiam vertebram colli, ut plane erat manifeſtum, non avulſum ſed ſtudio reſectum: 5) Itidem brachia utrinque ſectione ſeparata, & ob laceram relictam cutem, penitus evulſa; utpote dextero brachio particula oſſis claviculæ adhærebat: 6) His viſis & conſideratis, thoracem, qui violentam manum non expertus fuerat, aperui, ut experimentum in his caſibus palmarium, de pulmonum ſubſidentia inſtituerem: Pulmones erant ſine labe, vividi coloris, cado tepida aqua repleto immiſſi ſupernatabant, etiam ſi cum corde adhuc conjuncti, licet etiam ad fundum omni vi deprimerentur, ſtatim ad ſuperficiem aquæ emergebant. Ex his itaque circumſtantiis in inſpectione & ſectione cadaveris notatis, demonſtravi, partum fuiſſe perfectum, maturum, & vitalem editum, hinc vero non ſolum ex negligentia debitæ ligationis funiculi umbilicalis omiſſæ, ſed etiam violenta & crudeliſſima morte interemtum.

OBSERVATIO XVI.

DN. D. ERNESTI GOTTHOLDI STRUVII.

De

Corticum Ulmi pariter ac Alni efficacia anthydropica.

CUm in *primo volumine Actorum A. N. C.* p. 429. à nemine antehac laudatam, & à Practicis tantum non prætervisam, *virtutem singularem corticum ulmi in hydrope* laudaverim, indicare hoc ipso volui, quod eandem pluribus experimentis in praxi mea expertam & confirmatam optimo successu invenerim; nec incongruum fore putavi, si parallelum documentum de *corticibus Alni ex Langii Operibus*, Tomo I. p. 478. subjungerem: Si cortex alni, non radicis solum verum quoque ramorum, luteus, abrasus in aqua simplici coquatur, habet vim elegantem subducendi aquas Hydropicorum, experimento proprio.

(*Primislavia Altorfium missa, M. Nov. 1730.*)

OBSERVATIO XVII.

DN. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De

Frustraneo & infelicissimo fluxum hæmorrhoidalem provocandi conatu.

NOn novam & recenter inventam, sed pervetustam doctrinam & medendi methodum esse, qua sexus masculinus

linus per *fluxum hæmorrhoidalem* à morbis, perinde ſicut ſequior ſexus per fluxum menſtruum præſervatur & curatur; nemo, niſi qui fortaſſe veterum Medicorum volumina non perluſtravit, ibit inficias. Ipſe equidem *Hippocrates*, *Galenus* ac præſertim *Avicenna* tanti æſtimaverunt hanc doctrinam, ut frequenter in operibus ſuis *fluxus hæmorrhoidalis* mentionem facere pulchrum ac plane neceſſum putaverint. Silentio præterimus plures alios celeberrimos Medicos, qui ſaluberrimi fluxus utilitatem ac neceſſitatem deſcripſerunt, & quæ in praxi dudum ipſi obſervavimus, alii occaſioni reſervanda. Interea non poſſumus, quin atro carbone notemus peſſimos abuſus ac errores, queis neoterici nonnulli, ſi non in omnibus, attamen plurimis ferme morbis & in quibusvis ſubjectis hunc fluxum ſuſcitare laborant, ſæpius autem, ſi non ſemper, fruſtra laborant, oleum & operam perdunt & ægrotos quosdam diſperdunt. Quamobrem non ingratum Lecturis fore ſperamus, ſi nonnulla, de fruſtraneo & infeliciſſimo conatu fluxum hæmorrhoidalem ſuſcitandi, hic in ſcenam producamus. Generoſiſſimus Dominus de M. in vicinia Molhuſæ degens, vitæ delicatiori deditus & largiori vini potui adſuetus, dyſareſteſi quadam, morboſorum inſultuum veluti prodromo quandoque vexatus, hactenus à Medicis per phlebotomias, laxantia, pluraque alia interna auxilia curabatur, conſilio ſuperaddito, ut inter crebriores motiones ſtrictiorem diætam ſervaret. Tandem vero alium famoſum Medicum in conſilium ſimul adhibebat, qui methodum medendi ab anteceſſoribus præſcriptam ſusque deque habens, illosque veluti parum expertos traducens, conſultius putabat, & omnes animi nervos intendebat, *per fluxum hæmorrhoidalem eliminare, quod ſuperfluum, morboſum ac moleſtum erat.* Hinc præter interna medicamenta, pilulas balſamicas, eſſentiam dulcem pluraque pretioſa, hirudinum applicationem, frictiones ani & alia, neſcio qualia externa, per longum tem-

temporis tractum pro continuo usu suadebat, expediturus arte, quod non tam artis quam naturæ est negotium. Postquam vero fugendo, scalpendo, fricando, radendo, illinendo culum satis diu, frustra tamen solicitaverat, tandem *non salutarem fluxum hæmorrhoidalem, sed exitiosam ac molestissimam fistulam ani procreavit;* Cui postmodum longe molestiori affectui cum mederi nullo modo posset, ægrotus iratus, in hunc Medicum adeo vehementer invehebatur, ut (venia sit verbis) *culi Medicum*, curationis nempe modum reprehendendo, increparet, aliosque Medicos in consilium vocaret, sed frustra, dum à fistula ani nunquam liberatus, fato tandem concessit. Novimus etiam plures, eodem perverso modo sine successu exoptato tractatos, quosdam etiam cum vitæ dispendio: Quemadmodum inter plures Medicinæ Licentiatus & Physicus extraordinarius hujus loci, qui propter molimina hæmorrhoidalia mederi sibi cupiens, celebriorum quorundem Medicorum consilio simul adductus, post multivaria medicamenta interna, hirudinum applicationem & alia externa, pro fluxu hæmorrhoidali adhibita, ad extremum usque vitæ halitum se defatigabat. De quo alibi forte, cadaveris ejusdem phænomena simul describendo, prolixius agemus.

OBSERVATIO XVIII.

DN. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De

Intestini Duodeni vulnerati phænomenis & lethalitate.

CUm intestina tenuia (inprimis *Duodenum*) ventriculo continua & ejusdem propemodum structuræ sint, vul-

neratis

neratis illis, ventriculus neceſſario etiam per conſenſum afficitur. Hinc vomitus, appetitus abolitus, nauſea, ſingultus, anxietates, lipothymiæ pluraque phænomena, manifeſtæ lethalitatis indicia fiunt conſpicua. Triſte experimentum in ſcenam ſiſtebat *Chriſtianus Adolphus Meinhardt*, Medicinæ Candidatus & Practicus Molhuſinus, qui ſub auſpicium anni 1727. tempore nocturno, à potu cereviſiæ & aquæ vitæ ſumme ebrius, à ſodali in abdomine punctim læſus, vulnere duorum digitorum transverſorum ſpacio ab umbilico dextram verſus, per totum abdomen penetrante, in tergo pariter duorum digitorum transverſorum ſpacio à ſpinali vertebra paulo altius exeunte. Vulneratus quidem, an potu ſomnoque ſepultus, ut cum poëta ſic loquar, an vero lipothymia correptus fuerit, primo intuitu dijudicare vix poteram. Brevi poſt iteratis vomitionibus aſſumta potulenta indeſinenter exturbabantur. Præſcribebatur potio ex cordialibus, traumaticis, temperatis, pulveribus & aquis deſtillatis, quæ tamen identidem per vomitum rejiciebatur. Urina erat rubicundior; alvus adſtrictior clyſmate ſolicitabatur, & externa ſpirituoſa confortantia adhibebantur. Vulnerato ab ebrietate ſenſim liberato, pro ſiti ſedanda infuſum Thee porrigebatur, quod tamen nauſeabat, & ſicut alia aſſumta rurſus evomebat. Interea temporis reſipiſcebat, & anteacta deprecabatur ſerio, afflictamque conſcientiam recreabat devoto ſacræ Euchariſtiæ uſu. Medicus autem præmiſſa, ob ſanguinis à ſpirituoſis aſſumtis ebullitionem & hæmorrhagias, ſi quæ forte adeſſent, internas, phlebotomia, varia confortantia, balſamica, traumatica, bezoardica, ſtomachica interna (quæ plerumque vomitu reddebantur) & externa ordinabat. Æger vero potum frigidum lubentius abſorbebat, à cibis ſolidis conſtanter abhorrens. Symptomatibus modo recenſitis ſingultus, crebriores lipothymiæ, axietates tandemque tertio die ſudores colliquativi accedebant: interiora ferve-

bant, exteriora frigebant. Hisce cruciatibus torquebatur, donec die quarto cum morte vitam hanc commutaret & in meliorem migraret. Cadaver beate defuncti dissecando, in panniculo adiposo & carnoso sanguis extravasatus conspiciebatur, post illorum separationem vulnus penes musculum rectum per peritonæum penetrasse apparebat. Aperto abdomine circa regionem ventriculi materia biliosa, in pelvi vero sanguis extravasatus reperiebatur: Intestinum colon in superficie saltem vulneratum: Mesenterium binis in locis perfossum. Cumprimis autem *intestinum duodenum* prope ventriculum tribus digitis transversis à pyloro, ensis acie *perforatum* & jam quasi sphacelatum, ex quo materia biliosa supra memorata circa regionem ventriculi dubio procul effusa. Tandem penes renem succenturiatum dextrum, sanguis quoque grumosus è vasis mesaraicis vulneratis effusus aderat. Ex quibus tam *Hippocratici aphorismi 18. Sect. VI.* veritas, quam recepta Medicorum sententia, *quod intestini tenuis vulnera absolute lethalia sint*, satis confirmata eluceſcit.

OBSERVATIO XIX.
DN. D. JOANNIS GEORGII HOYERI.
De Nostalgia.

DE *Helvetiorum Nostalgia* cumprimis prolixius agitur *in Actis Medicorum Vratislaviensium* anno 1718. Mens. Mart. 832. seqq. Ubi hæc etiam legitur epicrisis, *Non solum Helvetios, sed alias etiam nationes, apprime Hungaros, eadem nostalgia affligi.* Nos *in Thuringia* quoque plus una vice nostalgia laborantes utriusque sexus personas observavimus. Inter plures generosus adolescens, præfecti bellici primarii filius, Erfordiæ natus & educatus à paren-

te

te commendabatur Centurioni ſub Statibus Hollandiæ & Friſiæ Occidentalis ſtipendia merenti, ut ſecum duceret in caſtra. Enim vero dictus adoleſcens vix appulerat Molhuſam, ſex milliaria Erfordia diſtantem, ubi laudatus Centurio milites tunc temporis conſcribebat, cum mira anxietate præcordiali, inquietudine, appetitu proſtrato, pulſu celeri & palpitationibus cordis, aliisque phænomenis, affectus febrilis prodromis, tantopere diſcruciaretur, ut lecto affixus decumberet. In conſilium vocati, medicamenta bezoardica cordialia &c. ſine ſucceſſu præſcribebamus ſymptomatibus illis ægroto indeſinenter afflicto, inter continua ſuſpiria languente. Accuratius igitur in cauſam affectus inquirentes, vix aliam ſciſcitari poteramus, quam *anxium & immoderatum deſiderium repetendi & reviſendi patriam, patriosque amicos & cognatos.* Quale cum Centurioni manifeſtaremus, non deſinebat primo blandis verbis animum dejectum adoleſcentis erigere; ſed fruſtraneam locabat operam. Dein durius atque auſterius eum tractabat, jurgiis & minis; quibus autem oleum igni quaſi affundebat, adeo ut ex ſtolido inſanum & ex ægroto agonizantem pene reddidiſſet. Omnibus itaque fruſtra tentatis, ex conſilio *D. Zvvingeri* in tractatu Germanico, ſicherer und geſchwinder Arzt p. 692. tandem deſideratiſſimum reditum ad patrios lares pollicebamur. Qua ſpe lactatus, aliquandiu poſt melius paulo habere videbatur, aureum nobis offerens, ſi ſaltem reditum ad ſuos in patriam procurare valeremus. Parentibus itaque ſuis ut reſtitueretur ſuaſor & impulſor eram; rhedaque Erfordiam revectus, priſtinam ſanitatem, dictum factum, recuperabat. Sicut è contrario juvenem robuſtum, Longoſaliſſa Thuringum, in Daniam profectum, eadem *noſtalgia*, ob denegatum in patriam reditum, Hafniæ miſere periiſſe meminimus; utpote qui ſine doloris vel alius periculoſi phænomeni ſenſatione, patrios ſaltim reviſendi lares deſiderio flagrans, ſciſcitan-

tibus, num quid doleret? numquid affectaret? Ah si domi cognatis adesse possem, dialecto sua Thuringica: Ach wann ich nur daheim wäre! ingeminando respondebat indesinenter, ad extremum usque vitæ halitum.

OBSERVATIO XX.

DN. D. JOANNIS GEORGII HOYERI.

De Apodemialgia.

QUamvis amor patriæ sit insuperabilis & omnibus innatus quasi, juxta illud Poetæ:

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui;

ut non mirum, plures extra patriam viventes *nostalgia* laborare; E contrario tamen alii, quibus ex patria abitus & peregrinatio, quam tamen summopere affectant, denegatur, male se habere, ægrotare & *apodemialgia* (liceat mihi novæ rei hoc novum confingere vocabulum) laborare observavimus. Sic inter plures adolescens sedecim annos natus, arti auratiæ deditus, qui exantlatis annis disciplinæ, peregrinari summopere affectabat, parentibus certas ob causas reluctantibus, tristis & quasi melancholicus aliquandiu præter morem videbatur, parcius edens ac bibens, appetitu scilicet imminuto valde; interdiu vitam solitariam agebat, noctesque traducebat insomnes, & laboribus consuetis velut invitus fungebatur. Tandem prævio inopinato horrore, calore totius corporis efferato vexabatur, & cum dolore capitis obtuso delitos sermones proferebat, halitumque graveolen-

lentem & abominabilem prorsus spirabat, febre anginosa maligna correptus. Præmissis sudoriferis, bezoardicis, venæ raninæ secabantur, variaque medicamenta alterantia & confortantia, alexipharmaca interna, nec non gargarismata & emplastra externa, sine successu notabili adhibebantur. Donec tandem *spe peregrinationis faciendæ*, quam primum sanitati perfectæ restitutus fuerit, præprimis *erigeretur*. Brevi post salvus & incolumis, relictis laribus patriis, in exteras regiones profectus. Simili *apodemialgia* laborare videntur juvenes literarum studiis dediti, quorum virtutibus obstat res angusta domi, quo minus ex patria abire, peregrinari & studia in Academiis prosequi & absolvere possint. Horum nonnullos melancholia correptos fuisse, nonnullos curis & mœrore confectos tandem periisse, alios vero Mæcenatum favore, voti ac desiderii peregrinandi compotes factos, convaluisse recordor.

OBSERVATIO XXI.

DN. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De

Spica siliginea in ulcere infantis reperta.

IN vicino *Molhusæ*, Imperialis Civitatis pago *Oberndorla* dicto, in finitima præfectura ad *Ganerbinatum Trefurtensem* pertinente, sub triplici ditione, nimirum Saxonici & Moguntini Electorum, & Hassiacæ provinciæ Comitis, sito, infans sex menses natus, hactenus belle valens, die quodam, dum lactans mater nuptiis intererat, anxie plorabat, clamoribus continuis & miserabili ploratu dolores & anxietates quasi manifestans. Consultus ea de causa pharmacopœus

loci, medicamenta bezoardica & antepileptica propinabat, quibus assumtis brevi post tumor in latere dextro inguinis in conspectum veniebat. Quo, mediante cataplasmate euporisto, ex farina & melle parato, feliciter rupto, primum floridus sanguis effluebat, dein *spica siliginea* præter opinionem *ex ulcere prodibat*, quam non solum Reverendus pastor illius loci, sed & pharmacopæus, & præsens chirurgus non sine admiratione suis palpavere manibus. Cujus etiam rei veritatem, infantis parens, *Zacharias Breitbart*, optimæ famæ incola, obstetrix, aliique testes, coram laudatissimorum trium Dominorum judicio, jure jurando confirmarunt. Hic sane casus non minori admiratione dignus est, quam ille à *Petro Servio in tractatu de unguento armorum* annotatus; Aretii scilicet, urbe Italiæ, *spicam siliginem ex fœminæ cujusdam naso, veluti ex agro bene stercorato & fertili, excrevisse.*

OBSERVATIO XXII.

DN. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De

Nymphæ, seu alæ dextræ nimis excrescentis, & pro uteri procidentia male judicatæ curatione.

FOemina annos viginti nata, aliquandiu post concubitum cum neonympho, substantiam quandam è labiis vulvæ sentiebat excrescere, quam post conceptionem factam, mensium fluxu ordinario cessante, indies augeri notabat: quale quidem molestissimum incrementum partim à contrectatione & coitu à neogamis frequentius iterato, partim ab humoribus, ob menses suppressos, circa arvum geni-

genitale cumulatis, evenisse probabile videtur. Lucina tandem favente, post primum puerperium indies magis magisque tumorem excrevisse animadvertebat, adeo ut præ nimia mole, molestia & dolore deambulare & negotiis domesticis fungi amplius ferme non posset. Vix tandem pudicitia permittebat, ut Medico vel Chirurgo malum manifestaret, & locum affectum inspiciendum exhiberet. Inter plures autem fœminas, empiricam quandam consulebat, quæ circumstantiis non examinatis, neque loco affecto satis perspecto, pro *uteri procidentia* falso judicans, applicatis emollientibus in vulvam reponere (quod dependere ex eadem putabat) non absque doloris molestia, frustraneo tamen cum eventu tentabat. Ast ægrota molestiarum ac dolorum tandem pertæsa, duro necessitatis telo quasi coacta, per maritum, Medico clandestinum partium pudendarum affectum manifestabat, qui non per transennam, sed per dioptram, quod dici solet, lustrans partem prominentem, *nympham seu alam dextram*, non uterum esse, & in tam monstrosam molem instar cristæ gallopavi pendulæ excrevisse, recte colligebat; utpote non nescius ex *Thomæ Bartholini institutionibus anatomicis*, aliquando unam alam, aliquando utramque, præsertim cum digitis frequenter attrectantur, aut alias humores affluunt, adeo excrescere, ut ob impedimenta, quæ sequuntur, excisione opus sit: Ægyptiis etiam hunc morbum adeo familiarem esse, ut nupturis virginibus aliisque mulieribus interdum amputare necessum sit; prout *Galenus*, *Aëtius* & *Ægineta* testantur. Id quod tamen de *Clitoride* dictum putant alii. Nostra autem experientia in hoc terræ tractu *nymphas* sæpius, clitoridem rarius excrevisse constat. Harum nympharum monstrosarum infra labia vulvæ dependentium excisionem *Petrus Dionis* in operationibus chirurgicis, demonstratione III. Fig. XVIII. prolixius etiam describit. Sed cum nostrates mulierculæ cane pejus & angue cruentas operationes chirurgicas aver-

sari

sari ac evitare plerumque soleant, nostra quoque patiens, remediis pharmaceuticis internis & externis, curationem absolvi præoptabat. Præmissis igitur universalibus pro usu interno, impuritatem & acrimoniam humorum vitalium corrigentia & sanguinem edulcorantia, & hysterica propinabamus. Loco suffimigii oleum olivarum santalo rubro tinctum lateribus cadentibus infundere suadebamus, quo vulva frequentius suffimigata, tumens & propendens monstrosa nympha sensim sensimque decrescebat, tandemque ad pristinam pene formam redacta fuit, ut pro lubitu sine molestia deambulare ac res domesticas & negotia quævis denuo procurare mulier potuerit.

(Molhusa Lipsiam missa d. 3. Januar. A. 1731.)

OBSERVATIO XXIII.

DN. D. JO. ADAMI GOERITZII.

De

Hæmorrhagia penis.

VEtus est proverbium ac veriverbium. *Per quod quis peccat, per idem punitur & idem.* Hoc ii maxime experiuntur, qui rebus impuris venereis nimium delectantur. Homo Sanguineo-cholericus, XXXII. annorum, gallo gallinaceo salacior, multum in ejusmodi peccatis genio suo indulserat, & cum variis scortis consueverat, quibus forsan lues venerea in illo voluptatis angulo jam insederat, in quo maxime delectabatur. Tandem fructus laborum suorum reportavit, *gonorrhœam* nempe *virulentam, cum tentigine* dolorosa. Stuprator anxius quid faceret, cum præ pudore ad Medicum accedere nollet, barbitonsori suo rem totam aperit,

rit. Hic, uti solent, iterum iterumque purgat, & *balsamum sulphuris terebinthinatum* bis in die assumendum suadet. Ast omnia incassum. *Gonorrhœa* fit *virulentior*, & in sinistra parte, post glandem, *penem erodendo perforat*: Jam materia purulenta ex duobus locis fluebat, penis tumebat cum inflammatione, & patiens sub maximis doloribus libidines suas detestabatur. Tandem *exulceratio* ulterius serpit, & *post glandem arteriam erodendo aperit.* Quo facto *hæmorrhagia* oritur *enormis*; scortator lipothymia corripitur, & morti vicinus judicatur. Vocatur Medicus & Chirurgus alius magis peritus. Adhibentur styptica externa, sed cum non daretur accessus & penetratio ad orificium arteriæ apertum, præ tumore totius penis, *trium dierum spatio*, sancte id affirmante Chirurgo, *ultra sex libræ sanguinis effluxerunt.* Qua hæmorrhagia patiens ille noster ita debilitatus fuit, ut ipse & quivis adstantium de salute sua desperaret. Ultimum ergo viaticum petiit, Deoque commendatus fuit. Chirurgus autem, uti peritus est in arte sua, ita, advocato simul Medico, omnem diligentiam adhibuit, ut miserum istum servaret. Sectione igitur cutis facta, post glandem, ut ulcus dilataret, & hæmorrhagiæ facilius obviam iret, styptica cum balsamicis & resolventibus adhibuit. Interna medicamenta mera fuerunt analeptica, ut vires reficerentur; *cessante* autem *hæmorrhagia*, antivenerea ordinabantur, & topica, quæ dolores mitigabant, tumorem discutiebant, ulcusque purificabant ac consolidabant. Πάντα καλῶς! *Gonorrhœa* enim *virulenta fluxus cessabat* successive, & *ulcus putridum* post mensem *consolidatum* fuit; ita tamen, ut *foraminulum* remanserit *post glandem, ex quo urina sub emissione simul, & sic duplici via effluit.*

OBSERVATIO XXIV.

DN. D. JO. ADAMI GOERITZII.

Singultus vomitorio curatus.

VOcabar ante aliquot annos ad puellam septem annorum, quæ jam per dimidium diem *singultu* affligebatur absque intermissione. Percontando ac interrogando varia, causam hujus affectus occasionalem externam elicere volebam, sed parentes affirmabant, quod nec comederit, nec biberit, quod ullo modo nocere potuisset. Tandem ancilla fatebatur, puellam delectari frigido potu, & sæpius celeriter & magnis haustibus bibere. Calidum potum *Thee* afferre jussi, sed puella illum respuebat, *Caffee* sibi expetens, quem & ego concessi, quamvis magis dilutum. Qui cum nihil prodesset, essentiam theriacalem cum carminat. Wed. & Spir. nitr. d. mixtam, singulis VI. horis ad XX. guttas propinare jussi, in aqv. menth. & cinnam. cydon. Pro usu externo bals. stomach. præscripsi ex Ol. nucist. expr. bals. Peruv. ol. macis, caryoph. menth. Isthoc illinebatur ventriculus, superimposito calide sacculo aromatico, ex rad. imperat. galang. Zedoar, H. thym. menth. origan. caryoph. arom. nuc. mosch. & sem. carvi. Mane revisens ægram, frustra hæc omnia fuisse audio, *singultum* quippe per totam noctem durasse referebant. Acrimoniam subesse ratus, ventriculi fibras & nervos irritantem, drachmam semis rhabarbari optimi in potu Caffee propino. Hoc equidem sexies absque torminibus purgabatur, *singultus* autem nihil remittebat. Præscribo mixturam ex antim. diaphor. matr. perl. corall. r. unicornu marinu. cinnab. nat. theriac. cœl. conf. alk. incompl. aqua perlat. Zedoar. menth. fœnic. eamque cochlea-

tim

tim exhibere jubeo. Ligabantur insuper hypochondria, & cucurbitula sicca cordis scrobiculo imponebatur; sed nihil inde mutari vidimus *singultum.* Puella jam nauseabat interna & jusculà. Rediens ego tertio die, vires à *continuante singultu* frangi animadverto, & cum suspicarer in ventriculo latitare aliquid, quod faceret *singultum*, cum non adesset febris, *vomitorium* propinare statuo, & quidem *tartari emet.* gr. 1. cum æquali portione cinnab. nat. præp. Quinquies inde vomuit, & quod fateor, non parum debilitata fuit; sed *cum post vomitum secundum singultus cessaret*, puella animum recepit, & finitis vomitibus, assumptoque jusculo cum simila tosta, per aliquot horas quiete dormivit, & *sublato singultu*, paucis diebus vires recuperavit. Sic, Deo benedicente, quæ morti jam proxima videbatur, heroico isto remedio suis reddita fuit, & in hodiernum diem vivit saniissima. Sunt quidem, qui *causam singultus* cum *Sylvio* quærunt *in diaphragmate;* verum *primario ventriculum hic affici*, ex sectione singultu mortuorum patet, in quibus ventriculus nigris sparsim notis compunctus repertus fuit, juxta reeensionem D. *Ramazzini* in Ephemer. Acad. Natur. Curios. Dec. 3. A. IV. App. p. 74.

OBSERVATIO XXV.

DN. D. JO. ADAMI GOERITZII.

De

Conchis male præparatis.

FRustra laborat Medicus præscribendo formulas, si præparationibus Pharmacopœi sui fallitur; nec parum nonnunquam damni ægrotis per male præparata affertur. Præscripseram aliquando *Conchas præparatas* ad ardorem ventriculi tollendum. Has sumturus patiens cum aqua fonta-

inter miscendum effervescentiam animadvertit. Nihilominus assumit, sed mox de *ardore in ventriculo & faucibus* majori conqueritur. Hinc ad me, una cum pulvere suo properat. Pulvis non erat niveus, qualis tamen esse debebat, sed subluridus. Gustando particulam, mox in lingua ardorem sentiebam. Hinc ipsemet cum pulvere Pharmacopœum adii, percontaturus, quomodo has conchas præparaverit? Respondit calcinando conchas ad albedinem. Falleris, inquam, & fallis cum præparatione tua, sic enim *non medicamentum, sed calcem vivam* vendis. Tentavimus equidem edulcorationem cum aqua fontana, sed pulvis exsiccatus nihilominus acris erat. Hinc (etsi modus ille sit parandi *specificum antifebrile Crollii, aut Strobelbergeri)* autor pharmacopœo fui, ut *conchas* eas abjiceret, & præparationem (omissa calcinatione) inposterum, juxta *B. Wedelium*, macerando saltem cum aceto vini institueret.

(*Ratisbona missæ Altorfium, d. 13. Januarii A. 1731.*)

OBSERVATIO XXVI.

DN. D. GOTTLIEB EPHRAIM BERNERI,

De

Catarracta oculi dextri, in puero quatuordecim mensium, feliciter curata & discussa.

PUeruli tenerioris constitutionis, 14. Mensium in ipso partu obstetrix per violentam & vehementiorem contrectationem oculum dextrum malamque dextram adeo laserat, ut non tunc solum cum in lucem ex utero protraheretur, oculus ita intumuerit, ut instar ovi gallinæ extra orbitam

bitam prominere, dextraque gena, sinistræ, neutiquam similis appareret, sed compages ossea versus sinistrum latus valde contorqueretur, sicque sinistra mala paralysin quasi pateretur; quæ incommoda quidem paulatim omnia dispa-ruere. Accedente vero consueto dentitionis tempore, ac prodeunte primum dente incisore in maxilla inferiore sinistri lateris, cum reliqui ejus ordinis dentes eruptionem pariter urgerent, oborta rubedo & inflammatio oculi dextri, cum pustulis in eadem gena dextra prorumpentibus, adeo ut inflammatio genam in suprema ejus parte occupa-ret simul. Applicabatur aqua rosarum, in qua paululum Croci Or. dissolutum erat. His nihil proficientibus, sed contra incrementum capiente inflammatione tunicæ albugineæ & corneæ; oritur *suffusio*, adeo, ut non solum aqueus oculi humor, turbidus & plumbei coloris evaderet; sed & è regione pupillæ, macula quædam albicans instar capitis acicu-læ majoris, appareret, corneæ firmiter adhærens, plumbeo humoris aquei colore, versus inferiorem oculi partem sese extendens & dilatans; versus superiorem vero, hinc inde claro adhuc existente eodem humore. Hæc cum nihil aliud indicarent, quam *catarractam gigni in humore aqueo*, imo pelli-culæ rudimenta accrescere jam ipsi tunicæ corneæ, ad alia remedia transitus fiebat, & quidem quotidie bis vel ter in-stillabatur una vel altera gutta *pinguedinis viperarum recentis*. Externe vero fovebatur oculus sequ. Collyrio. ℞. Croc. metallor. ℈ß. Aqu. Chelid. major ʒi ß. aliquantisper bul-liant, Col. adde Tut. ppt. ℈ß M. tepide oculo inflammato cum linteo applicandum. Pinguedinis itaque dictæ instil-latione & applicatione hujus collyrii per quatuordecim dies continuato, color iste plumbeus sensim evanuit, redeun-te pristina claritate: Cum vero dissipatio viscidarum partium aqueum humorem turbidum reddentium procederet qui-dem, sed tardius paulo; applicatum fuit sequens Unguen-

tum, quo non solum dissipabatur obscurus iste aquei humoris color, qui jam in pelliculam facesserat; sed & partes istæ viscidæ quæ jam arctionem cohæsionem subierant, & sub macula alba in cornea è regione pupillæ sese ostendebant, penitus dissipabantur, ac margines maculæ in dies tenuiores fiebant, & decrescendo sensim, macula illa seu catarracta penitus dissipabatur, ita ut humor aqueus clarior evadens, in naturalem temperiem reduceretur: Unguentum vero erat sequens. ℞. Fell. Carpionum, mellis, succi Chelidon. major. expres. ana ℥iij. Coquantur parum donec inspissentur; Adde Tutiæ ppt. ʒß. Camphor. gr. viij. Pingv. viper. ʒij. F. Linimentum. Quo applicato inprimis calide semel vel bis, mane & circa vesperam palpebris inungendo, ita ut tunicam corneam attingeret, perfecte dissipata est dicta in puerulo catarracta.

OBSERVATIO XXVII.

DN. D. GOTTLIEB EPHRAIM BERNERI.

De

Singularibus phænomenis, in cadavere mulieris Cingaræ, peripneumonia defunctæ.

MEnse Martio An. 1728. post hyberna frigora, secui cadaver veculæ LX. circiter annorum ex *Zigeunorum* gente, peripneumonia defunctæ, in Theatro Anatomico Duisburgensi, in quo sequentia notatu digna occurrebant. (1) Cuticula cadaveris, quemadmodum hujus gentis esse solet, ex fusco nigricans; pinguedo panniculi adiposi pauca, summe flavescens, cujus cellulæ pinguedinem capientes infimo cutis strato

strato arctissime cohærentes; imo eidem hinc inde interspersæ & insertæ, ut vix à cute distingui & separari possent. (2) Omentum parvum & tenue ad manus latitudinem se extendens; unde umbilici regionem non attingebat, neque intestinum jejunum operiens. (3) Intestina tenuia, ut & colon & ventriculus mediocriter turgebant, cumque pinguedine pauca vas venosum breve involvebatur, rami ejusdem venosi & arterioſi egregie conspectui sese dabant. (4) Lien vero ex fusco nigricans ad quadratam fere accedebat figuram, ad crassitiem trium vel quatuor digitorum accedens, ubi post separatam externam tunicam, pulposa ejus apparebat substantia. (5) Hepar paululum extenuatum videbatur, ubi in substantia ejus pulposa, in extremitate lobi minoris deficere videbatur, adeo ut fere membranosa esset, ramis nervorum satis robustis apparentibus, constans. Ductus hepatici bile flava referti erant, in cystide vero fellea, bilis lutulenta continebatur. (6) Uterus compactus valde & solidus erat ac fere cartilagineus, post cujus incisionem stylis variæ magnitudinis inquirebamus aperturam tubarum Fallopianarum, quas nulla vi stylus intrabat: Tubæ Fallopianæ in suo ambitu in naturali erant situ & tenues valde, flatum tubulo immissum admittebant eo usque, quousque cellulosa earum structura terminabatur; reliqua & tenuior earum productio usque ad uterum stylum admittebat; Ubi denuo aperturam earum in uterum stylo explorabamus, sed styli transitum nullatenus admittebant; unde sine dubio coalitus factus fuit, inprimis in corpore senili. Circa collum uteri interne sinistri lateris puncta quædam notabantur, hydatides referentia, parva tamen, quæ ovarium Nabothianum referebant. Ovaria Graaffii cicatrices ostendebant, in unoquoque tres satis notabiles, quæ sine dubio relictæ erant & formatæ ab ovulis inde deciduis & post imprægnationem separatis. Inter ovula, quæ puncta pellucida referebant, quædam

satis

satis eminebant præ cæteris. Ovarium aquæ fervidæ immissum, & membrana externa separata, petiola & vasorum contextum, quibus ovario ova adhærebant, clare ostendebant; majusculum vero ovulum discissum, flavedinem notabilem, ceu vitellum ovi gallinarum ostendebat: In dextro ovario binæ hydatides, lentis magnitudine observabantur; labiorum nymphæ, nigro colore, ut cutis, erant tinctæ.

In thorace conspiciebatur pulmo ubique liber; in postica vero parte versus costas & vertebras sanguine atro suffusus, qui inflammationem peripneumonicam induxerat. Versus os sterni & cartilagines costarum pulmones aridi erant, nulloque sanguine suffusi, pallidi, nisi quod in ramulis venæ pulmonalis minoribus, aridus & concretus sanguis appareret, adeo ut ad dimidiam partem aridi velut existerent pulmones versus os sterni; altera parte, versus dorsum, sanguine rubicundo & coagulato distenti, arida vero pulmonum pars aëre magis erat distenta.

Cor insignes & elegantissimas intus ostendebat columnulas, quæ scil. constrictionem laterum ventriculorum cordis juvant, cum tendinibus copiosis & evidentibus, musculosis fibris adnatis & cohærentibus, & ex ipsismet ortis.

Glandula Thymus satis notabilis, nigrum autem exhibebat colorem. Ductus thoracicus, unico recto & simplici trunco conspiciebatur, triplici insertione in venam subclaviam. Mammæ exaruerant, ubi tamen post separationem panniculi carnosi, nullæ glandulæ, sed ductus lactiferi decurrentes ad papillam, licet tenues valde nullumque humorem continentes conspiciebantur.

In arteria magna, ut & vena cava omnibusque truncis majoribus, pauciissimus, imo fere nullus reperiebatur sanguis, magna tamen copia in parte pulmonum inflammata, paucus contra in vena portæ, ejusque ramis. Lien vero distentus sanguine crasso; in ramis autem vasis, quod breve dicitur,

tur, ſanguis quidem aderat, ſed non admodum copioſus. Panniculus adipoſus per totum corporis habitum crocea flavedine erat tinctus.

OBSERVATIO XXVIII.

DN. D. GOTTLIEB EPHRAIM BERNERI.

Anatome hominis, hiemali frigore interemti.

VIr 40. circiter annorum, infimæ ſortis, ac miſeram vitam agens; cum circa initium menſis Decembris anni 1728. frigoris rigoribus obrutus eſſet; (quippe quod frigus in diverſis mundi plagis & regionibus tanta ſævitie tum corpora hominum tum ferarum invaſerat, ut ab eodem congelata & victa ocyus ſuccumberent) ob vitæ calamitoſam conditionem & paupertatem veſtibus orbatus, in horreum ruſticanum vicini pagi ſeſe recipiens, mane à frigore enectus & rigidus inventus, hinc in urbem ad ſepulturam deportatus, theatro anatomico prius exponitur. In cujus cadavere ſequentia notatu digna obſervavimus. (1) Pollices pedum cum reliquis digitis, ipſisque pedibus ad genua usque, gangræna & ſphacelo tacti, obſcure liveſcebant, ungues in pollicibus ad contactum abſcendebant; gangræna vero & ſphacelus per cutem femoris, & per abdomen ad umbilicum usque ſeſe extendebat, unde regio epigaſtrica obſcuro & cœruleo colore quaſi ſugillata eſſet, apparebat, inſignem emittebat fœtorem: cute in tibia utraque ſeparata, inter hanc & muſculos, ingens aquæ ſeu lymphæ quantitas apparebat, cuticula in tibiis & femoribus veſiculas egerat, & hinc inde erat deglubita. (2) Cute ſeparata, quæ tenuis valde, panni-

culus adipoſus nihil pinguedinis continebat, quemadmodum panniculus carnoſus quoque inſtar membranæ ſaltem nervoſæ apparebat. (3) Omentum tenuiſſimum, multum infra umbilicum porrectum, omni pinguedine orbum erat, infra umbilicum corrugatum ac in ſe complicatum ſphaceloque tactum, ſanguinem congrumatum nigricantem juxta ductus & ramos venarum exhibebat: Ob tenuitatem vero hujus omenti plexus nervoſi varii ſatis conſpicui elegantiſſimi, ſub tenuiſſimis filamentis apparebant. (4) Inteſtina favis ſimillima exhibebant juga valvularum per totum inteſtinorum tenuium tractum maxime conſpicua elegantiſſimo ſitu & ordine; glandulæ vero inteſtinales hic nullæ erant conſpicuæ. (5) Meſenterium tenue valde, ac ne minimum quidem pinguedinis continens; glandulæ vero meſenterii naturaliter conſtitutæ; plexus nervorum meſenterii eleganti ordine, & ramificatione apparebant glandulis intertexti (6) Hepar juſta magnitudine, & colore rubicundo naturali apparebat; In concava vero ejus parte, inter hepatis membranam & pulpoſam ejus ſubſtantiam, abſceſſus reperiebatur pure albo inſtar lactis refertus. Veſicula fellis erat perampla, bile lutulenta & tenui referta, in cujus cavo calculus reperiebatur, glandis quercinæ majoris formam exacte referens, fuſci coloris hic *(Tab. II. fig. 2.)* delineatus; in collo cyſtidis ejusdem, quod admodum dilatatum erat, rugoſitates plurimæ apparebant, valvularum ſpeciem referentes. (7) Vena cava præter naturam diſtenta, copiam atri ſanguinis continebat: Ubi è contrario arteria magna præter conſuetudinem anguſtior nihil ſanguinis continebat. (8) Lien fuſci & cœrulei erat coloris, ordinarie in longum protenſus, rotundam hic obtinebat figuram. (9) Renes ſatis magni, in quorum ſubſtantia, parva ubique fere conſpiciebantur ulcuſcula, pelvibus fere evaneſcentibus, ob vaſorum & filamentorum nervoſorum miram implicationem & intricatum contextum, (10)

Ute-

Ureteres anguſtiſſimi & compreſſi, adeo ut ſtylo aperiri vix potuerint; Veſica urina vacua.

In thorace obſervabatur pulmo ubique pleuræ accretus, ut & diaphragmati per totam fere hujus latitudinem, adeo ut fibræ diaphragmatis & tunicæ pulmonum ſeſe invicem amplecterentur, & difficillime ſeparari poſſent; diaphragma vero in ſua ſubſtantia tenue perquam & totum fere carnoſum, ut circulus nervoſus vix notari poſſet; cæterum pulmones nigricantis & fuſci erant coloris.

Cor ſatis amplum erat, ac in latum valde extenſum, in cujus ventriculis ingentes polypi reperti, ſanguinis liberum tranſitum impediverant, fibris cordis, & columnis carneis adhærentes. In dextro ventriculo bini ejusmodi polypi, unus rotundus, alter ſatis craſſus, pedes ſuos per arteriam pulmonalem, & truncum venæ cavæ ad unius ſpithamæ longitudinem excurrebat; rami vero ejusdem laterales ad diverſos ramos arteriæ pulmonalis ſeſe extendebant. In ſiniſtro ventriculo pariter bini, quorum unus porrigebatur ad aortam; alter ad venam pulmonem, ultra ſpithamæ longitudinem uterque extenſus. Unde phænomena, cur ſcilicet vena cava adeo dilatata & ſanguine craſſo fuerit referta, nimirum ob difficilem regreſſum verſus cordis ventriculos, & cur aorta ſanguine vacua reperta fuerit, facile intelliguntur.

In cranio obſervabatur, quod ſutura ſagittalis coronalem per angulum rectum ſecaret, & tranſitu ſuo os frontis in duas partes divideret, protenſa usque ad narium oſſa parietalia. Sinus oſſis frontis bini, in diſſectione calvariæ ſatis magni & conſpicui, tenuiſſima membrana albicante intus veſtiti erant.

OBSERVATIO XXIX.

DN. D. GOTTLIEB EPHRAIM BERNERI.

De

Parotide à variolis inflammata, & hinc suppurata.

INfans puella unius anni, cum variolis epidemice grassantibus afficeretur, parotidis sinistri lateris patitur inflammationem, quæ cum in abscessum abiret, tardius à Chirurgo aperitur, impositio interim emplastro maturante; quippe quod Chirurgus ulteriorem maturationem necessariam judicans, apertionem differret, materia interim ex meatu auditorio prodeunte; tandem aperitur abiceſſus, materia copiosa crassa albicante fœtida prodeunte, abscessu consolidationem renuente; & materia simul per meatum auditorium prodeunte. Stylo cum exploraretur ulcus, sinuosum animadvertebatur cum carie ossis, quæ inprimis processum mammillarem & os petrosum, ac meatum auditorium in antica parte, qua externa auris concha per cartilaginem cum osseo meatu auditorio unitur, perforaverat, stylo ad meatum auditorium usque penetrante. Dilatavimus ulcus, turundis ad fundum ulceris usque immissis, madefactis & infusis simul remediis, ex Ess. Aloës, Myrrhæ, & Balsam. Peruv. mixtis; post quorum diutinam applicationem, particula ossis processus mammillaris separabatur & extrahebatur: Sed cum abscessus profundius penetraret ad os petrosum & meatum auditorium, sequentia adhibuimus: nempe Extr. rad Gentianæ, Aristol. longæ, Absinth. solutis in Ess. Hyperic. additis oleo Caryophyll. Euphorbii pauxillo & aliquot guttis, Balsami de Copaiba: Pulverem

verem itidem ex Irid. Flor. ʒß. & Gumm. Euphorb. ℈j. alternatim applicando. Hisce per quatuor menses & ultra adhibitis, nihil quidem ossis separatum fuit, licet hinc inde ossis denudationem à periostio & scabritiem aliquam exploratione styli perciperemus, quibusdam vero in partibus ossis petrosi & processus mammillaris glabritiem, carne quandoque spongiosa, quandoque solida ulcus occupante. Ab illorum remediorum usu tandem destitimus, cum nullam ossis separationem indè fieri animadverteremus; applicuimus aquam calcis vivæ cum aliquot granis Mercurii dulcis, ex quorum usu caro generabatur solida & paucum pus profluebat. Sed post aliquot septimanas infans in febrem incidebat, cum defluxione ad pectus, & vomitibus. Sub febris decursu aperiebatur denuo abscessus; Febre autem curata, immissimus denuo turundas intinctas Ess. Aloes & Myrrhæ ad fundum usque: quibus sensim omissis, instillavimus porro eandem essentiam, impositio emplastro de betonica; quorum usus adhuc continuatur, infante cæteroquin satis bene valente. Consimilem prope casum refert *M. Aur. Severinus* de efficaci Medicina Libr. 2. p. 263. Verum ille cauterio actuali curationem peregit.

OBSERVATIO XXX.

DN. D. GOTTLIEB EPHRAIM BERNERI.

De

Pulsu, quarto quovis ictu intermittente.

VIr sedentariæ vitæ, & literis deditus, sexaginta circiter annos natus, cum præterito autumno in febrem tertianam incidisset, implorat auxilium Medici, qui antequam primas vias præparasset, exhibet ipsi aliquot doses corticis Peruviani,

ruviani, quo ipso quidem paroxysmus fugatus fuit; sed animadvertit patiens pulsum inæqualem cum languoribus febrilibus & appetitu dejecto. Vocatus ego cum accederem, explorabam pulsum, quem non modo inæqualem, sed quarto quovis ictu omisso, ut nempe cum tres arteriæ pulsationes numeraverim, quarta in ordine deficeret. Exhibebam ægroto lene aliquod laxans; quo bene succedente, sequentibus diebus, pillulas antifebriles ex amaricantibus extractis, & pulverem absorbentem cum salibus antifebrilibus alcalinis, cum arcano dupl. & Antim. diaph. mart. mixtum: Eff. quoque antifebrilem ex amaricantibus: Quibus remediis, sudore quovis die circa quartam matutinam succedente, quartus arteriæ pulsus redibat & sanatus est æger. Sine dubio cortex chinæ impediverat excretionem & evolutionem materiæ febrilis, unde facile lipothymia, quin & apoplexia oriri potuisset: Celeb. *Lentilius* eundem pulsum observavit & non inepte *coturnizantem* appellavit, notisque musicis declaravit in Eteodromo Med. practico A. 1709. mense Octobri, pag. 1027.

(*Duisburgo Altorfium missa, d. 3 Febr. A. 1731.*

OBSERVATIO XXXI.

DN. D. JO. HARTMANNI DEGNERI.

De

Apostemate & ossescentia arteriæ magnæ descendentis, mortis causa.

VIr quidam nobilis, militiæ Dux, temperamenti melancholico-sanguinei, annos 74. natus, à juventute castrensibus laboribus assuetus, ac satis robustus semper fuit, nisi quod inde à quindecim circiter annis crebrioribus cordis

dis palpitationibus, per paroxysmos sæpius in anno recurrentibus, obnoxius fuerit. Pulsus inde à multis annis, etiam cum optime valere videretur, fuit inæqualis ac intermittens sæpius, tempore vero palpitationum multo inordinatior exstitit. Cæterum appetitus, somnus, & reliqua sanitatis officia satis bene sibi constabant. Post obitum vero uxoris, mense Majo 1729. defunctæ, variis molestiis, ob litem de hæreditate motam, afficiebatur, indeque valetudinarius magis redditus, circa autumnum non solum palpitationes cordis frequentiores patiebatur, sed & his novum, & quidem omnium molestissimum, accedebat pathema, nimirum pressio quædam in medio thoracis, circa regionem cordis, quasi pugno aut lapide duro ibi premeretur; unde respiratio, inprimis post levissimum motum, aut animi angorem impeditior erat, tantaque cordis angustia oriebatur, quam verbis aliter exprimere non potuit, quam quod ejusmodi sentiret mœrorem animi, ac si hominem interfecisset. Ex eo tempore continua hæc ipsi erat angustia levior quidem quandoque, nunquam tamen omnino cessans. Plerumque vero horis matutinis post somnum vehementissime angebatur, ut, nisi subito è lecto surgeret, se suffocatum iri putaret. Observabatur præterea jam ab aliquot annis tumor pedum, interdiu invalescens, noctu vero iterum evanescens. Sub initium Febr. 1730. mane evigilavit cum dolore atroci sub hypochondrio sinistro, conjuncta respirationis difficultate, hæcque singulis momentis adeo augebantur, ut è vestigio sibi diem supremum obeundum fore existimaret, ac respiratio intercludi videretur. Tandem doloris vehementia minuebatur circa meridiem, angustia vero, respirationis difficultas ac palpitationes remanebant, ægrique vires primo statim impetu adeo minuebantur, ut eo ipso die lecto affixus teneretur. Aderat quoque statim delirium leve, quod tamen spatio bidui sensim evanuit. Appetitus plane fuit prostratus, ac lingua muco albo

albo obducta, qui dulci sapore omnia imbuebat, quæcunque æger gustabat; unde saporem naturalem ciborum omnium amisit. Succedebant huic malo conatus vomendi, imo vomitus ipsi, inprimis ubi paululum jusculi levissimi assumebat; hinc major quoque angustia cordis ac febricula sequebantur. Urina ruffa rubrum deposuit sedimentum. Primis statim diebus sputum cruore leviter infectum apparuit, cum vix notabili tussi, qui tamen color cruentus cum tussicula sensim evanuit, me vero de causa ejus valde dubium fecit. Alvus in principio erat adstricta, sed propinatis lenioribus laxantibus fæces limoso-fuscæ, putridi casei instar fœtentes prodibant. Hæ dejectiones fœtidæ dum quotidie semel vel bis, sponte aut clysteribus adjutæ, succedebant, æger inde nonnihil levaminis sibi afferri sentiebat. Somnus autem fere nullus aderat, & ubi paululum obdormivit, mox suffocabundi & attoniti instar expergefiebat, & hinc suffocationis metu vix per oculi momentum in lectum potuit reclinare corpus, sed vel erectus sedere, vel antrorsum in sella recubare, vel pedibus insistere debuit, quo mali aliquod levamen percipiebat: Angor iste nunc ipsi videbatur in hypochondrio sinistro subsistere, nunc vero ex hoc in medium thoracis ascendere, hincque in abdomen regredi, & tunc tolerabilior existebat. Sæpius etiam versus medium diaphragma compunctiones aliquot duras expertus fuit, quasi pugno feriretur pectus, ictoque mortifero confoderetur. Si ructus aut flatus emiserat, sensit levamen angoris. Pulsus hoc in statu semper erat inæqualis ac intermittens, atque ex ejus majoribus intermissionibus angoris accessus & incrementum sentiri, imo prædici potuit. In curatione adhibita sunt medicamenta tantum levissima, ex herbis & radicibus emollientibus, abstergentibus, discutientibus & balsamicis, admixtis lenioribus acidis, variis sub formulis propinata, interpositis roborantibus ac pulveribus absorbentibus, temperantibus. Omissa vero

sunt

sunt omnia calida, acria, stimulantia & opiata. Ægrotus fomentationes aversabatur, Emplastrum vero sapon. camph. ac clysteres commode admisit. Quoad diætam, juscula carnium cum chæresol. farinacea cum succo citri, emulsiones amygdalatæ &c. iterato & parce porrigebantur. Sed irrita fuerunt plane omnia, ægerque à nullo medicamento notabile aliquod sensit levamen, excepto solo oleo destillato aurantiorum, quod angores vehementiores minuebat, pulsumque roborare videbatur. Tandem per spatium 4. septimanarum miserrime excruciatus, in lecto sedens ac loquens placide exspiravit. Petiit à me, ut post obitum cadaver suum aperirem, causamque angorum suorum eruerem, quod cum instituissem, admirabar primum, omnia abdominis ac thoracis viscera adeo sana ac illæsa apparere, nullumque inflammationis aut putredinis signum in iis extare, cum tamen per totum corpus, & in ipso pericardii liquore fœtor ille putridus ubique maxime se proderet. Cor quidem solito majus, & fere stupendæ amplitudinis erat, ac in ejus thalamo sinistro inveniebatur polypus magnus, aliquot transversos pollices longus, & figura oblonga, in cordis basi, ubi columellis & fibris musculosis firmiter adhærebat, albus, tenax, membranaceus, sed versus cordis apicem concretum sanguinem specie sua referens. Hujusmodi concretionem quidem adesse ego semper suspicatus eram, eamque causam esse palpitationum & orthopnœæ; non tamen polypum hunc, licet mole satis magnum, pro unica hujus morbi & mortis causa declarare potui, satis enim spatii pro sanguinis circulatione superfuisse, & cor ipsum, pro ratione magnitudinis polypi in majorem etiam molem extensum fuisse videbatur; neque etiam putredinis fœtidæ potuit esse causa. Cum vero hæc adhuc lateret, abdominis viscera ut eximerentur, & penitius inspicerentur, curavi, tum *sub ventriculo* oculis meis in opinato se obtulit *tumor magnus, quem propius perlustrans vidi esse arte-*

riam magnam descendentem, quæ in tantam crassitiem excreverat. Eo ipso enim loco, quo *arteria* hæc è diaphragmate processerat, *in crassitiem pugni extensa* erat, post hunc vero tumorem statum suum naturalem obtinebat quidem, sed *cum utraque iliaca tres pollices latos tota adhuc cartilaginea ac propemodum ossea erat.* Incidi hunc tumorem, & vidi esse *folliculum membranaceum* ubique cavum, in cujus medio versus canalem erat rima seu ruptura secundum longitudinem vasis; intus vero hinc inde *ad latera folliculi adhærebat materia pinguis ac semiputrida*, quæ eundem cum reliquo corpore exhalabat fœtorem, eamque materiam putrefactam apostematis rupti per dictam rimam in arteriæ canalem, & ex hoc per totum corpus dispersam fuisse, autopsia monstrabat, unde ubique idem ille fœtor. Præterea arteriæ sanguine fere vacuæ, venæ vero, imprimis cava, eo magis repletæ inveniebantur. *Tumorem* itaque hunc *apostematum* veram ac inevitabilem mortis omniumque symptomatum causam proximam fuisse, tunc satis superque constabat: imprimis vero patebat, cur ægrotus dorso incumbere non potuerit. Cum enim ventriculus aut abdominis viscera folliculo huic tunc rupto incumberent eumque comprimerent, sanguis à tergo veniens in circulatione sua impediebatur, ac quasi sufflaminabatur. Patebat præterea, etiamsi causa morbi nota fuisset, nullam tamen spem salutis aut curationis reliquam fuisse: Sanguis enim totumque corpus non solum à materia apostematis putrida inficiebatur, sed & fundus apostematis neque detergi neque consolidari potuit; nullus enim medicamentis ad eum locum patebat aditus. Inquisivi porro in remotam causam singularis ac inopinati prorsus hujus morbi, & ex defuncti consanguineo quodam intellexi, nullam aliam dari posse, quam quod cum patruo hoc suo in obsidione Duaci militaret, acciderit, ut obsessi incenderent pulverem pyrium cuniculi, cujus ruina factum sit, ut hic suus patruus terra obrutus

rutus ac pronus incurvatus diu jacuerit, donec ſuis aliorumque manibus effoderetur. Poſt quem caſum ſtatim etiam in magnum inciderat morbum. Hujus idcirco mali rationem primariam iſtam incurvationem & compreſſionem corporis extitiſſe, à vero ſimili haud abhorret. Cæterum *arterias oſſeam* quidem *naturam induere*, imprimis vero, *arteriam magnam oſſeam ſæpius inventam* fuiſſe teſtantur quoque *Act. Nat-Cur. Dec.* II. A. I. p. 214. A. III. pag. 108. ſeqv. Dec. III. A. III. in Append. pag. 163. & IV. pag. 146. A. IX. X. pag. 301. *Apoſtema* autem *arteriæ magnæ* ſingulare quid, & quantum novi, nunquam adhuc notatum mihi videtur.

OBSERVATIO XXXII.

DN. D. JO. HARTMANNI DEGNERI.

Mortis imaginariæ exempla duo.

IN præcedenti caſu notavi, ſtatim in principio dicti morbi, leve delirium apparuiſſe; hoc circa finem morbi rediit. Duobus enim vel tribus ante mortem diebus æger, qui ſanæ mentis compos eſſe videbatur, nihil tamen alimentorum, potus aut medicamentorum aſſumere amplius voluit, ſed omnia, quæcunque offerebantur, pertinaciter & ad mortem usque reſpuit, conſtanter regerens, *ſe jam mortuum eſſe*, nec quicquam rei aſſumere poſſe nec velle. Pulſum dum ipſi tunc temporis explorare volebam, nulla perſuaſione ad id, ut pateretur, aut manum porrigeret, adduci potuit; quotiescunque enim tangebatur, ſerio reſpondit: *ne me tangas; ſpiritus enim nec carnem habet nec ſanguinem.* Atque ſic obiit. Aliud magis notabile talis delirantis phantaſiæ exemplum

hac æstate se mihi obtulit; Virgo enim juvenis, ex moralibus potius quam physicis causis incidit in melancholiam; de omnibus rebus bene rationabatur, nec quicquam sanæ menti contrarium agebat, nisi quod omnibus viribus ac continuis lacrymis mortem sibi optaret; quamvis nullam desiderii hujus adeo impensi rationem solidam se reddere posse diceret. Omnia ideo medicamenta recusavit; hinc ut illa assumeret, ipse promittere ac simulare oportuit, nos talia porrecturos esse, quibus, si rite uteretur, sensim interitura esset. Sed cum non sentiret hunc effectum, respondit mihi, se jam certo intelligere, medicamentis ipsi mortem conscisere mihi nec animum nec licitum esse; hinc ut porro hauriret, agre induci potuit. Tandem cum ipsam aliquando inviserem, hilari mente mihi dixit: *jam se mortuam esse*, nec quicquam cibi aut medicamentorum assumere posse. Multis itaque rationibus, persuasionibus ac etiam vi parentum ad id cogi debuit, donec successu temporis paululumad se rediret, quamvis, dum subsistebant eædem morbi causæ, omne moriendi desiderium nondum plane abjecerit.

OBSERVATIO XXXIII.

DN. D. JO. HARTMANNI DEGNERI.

De

Variolis fœtus in utero.

VArioloſæ infectionis miram varietatem qui rite observat, facile fatebitur, tristibus potius adhuc tenebris artem nostram esse tectam, quam nos veram rationem posse reddere miræ diversitatis hujus morbi. In gravidis autem ante omnia hæc explicatu sunt difficillima, ma-

tres

tres enim interdum videmus variolis laborantes fœtus enixas fuisse, qui & ipsi jam in utero id vitii contraxerant, quod quidem rationi est maxime consentaneum. At rursus contra videmus, nonnunquam infantes natos sine variolis, cum tamen matres vel non ita pridem, dum eosdem utero gestabant, vel tempore partus eorum variolis laboraverint. Quandoque etiam accidit, ut matres sanæ parerent fœtus variolis infectos. Omnium horum subjectorum exempla ipse vidi, casus autem posterioris non ita pridem insigne documentum expertus fui. Nam fœmina quædam gravida tractabat duos ex liberis suis variolis adfectos. Cum vero illi jam convaluissent, *mater enixa est fœtum, pustulis rubris varioloſis ubique variegatum, quæ variolæ decursum suum suppurationis, & exsiccationis, ut variolæ vulgares absolverunt; salva interim & sana puerpera*, quæ cum infante optime jam valet. Hujus rei exempla, qui legere cupit, adeat alios medicos, imprimis autem consuli possunt *Act. Nat. Cur. Dec. II. Ann. VI.* pag. 147.

OBSERVATIO XXXIV.

DN. D. JO. HARTMANNI DEGNERI,

De

Variolarum infectione particulari per contactum.

VIdi ante aliquot annos mulierem, quæ *variolis* jam pridem laboraverat, cui illæ denuo *per contactum* sunt communicatæ, ita quidem, ut tantum *in parte specifice tacta* hærerent, nec reliquum corpus inficerent. Hæc

namque fœmina curabat infantem suum hoc morbo laborantem, interque gestandum ac dormiendum illius faciem suæ *genæ* admovebat, ut infans mollius cubaret. Inde vero factum est, ut in ipsius vultu & quidem *in istis solummodo locis, quæ variolis tacta fuerunt*, erumperent *pustulæ, quæ cum inflammatione suppurabant, & exsiccatæ decidebant, eadem ratione ac variolæ vulgares.* Cæterum vero mater sana mansit, nec quicquam mali per totum corpus sensit, nec etiam febre ulla laboravit.

(*Niviomago Altorfium missæ, d. 7. Mart. 1731.*)

OBSERVATIO XXXV.

DN. D. JO. JACOBI SCHEUCHZERI.

De

Singulari pugna Viri cum Serpente magno, cristato.

Draconum sive *Serpentum magnorum*, qui תנין (*Thannin*) nomine venerunt Hebræis, Historias legere licet passim in Annalibus Helveticis, dicam an Fabulas? Longa satis serie illos descripsi in *Itineribus Alpinis*, imo & delineari jussi, authoritate infida nixos, quorum plerique forte fuere imaginationis seu curiosulæ nimis, seu perterritæ, fœtus. Mirus in pedibus, alis, squamis, figura tota corporis, magnitudine, coloribus lusus. Haud demirarer miras relationes, si Helvetia nostra serpentifera foret regio: sed pauca nutrit, præter Viperas ex hoc animantium genere. Certissima est, & rara simul, quæ nunc sequitur, ιλλοιωπροσωπία, fide nixa non solum Nobiliss. & honestissimi *Jacobi Hirzelii*, Expræ-

Expræfecti Gryphæani, qui ipſe certamen ſatis dubium ſuſtinuit, ſed multorum teſtium, qui ſerpentem, velut in triumpho Arci illatum, ſuis viderunt oculis, & palpare poterant manibus. Ad ipſam me, absque ambagibus, accingo hiſtoriam, prouti eam mihi ipſe retulit fortis Athleta, vir cognitæ probitatis. Accedit ei menſe Majo A. 1720. ut bono mane Greiffenſea Oppidulo per pedes properans ad Pontem, qui Glattæ Fluvii littora jungit, juſſu ſuperiorum tunc reſtaurandus, Greiffenſeam inter & Schweitzenbach, in foſſa ſicca obſervans ſuſurrum, judicium, ſed præceps, ferens de lepuſculis inter frondes & folia ſicca latitantibus, canem venaticum, quem ſecum ducebat, invitaverit ad inſectandam prædam. Cane haud obſequente, imo renitente mandatis heri, alias ad proſequendos lepores agiliſſimo, ipſe viator baculo folia frondesque disgregat. Sed en! proſilit *Anguis latens in herba*, cum impetu, ſtrepitu & ſibilo, aggreditur virum optimum, aſſurgens juxta veſtium ductum, ambiens colli poſtica, integrum cincturus hominemque ſtrangulaturus. Fugam capeſſit illico, fidus alias comes leporarius canis, lepore quovis timidior deſerit Dominum & caſtra plenisque ſaltibus redit ad arcem. Extremas intendit vires ὠδύναις, collum ab hoſte liberaturus, qui rictu dentato aperto, & lingua vibrata, omnia mala minabatur; Victor tandem beſtiam ſubjicit pedibus, cultro terræ affigit per cutim duram valde in viſcera adacto, neque id absque difficultate: linquit in hoc ſtatu tanquam devictam, cultroque hærentem, viam ſuam proſecuturus. Duodecim circiter paſſus progreſſus obſervat anguem in ſpiras ſeſe volventem, exſilientem per 6. circiter pedes in altum, excutientem cultrum, non cogitans forte de novo, cui expoſitus eſſet, periculo. Aggreditur hoſtis, ſaltibus aliquot factis, de novo victorem, gyro quadruplici cingit & arctiſſime, crus ſiniſtrum, capite ſurſum erecto, & lingua anchoræ inſtar furcata motitante.

Per-

Percutit Præfectus argenteo baculi manubrio hostem tamdiu, ut lassum tandem & mortuum, vel quasi, evolvere potuerit, seseque iterum liberare. Sentit mox in crure ab angue arctato dolores, & intumescentiam: mortuam, ut sibi videbatur, bestiam arripit manibus, ad ipsam arcem, sedem suam, reportat, atque in victoriæ signum veluti Trophæo erecto suspendit. Ex pugna lassus, crure æger, in lectum se confert, & ad sudorem, qui copiosus jam ante manare cœperat, se iterum disponit. Bihorio elapso adferuntur nova de nova evasione bestiæ: Accurrit iterum victor hostem quæsiturus, sub strue lignorum latentem protrahit, defatigatum denuo suspendio punit, suspensumque linquit, qui sera vespera horam inter 8. & 9. sanguinem ore & vulnere evomens vitæ subiit ultima fata. Colore fuit obscure viridi, maculis nigris picto; pedes $5\frac{1}{2}$. Tigurinos longus, in proportione ad longitudinem crassus; sed id inprimis singulare, quod *cristam* gesserit in capite, attactu duriusculam, ut dimicantem pupugerit, pennæ ad instar ex scapo constantem, & fibris lateralibus: scapus medius niger, fibræ laterales albo-virides fimbria nigra marginatæ; ut sunt sæpe avium plumæ. Hujusmodi cornicula fuere tria, anterius maximum, reliqua duo gradatim minora. Hanc *cristam* erexit quoties irata, depressit defatigata. Commemoranda insuper veniunt duæ parvæ pinnulæ, sub initium colli ex quovis latere una.

De nomine, quod conveniat huic bestiæ, hæreo anceps: *Acontiæ* seu *Jaculi* occurrit omnium primum, quod jaculi adinstar sese fibret. *Ceraste* epitheto poscunt cornicula cristam efformantia. *Chersydri* (quod synonymum est etiam Acontiæ) vel & *Hydri* cognomen, quod in sicco degat & humido. Locus pugnæ (*le champ de bataille*) à Lacu Gryphæano vix 10. pedibus distat, & videntur pinnæ inservire natatui, nisi malis vibrationi saltatoriæ. Sane hujusmodi ser-

ſerpentes vident aliquando ruſtici tranare Glattæ flumen. Seligat quisque quod volet. In *Acontiam* quadrat locus, qui extat apud *Ælianum Hiſt. Anim.* L. VIII. c. 13.

Jaculus, ajunt, idem eſt Cherſydro ſerpens: qui primum in aqua, deinde multo tempore in ſicco degit, & omni animantium generi inſidias molitur. Hujus cautio in faciendis inſidiis ejusmodi eſt, ut ſecundum vias publicas abdite lateat, perſæpe etiam correpens in arborem aſcendat: ibique ſeſe contorte concludens, & in orbem coarctans, caputque in ſpiram occultans, ut prætereuntes tacitus ex occulto perſpexerit; in id ipſum, quod præterit, ſive fuerit beſtia, ſive homo, ſe jaculetur. Nam valet ſaltu, ut viginti cubitorum ſpatium tranſilire queat, protinusque ad ea, quæ ſaltu appetit, inhæreſcat. En igitur Acontiam noſtrum, ſed cui deeſt formæ deſcriptio. *Ceraſtem* ſi velis, ſelige locum *Plinii* Lib. VIII. c. 23. *Ceraſtis corpore eminere cornicula ſæpe quadrigemina* (heic trigemina) *quorum motu reliquo corpore occultato ſollicitent ad ſe aves.* In Collectaneis Hiſtoriæ meæ Naturalis Helveticæ circumſpicienti occurrit ſimilis fere Hiſtoria, quam memoriæ reliquit *Geſnerus Lib. de Aquatilibus p. 528.* Digna quæ heic inſeratur. *Rivus eſt ſatis magnus Tigurinus*, Glatt *nomine & denominatus ab eo pagus* Glattfelden: *juxta hunc tum rivum, tum pagum, ante paucos annos ſerpens quidam baculi craſſitudine, & 3 aut amplius pedum longitudine in ruſticum frondes illic colligentem inſilire conatus eſt, corpore in 4. ſpiras ſeu arcus convoluto: quod ille cernens, ſacco quem in uſum colligendi ferebat, relicto fugit. Serpens autem proſiliit ſpatio circiter 16. pedum, non tamen attigit ruſticum. Deinde cum ſacci arripiendi cauſa rediret, ſerpens denuo in eum proſiliens brachium ejus ſiniſtrum totum ſpiris ſuis implicavit (parte caudæ adhuc dependente, collo autem erecto) idque comprimendo (non ſatis memini, an nudum, induſio tectum fuiſſe puto) adeo arcte conſtrinxit, ut veſtigia ſpirarum imprimeret, non tamen momordit: nam ruſticus ſtatim altera manu capite comprehenſum abſtraxit, reje-*

rejecitque. Brachium vero paulatim putrida quadam sanie contabescens, carne nudatum est : sed tandem curatus æger, omni carne putrida extracta per Chirurgum, pulchre restitutus est, quotannis in eo brachio bis venam incidere jussus : fluit autem sanguis crassus & niger. Hæc ego ab ipso rustico audivi, & plurimas brachii cicatrices vidi. Hæc Helvetiæ nostræ *Plinius.* An huc pertineant, quorum, *Wagnerus* meminit *Hist. Nat. Helv. p. 241*, Serpentes Glaronensium virides atris punctis notati, & crassi, qui à colore *Grünling* nominantur, determinare nequeo, quia nondum talem vidi. In Historia, quam ex *Gesnero* retuli, doleo nullam adesse bestiæ ipsius descriptionem, quæ forte ejusdem fuit generis cum *Acontia Grypheano ;* congruunt circumstantia loci, insiliendi modus, abstinentia à morsu, constrictio arcta, tumor membri insecutus; sed rustico felicior præfectus, quod præter spirarum vestigia alte satis cruri impressa, & intumescentiam, forte sanguinis ab inferioribus reflui stagnantisque effectum, non aliud senserit malum. In symptomata, quæ rusticus ille fuit passus, quadrat locus *Dioscoridis Lib. VII. c. 17. A Cerastæ percussis locus attollitur, cum duritia pustulosus. E plaga sanies profluit, modo atra, modo pallidior: sed toto concretu varicosus intumescit.* Et quæ de serpente etiam *Acontia Polpoch.* dicto, Provinciæ Jucatan scribit *Nieremberg. Hist. Nat.* L. XII. c. 48. *Ictus est exitialis, intra tres dies icta partis carne decidua atque putrescente, ossibus vero nudatis, & in colorem fulvum vergentibus.* In cornicula tria, quæ de *Basilisco* habet *Galenus Lib. de Theriac. ad Pison. p. 460.* ei tribuens ἐπὶ τῇ κεφαλῇ τρεῖς ὑπερογάς. Et forte accidissent hæc utrique nostratium, si ictum inculisset bestia; servato semper inter serpentes calidiorum climatum & frigidiorum discrimine.

Nolo jam in hujus argumenti tractationem longius excurrere. Non possum tamen, quin Nummum commemorem rarissimum, in quo signatus *Draco cristatus* (tribus cornicu-

niculis noſtro ſerpenti ſimilibus, licet inverſo, quoad magnitudinem ordine erectis) cum caduceo & ſpica, cujus ectypum à *Patino* obtinuit *Spanhemius ac recenſuit Diſſ. de Præſt. Numis. p. m. 246.* haud indicans an ſit vel urbis, vel Regis, vel Imperatoris. Unicam habet ſeu carunculam ſeu criſtam Nummus urbis *Pantaliæ* in Thracia, apud citatum *Spanhemium. p. 184.* Omitto, quod minus huc quadrent, dracones in Ægyptiorum Nummis paſſim loto coronatos: Numisma item *Procilliæ* Gentis apud *Vaill. Num. Famil.* P. II. p. 317. Narravit mihi Anna Burrin, Meyeri Manſi Suawendingenſis uxor, fœmina honeſta, ſe ante aliquot annos in agro jacentem vidiſſe *ſerpentem* albicantibus ſquamis annulo flavo circa collum cinctum, *cum corniculis duobus erectis in capite.*

OBSERVATIO XXXVI.

DN. D. JO. JACOBI SCHEUCHZERI,

Circa Cataractas oculorum.

Die 17. Jun. A. 1724. Viris in re Medica expertiſſimis D. D. *Muralto*, *Hottingero*, *Zieglero*, attulit operator Noſocomii ordinarius, *Freitagius*, binos oculos vetulæ 60. ætatis anno demortuæ. In uno horum depoſuerat ante aliquod tempus operator *Cataractam*, eo quidem ſucceſſu, ut viſum recuperaverit: in altero, qui operatoris manui non fuerat ſubjectus, manſit *Cataracta* in priſtino ſitu; deprehendebant in hoc ſectores, effluxo humore aqueo, *Cryſtallinum circumcirca uveæ adnatum, margaritæ albicanti, ſed obſcuriori ſimilem, ut ſunt Glaucomata.* In priori oculo erat *Cryſtallinus altero & minor & durior, obſcurus flaveſcens, infra uveam revera depreſſus;* in vitreo, per quem tranſierat acus, nubecula quædam fuit obſervata.

OBSERVATIO XXXVII.

DN. D. JO. JACOBI SCHEUCHZERI,

De

Dendrite Glaciali.

SUnt *Thesauri nivis* adhuc dum, ut fuere *Jobi* tempore, vid. cap. XXXVIII. 22. absconditi, neque nodum figurationis solvit *Bartholinus*, neque post eum alii, perspicacissimi Naturæ Mystæ, postquam omnes tentarunt vires, tenderunt ingenii nervos. Sit thema, quod nunc propono, docimastici loco iis, qui me acutius vident. Rigidissima, quæ Annos 1728. & 1729. intercessit, hyeme, obtulit sese jucundissimum, de quo in præsentia, spectaculum, in valvis duabus ligneis Usterianæ Domus, quæ Tiguri est in suburbio, der Thalacker dicto, conclave est noviter extructum, ejusdem cum terra ima Horizontis, septentrioni expositum, fornace instructum, cui injecti subinde cineres calentes agitarunt vapores per aëra hypocausti non habitati copiose volitantes, sed blando adeo & regulari motu, at forte fortuna apertæ *valvæ*, quantæ quantæ, totæ interna superficie digiti fere crassitie obsessæ fuerint hujusmodi *ornamentis foliaceis, quæ facile plantarum revera resuscitatarum titulo venissent* Adepto cuidam, vel Philosopho per ignem, si quidem laboratorium heic fuisset seu parandorum ex vegetabilius spirituum, aquarum, essentiarum officina. Interspersa *Dendritis* hisce *nivosis* observavi numerosissima copia *hexagona glacialia*, veluti tenues orbiculos è prismatibus resectos, talia, qualia rigidissima illa hyeme Anni 1709. vidi in orbium vitreorum fenestris, descripta in *Herbario* meo Diluviano. p. 110. Tab. VIII. fig. 4. Editionis Belgicæ; observavit quo-

que,

Tab. II. Vol. III. Act. A. N. C pag. 109.

Fig. 3.



Fig 1. pag. 65.

Fig. 2. pag. 90.

que, imo ex glacie germinationes in septentrione *Svvedenborgh Miscell* Obs. p. 129. Merentur *Dendritæ* hi, conformes iis, quos exhibui fig. I Tab. VIII. citatæ, attentius examen, experimenta omni studio instituenda, judicium penetrans, quo tandem in hæc *Gazophylacii nivosi* secretiora introspicere detur, & conditoris gloria exaltari queat.

OBSERVATIO XXXVIII.

DN. D. JO. JACOBI SCHEUCHZERI.

De

Rene Membranoso cum Uretere valde dilatato ex Porco.

Die 16. Febr. 1729. ex macello allatus *Ren dexter porcinus pure membranosus, ut per Ureterem inflatus plene extendi potuerit & exiccari*, exiccatus autem pellucidus mansit, renis figura in septem lobos divisa, longitudo est 5″. latitudo & crassities 2″. cum quibusdam lineis. Pelvis ubi è Rene emergit 2″. Ureter modo contractus ad 1″. ad 1″. intervallo à pelvi iterum dilatatus 1½″. tota ureteris longitudo ad ingressum usque in vesicam 26″. tortuosus is erat, & per intervalla inæqualis diametri, utplurimum tamen 1″. in diametro, de qua inæqualitate egregie ratiocinatur *D. Rutty Urinari Passag.* p. 6. 2c. In dilecto rene per mediam longitudinem observavi duos extremos lobos, summum & imum intersepimento prorsus ligamentoso separatos à medio majori, sed tamen peculiari orificio hiantes in pelvim: Medius lobus valvulas habebat tres, quales sunt in intestinis; & ad exitum pelvis adest quoque valvula eminens semilunaris, moderans seri in Ureterem effluxum.

OBSERVATIO XXXIX.

DN. D. JO. JACOBI SCHEUCHZERI.

Cryſtalli Helveticæ ex rarioribus.

I.

TAbula polygona ex majori cryſtallo reſecta & polita micis chryſocollaceis, intus paſſim prægnans, quæ lapidi alias diaphano jucundum conciliat aſpectum. Sunt hæ miculæ ſub microſcopio flaveſcentes magis & diaphanæ. Pondus in aëre libero

	℥ 134.	℥ij. gr. 18.
in aqua	84.	2.
	50.	0.	18. decrem. ponderis

Erit ergo proportio lapidis ad aquam ut 2. $\frac{16}{17}\frac{1}{17}\frac{2}{17}$ quæ inventa in Cryſtallo alias pellucida nullaque materia heterogenea fœta $2\frac{14}{17}$ ad 1.

II. *Cryſtallus pellucida, innumeris veluti ſetis albo flaveſcentibus* (quæ totidem ſunt canaliculi cavi) *fœta*, ſed & craſſioribus atri coloris, veluti Antimonii Cryſtalliſati. Hujus pondus in Aëre libero

	℥ 54	℥ 3	4.
in aqua	34.		1.
decrement. ponderis	20	-	3.

Ergo proportio ad aqu. $2\frac{11}{17}$ ad 1.

III. *Fragmentum ex cryſtallo* reſectum *micis viridantibus intus refertum*, ſed & extus, qua parte non politus eſt lapis, obductum.

Pon-

Pondus in aëre libero ℥ 23.

in aqua - 14. ℥ 2.

proportio ad aquam $2\frac{44}{97}$ ad 1.

Crucem figunt hactenus phænomena circa *Cryſtallos* obvia, ſpeciatim eas, *quæ pilis, ſetis variorum colorum*, ut eſt num. II. *ſunt referta.* Et forte fortuna occurrent experimenta, quæ materiæ hactenus obſcuriſſimæ fœnerabuntur lucem. In hanc forſan claſſem meretur referri phænomenon, quod hiſce diebus occaſione Collegii Phyſici Experimentalis ſeſe obtulit. Laminas ſumſi 12. vitreas tenues, ætiologiam pelluciditatis & opacitatis demonſtraturus, impoſitas invicem demerſi in aquam puram, comiſſæ exhibebant filamenta piliformia, ut lapidem Jovem quis juraret, interjacere laminis ipſis pilos. Ita conceptu haud erit difficile, cryſtallina materia, eo tempore, quo ex fluida mutata fuit in ſolidam, vel preſſa vel attracta potuiſſe materiam qualemcunque heterogeneam, etiam fluidam, formare illiusmodi filamenta, quæ in lapide alias diaphano perjucundum præbent ſpectaculum, & Muſeis ornamentum. Et huic ipſi materiæ heterogeneæ ſi inerat forte aër elaſticus magis quam eſt in ipſa *Cryſtallo*, poterat hic ipſe preſſus, inſtante ſolidatione, qua data porta exitum quærens relinquere *filamenta*, ut ſæpe conſpiciuntur, imprimis Microſcopii ope, cava.

OBSER-

OBSERVATIO XL.

DN. D. JO. JACOBI SCHEUCHZERI,

De

Terræ motibus Helveticis, menſe Januario, A. 1729.

Ex rarioribus terræ concuſſionibus fuit ea, quam ſenſit non ſolum Helvetica tellus, ſed magna Germaniæ pars, æſtate Anni 1728.; Sunt vero non minus notabiles quæ intra Helvetiæ limites contigere Januario menſe A. 1729.

Die 13. hora circiter 7. p. viſus heic *Tiguri* ſeptentrionem verſus fulgor, ac ſi fuiſſet incendii longinqui indicium. Sed circa horam decimam fuit terra valido tremore concuſſa. Tremuit totum, in quo fui Muſeum, feneſtræ omnes. Directionem non obſervavi, neque nutationem; ſed vigilibus turrium noſtrarum fuit hic motus terrificus admodum. In turri Carolina obſervaverat vigil primo valvæ cujusdam vel januæ horizontali ſitu jacentis, qua clauſa præcavetur lapſui per ſcalas (Fall Laden) ſublevationem ſeu aperturam ad 2′. circiter altitudinem, quæ aperta manſit, retinente eam ſaxo è fune pendulo: Quam ſublevationem adſcribo non tam flatui vel vento ſurſum per turris cavum truſo, quam nutanti ipſi turri, & ſaxi cum janua æquilibris, per trochleam volubilis, deſcenſui. Mox autem ſenſerat ille quinque circiter ſuccuſſus tremendos, ac ſi turris integra ſublevata toties in locum priſtinum reſtitueretur; fragorem in tota tecti contignatione; nutationem à N. ad S. Ex ſpecula ſua proſpiciens in Lacum Tigurinum obſcuratum cum vidit vaporum atra congerie, cœlo circumiacente ſereno:

reno: Alii hora $8\frac{1}{2}$. obſervarunt fulgura verſus S. Ad utramque ripam lacus tremor fuit fortis admodum; ſpeciatim *Richtenſuilæ*, *Horgæ*, *Talvvilæ*; ut multi metuentes ædium collapſum fuga ſibi conſulere voluerint. In lacu ipſo qui navigarunt, ſuccuſſas obſervarunt naves, & aquam agitatam in fluctus, unde & ex aliis indiciis inferre licet eruptionem ſubterranei ignis ex profundo ipſius lacus. In urbe & agro trabeculis ſuis dormiturientes aves in caveis, emotæ nempe extra gravitatis lineam & centrum. *Egliſovia* hæc perſcribit Rev. Loci Paſtor *Haugius*, d. 14. *Nequeo me continere, quin Te de terræ motu heſterno, quo DEUS hora 10. pomeridiana nosque & viciniam noſtram concutere voluit, certiorem faciam. Oppidum quidem ipſum non valido contremuit motu, ſed arx & adjacentes arci ædes, ſic & Oberriedta viculus & villa, ſeu potius pagulus, in* Wyler *dictus, ad dextrum Rheni latus, ut & Tæſrieda ad latus ſiniſtrum Rheni, tanto motu terrebantur, ut & Ampl. Præfectus & reliqui dictorum pagorum incolæ adſererent, ſe per dies vitæ tantam motitationem non perſenſiſſe. Hoc ipſo momento quidam refert, Rorbacenſes ſummo cum terrore motitationem hanc eſſe paſſos:* Hæc ille. Directio nutationis in plerisque locis fuit ab O. ad W. vel a W. ad O. juxta alios ab O. N. O. ad S. W. S. plures quoque obſervationes ſtant pro linea Meridionali: In Baronatu Alto-Saxenſi obſervatus quoque hic terræ motus; videbantur ſibi nonnulli audire fragores tonitruum, alii murmura in ipſa domo, aliis collapſum minitabantur nutantes ædes.

Fortiores adhuc ſuſtinuit ſuccuſſus *Territorium Bernenſe*, imprimis meridionalis ejus & Alpibus ſummis contermina pars. In urbe ipſa motus fuit vehemens admodum, vento N. ſpirante fortiter, cœlo ſereno, frigore intenſo. Campanarum æra in nutatione turrium edidere ſonitum. *Interlaci*, quæ Præfectura nunc eſt, Cœnobium olim, obierat horam inter 9. & 10. Ampl. Præfectus *Steiger*, & hora 10. contremuit

adeo forte terra, ut ex prima agitatione dejecti fuerint tres camini, tremendo fragore. *Sublaci* (*Unterseen*) in convivio nuptiali projecta in terram quæcunque incumbebant mensæ, patinæ, scyphi, orbes, ut gaudiis interruptis illico domum repetierint metu tristi correpti convivæ. Scribebat alius mensæ adsidens ad Arolæ littora, sed momento citius inversa mensa cum libris & lampade, lectis excussa conjunx & liberi. In *Frutingensi Valle* non minus fuit hæc concussio valida. In pago ejusdem vallis *Richenbach* fornaces duo subversi, templum & turris fissa. In pago *Rütigen* fissuram egit templum à summo ad imum. In Arce *Spietz* fissuram egit turris. In Arce & Pago *Frutigen* sonuere campanæ, fissus Castelli murus à summo ad imum. Haud longe abhinc fissa rupes per præcipitia devoluta, ruinæ dedit sylvæ partem, datura & pago subjecto, ni obicem posuisset sylva. Hoc & sequentibus terræ motibus fuere montes vicini præalti occasione hac nive nudati. Labinæ & saxa magno fragore & accolarum terrore delapsa, speciatim ex *Nepo* monte: Quæ montium à nive denudatio variantibus ratiociniis occasionem dedit, sed attribuenda Austro calido eo tempore flante, quo terra tremuit. Dicuntur passim fissi montes, imo fissuris terræ egressus fumus, sed rumore incerto, neque postea confirmato. Auditus multis sonus veluti è tormentis explosis. *Worba* fluviolus haud procul *Berna* præterfluens dicitur exsiccatus, ut manibus potuerint capi pisces.

Lucernæ primam sensere succussionem paulo post horam 9. p sed quam non pro terræ motu agnoscebant omnes. ¼ horæ ante 10. fuit succussio gravior, tremebant parietes: sed gravior adhuc secuta h. 10. percipiebatur susurrus in aëre, tremuere tabulata conclavium, secuta nutatio. Inter horam 10. & 11. iterum tremuere conclavia. In turri, quæ Civica dicitur, quinquies sonitum edidere campanæ. De damno ex tot succussibus nil constat, nisi quod fissuras egerint non-

nullæ

nonnullæ ædes recens fabricatæ. In *Lacu IV. Civitatum ſylveſtrium*, qui piſcationi operam ſuam navabant, obſervarunt, haud absque majoris mali metu, nutantes in excitatis fluctibus naviculas.

Suitiæ & in *Subſylvania*, ut & *Uraniæ* fuit quoque concuſſio.

Neocaſtro ſequentia ad me perſcribit *D. Bourguet* de terræ motu d. 13. h. 10. p. *I' obſervai, que les coup venoit comme de l' occident, & que je fus bercé dansmon lit d' occident en orient, & viceverſa, par quelques vibrations, dont le nombre ne fut pas bien grand. Il y eut des perſonnes, qui eurent mal au coeur, comme il arrive dans le balancement d' un bateau. Madame notre Gouvernante evanouit a peu pres, il falut luy donner des eaux cordiales. Le coup fut plus ſenſibile au chateau, que dans le reſte de la ville. Ma fille qui etoit en compagnie dans un autre chambre de la maiſon, & qui a peine s' appercut de la ſecouſſe, eut auſſi mal au ceur. On m' ecrit de Geneve, que diverſes perſonnes eurent mal au coeur, ce qui n' avoit point eté dans le tremblement de l' Eté paſſé. Des Lauſanne mes amis firent la meme obſervation, que moy ſur le mouvement d' occident en orient & viceverſa. Dans nos montagnes on le remarqua comme moy. Et le Guè du Locle qui etoit en rue aſſura, qu'il avoit entendu le bruit ſous ſes pieds, ce qui eſt tres apparent, parceque ces montagnes ſont pleinnes des concavites.*

Lauſannæ obſervata a Nob. *de Seigneux* directio ab O. ad W.

D. 14. inter horam 4. & 5. ante obſervata iterum concuſſio *Richtenſuilæ & Wadisvvilæ*. *Bernæ* binæ h. 1. & 4. *Interlaci* tres poſt mediam noctem circa 4. & verſus 7. ſed fuere omnes hi ſuccuſſus debiliores illis diei præcedentes. Ex *Simea Valle*, Sieben Thal, attulere nuncii, undecies fuiſſe terram concuſſam. *Lucernæ* inter horam 2. & 3. præſertim in ædibus lacui vicinis, & Cathedralis Eccleſiæ diſtrictu. *Neocaſtri circa 4. a. & juxta aliquos circa 2. a.*

Die 18. hora 9. p. alia concussio observata *Richtenswilæ*; *Hochdorffi*, *Sempaci*, & locis vicinis territorii Lucernensis observatus quoque tremor inter h. 5. & 6. a. sed brevis durationis. Neocastri circa 9. p.

OBSERVATIO XLI.

DN. D. JO. JACOBI SCHEUCHZERI.

De

Inedia diuturna Christinæ Kratzerin.

Divagans longe lateque, non solum per Helvetiam, sed & per exteras Regiones rumor de *longa plurium annorum inedia*, quam sustinuit *Christina Kratzerin*, digna utique sollicita indagine, & Medico-Physica disquisitione: Ne autem fabulam enarrare videar, historiam concinnabo fundatam testimonio publico non solum *αὐτόπτων* innumerorum, qui per transennam saltem conspexerunt virginem, sed & Ampl. *Fischeri*, loci, in quo jussu illustriss. Senatus detenta diu vivebat Præfecti, sigillo Senatus publico sub finem Anni 1728. firmato: sed quoque ex *Diss. de Miraculis Samuelis Hortini*, quam sustinuit Præside D. *Samuele Scheurero* S. Theol. Prof. Bernæ 1728. ubi sequentia leguntur Th. 29. interpolanda aliis aliunde petitis subsidiis.

Filia hæcce nomine *Christina Kratzer*, legitimo thoro nata A. 1697. in Pago Æschi, Præfecturæ Frutingensis, in montanis Ditionis Bernensis sitæ. Staturam ejus si respicias est ea mediocris, tenera, non admodum macilenta; Temperamentum phlegmatico-melancholicum, facies aliquantillum pallida, & cicatricibus aspera; à variolis in utroque lumine cœca, reliqua vero satis formosa, capilli nigricantes, hirti, com-

compage corporis debilissima multisque infirmitatibus semel atque iterum attenuata: juventutem tum meditatione rerum salutis, colloquiisque piis, tum exercitiis coli transegit. A. 1728. una cum parentibus suis dira paupertate pressis, Palatinatum & loca vicina petebat, ubi per $3\frac{1}{2}$. annorum spatium commorata, Enthusiasmo correpta fuit, quod etiam in Patriam reduci haud semel accidit, ita ut plebem superstitiosam seduceret, eique errores fanaticos, ad ruinam status civilis & ecclesiastici tendentes propinaret: quorum progressum ut impediret Illustr. Magistratus, Prophetissam hancce per aliquod tempus A. 1723. in Castello Frutingensi captivam detineri jussit. Hucusque filia hæc parco semper fuerat ciborum usu, ita ut per integrum sæpius octiduum jejunaret, promiscue tamen alias omnis generis cibis, & præcipue *pomis terrestribus* Erd-Apffel, (fuit sine dubio Chrysanthemum Indicum radice tuberosa, seu Helianthemum Indicum tuberosum C. B. in hortis passim obvium, cujus radices veniunt in cibum, eumque non ingrati saporis) vescens. E captivitate vero Frutingensi domum rediens, venæsectione facta (quæ aliis temporibus, cum ulcere cacoetheo in tibia sinistra laboraret, immanem semper quoties illam administrabat, sitim excitabat) non solum facultatem amisit cujuscunque generis dapibus fruendi, sed & nauseam sensit omnis potus calidi, tantam quidem, ut ad haustum omnium, quæ vim ignis calefacientem senserant, vomitus obortus fuerit. Supererant ergo pocula frigida sola nutritioni corporis illius inservientia: Mense Julio vel Junio 1723. corripiebatur febri ardente, qua cum jam aliis vicibus ipsi conflictandum fuerat, quæ eousque debilitatis corpusculum illud redigebat, ut inde ab eo tempore non solum lecto semper affixum hæreret, sed ne quidem viribus gauderet sufficientibus se loco movendi.

Ejusdem Anni d. 16. Sept. in Cœnobium Thorbergense, duabus leucis ab Urbe Berna dissitum, jussu Illustr. Magistratus transferebatur, ubi per menses viginti duos, primo quidem singulis diebus tres aquæ ceraforum mensuræ quadrantes, postmodum vinum, ejusque nausea oborta, lac & tandem ptisanæ anisatæ magnam satis copiam, absumebat, adjectis ultimate Sacchari frustulis aliquot.

Die 13. Jul. 1725. convulsionibus misere agitari incipiebat, ut nullam vitæ spem reliquam faceret, omnesque præsentes in singulas horas extrema ejus fata expectarent. Verum paucis diebus præterlapsis cessabant asperrimæ hæ convulsiones, una cum omnibus excretionibus, & omnis potus cujuscunque generis appetitu, ita ut mirum sane dictu! inde ab eo tempore impossibile ipsi esset sive solidi sive fluidi quidpiam absorbere: interim tamen frequentissime aquis ad colluendum os utebatur. Asitia continuante, omnique alimentorum usu per novem menses cessante, Illustris tum temporis ejus loci Præfectus, D. *Fischer* d. 24. Mart. historiam facti hujus singularis magnificentissimis Reipublicæ nostræ Senatoribus literis communicavit, qui absque ulla mora trigæ Physicorum & Chirurgorum nostrorum in mandatis dedere, ut itinere Thorbergam instituto experirentur, quid de casu hocce extraordinario judicandum sit, qui 29. Mart. appulsi, fraudis nullum experti sunt indicium, sed potius instituto experimento, de rei veritate convicti sunt; lactis enim aliquot guttas ori infusas ad epiglottidem usque descendere videbant, quæ vero superveniente expiratione, sanguine & pure mixtæ revomebantur, non sine suffocationis periculo, subsecuta maxima imbecillitate.

Rescriptum Nob. Præfecti *Fischeri* ex Originali ita sonat.

Nachdeme dieses Mensch im Sept. 1723. aus der Gefangenschafft zu Frutigen, da es wegen verdächtig-erweckten Separatismi zu Aschi enthalten ware, gelassen worden,

ist

ist solches den 16. dito auf einem Brancard von Männern getragen zu Torberg angelanget, allwo es in eine Pfründer-Zellen logirt, und der Aufsicht der Pfründe-Magd übergeben worden, da es wegen grosser Schwachheit beständig biß dato das Bett halten müssen. Seine Nahrung bestunde während ohngefehr $1\frac{1}{2}$. Jahr in nichts anders, dann in Kirschen-Wasser, Milch, und Stücklein Zucker, könte sonst keine andere Speiß, auch nichts warmes gebrauchen, welch Eckel seiner Sage nach entstanden, von einer Aderlässe, so es gethan, als es zu Frutigen aus der Gefangenschafft kommen. Wir hatten probirt ihme warme Mehl-Brühen zu geben, und das zu unterschiedenen malen, auch Fall-Tranck, und ein andermal Theé, allein alles umsonst/ dann es solches wieder von sich brache, biß auf das Blut. Nach der Zeit hat es nur die kalte Milch allein gebraucht, ohne Kirschen-Wasser, muste aber abstehen, wegen verursachten vielen Schleims, und brauchte hernach Wein. Ohngefehr den 13. Jul. 1725. ist dieses Mägdlein mit einer starcken Kranckheit überfallen worden, so, daß es gar abgemattet war, durch die hefftige Gichter, die es auf dem Bett sehr in die höhe geworffen, so, daß man seines Lebens keine Hoffnung mehr hatte, und meine Ehe-Liebste, samt einer meiner Schwestern biß um 11. Uhr des Nachts wachten, in Meynung auszuwarten. Von selbiger Zeit an, brauchte es völlig nichts mehr, als Veyel-Syrop, um seinen erhitzten Mund und Rachen abzukühlen, und zu dämpffen, welchen es sehr gut befunden. Diesen Syrup hatte es etwan 3. Tage gebrauchet, zuletzt aber nichts mehr hinunter gelassen, sondern mit Wasser vermischt, den Mund zu spühlen: hat hernach darvon abgelassen, und seinen Mund nur öffters mit dem frischen Brunnen Wasser abgekühlt, und ausgespühlt, kan auch nichts mehr hinunter lassen: Wie dann ums Neu Jahr von Frauen heimlicher W. und Jungfer G. und meiner Ehe-

liebsten probirt worden, da sie ihme süsse Milch-Speisse eingeben wollen, in Meynung, weilen sonst die Milch seine beste Nahrung gewesen, es könte etwan selbige hinunter schlucken, allein es ware vergebens, dann es konte nichts bey sich behalten, gab auch einen ziemlich zähen Schleim von sich. Hier muß ich mit allen Respect nothwendig melden, daß seit dieser Kranckheit dieses Mensch keine Auslehrung hat, doch so lang es den Syrup gebraucht, das Wasser von ihr gegangen, seit etwan einem halben Jahr aber alles gestanden. Dißmal klagt es Frost, Haupt-Wehe und Schmertzen im Rucken, welches letztere aber, wie ich glaube, nur von dem 2½. jährigen Bettlager herkommt. Für dieses Ruckenwehe habe ihme Camphor-Brandwein gegeben. Hat also diese Christina Kratzerin allhier zu Torberg ohne Speiß gelebt, seit dem 16. Sept. 1723. und ohne Tranck seit medio Julii 1725. lebt also ohne einzige Nahrung bey 8. Monathen. Torberg, den 24. Mart. 1726.

Experimenta à DD. Medicis; Herzogio & Knechtio, Chirurgoque Vernier instituta fuere sequentia.

Propinatum Lac revomuit illico, cum violentia & tremore. Qua occasione observatum fuit, os contractum valde aperire non posse neque linguam exerere.

Injectum clysma ex jure carnium absque effectu,

Propinatus Mororum Syrupus vi protinus fuit rejectus, ad sanguinis usque eruptionem.

Clysma aliud injectum ex oleo Chamomillæ, omni caruit effectu.

Nob. *Zieglerus* M. D. Scaphusianus, qui per quadrimestre Thorbergæ commoratus, summa diligentia, pro laudabili sua curiositate huic filiæ invigilavit, similia tribus vicibus expertus est, religionique sibi duxit plura instituere experimenta ejusmodi, ne agitationibus violentis repentinam mortem adsciscceret.

Ex D. Ziegleri obſervatis omitto, quæ hactenus ſunt allegata.

A. 1721. in Palatinatu febri ardente maligna correpta, & ab ea curata A. 1722. domum repetiit.

Lactis cochlear porrectum, vomitum cum ejectione ſanguinis produxit. Vini guttula in folio ſalviæ hærens nauſeam priſtinam, horripilationes ſtupendas cum anxietate præcordiorum adducebat. Similiter ſyrupus deglutitus diros excitavit inſultus, ut crederet quis, animam illam ſimul efflaturam: tum prima vice exierat mucus magnitudine piſi majoris, per horam ſuffocationem minante in gula, natura ſic valide reſiſtente, experimenta omnia neglecta ſunt.

D. 30. Aug. 1726, mane in lipothymiam magnam prolapſa adſtantes coegit me vocare, ſigna mortis inſtantis viſa, ut certo certius crediderim eam pauca intra momenta expiraturam: Ecſtaſis octiduana omnium ſenſuum uſu tum temporis ipſam privarat, ita ut altiſſima voce de his vel illis rebus interrogata, nihil audiret, odoratusque, quos alias gaudebat ſubtiliſſimo atque plane extraordinario, nullis odoriferis excitari poſſet. Pulſus alias naturalis, remittebat. D. 5. Sept. liberum rurſus loquelæ uſum nacta, ignara omnium præteritorum conquerebatur de maxima debilitate & dolore tenſivo cordis.

Os poſtea per 4. ſeptimanas ipſamet viribus maxime proſtrata colluere nequivit: Ultra pollicis latitudinem oris apertura non producitur, niſi ſummo tenſionis dolore ſolo illitu aquæ humectatur os. Somnus per 2. menſes fere nullus, & ſi forte, parcus, reſpiratio redditur difficilis: ab attactu veſtigia rubicunda in cute retinet: ungues præſciſſi renaſcuntur, ſudor quandoque in digitis rarus: Reſpiratio difficilis.

Die 14. Sept. injectus clyſter ex ſeri lactis m. ß. cum pauxillo Saponis Veneti, magnitudine nucis juglandis in illo ſo-

luto, ad 2. horas in intestinis permanens, immutatus effluebat: post extractionem tubuli aliquot effluebant guttulæ, alvus tamen mox constringebatur, ut eam apice tubuli quærere & aliqua vi (quod repetitis vicibus factum) adigere debuerim: tribus elapsis horis emanebat tota liquida quantitas madefaciens 6. duplicaturas lintei crassioris nullo colore tincta, odoris expers. Secutus ardor in intestinis, in corde & per totum corpus tremor, deliquium animi, pulsus velocior & plenior, respiratio fortior.

Die 15. Sept. 1726. lactis vaccini ab uberibus calentis guttas 3. propinavi, has in lingua colligens versus palatum tendens deglutire videbatur, sed nausea inveterata in corpus tenellum dominans vi magna evomere coegit, unde horripilationes, debilitates summæ insecutæ.

Odores jam respuere incipit, sentiens ex illinitione gravitatem quandam. Cerumen in utraque aure modicum, tenacissimum. Oculi quandoque madent, & serum fundunt utplurimum capitis dolore prægresso: pulsus nil mutatus: vox sonora paulum redditur. Hæc per 4. menses eodem loco & simili cura observavi.

D. 12. Apr. 1726. jussu collegii Insulani Torbergam missa Maria Magdalena Stämmelin, ut adsisteret ægræ, & in dies binos applicaret clysteres, & balneo imponeret; Balneatio effectui dari non poterat, neque clysterum usus continuari, ut mandante Magistratu & supplicante ægra ab hujusmodi conatibus absttahere fuerit necesse.

His peractis nullæ observabantur mutationes alicujus momenti, nisi quod d. 18. Aug. 1727. nausea aquæ oborta fuit, qua alias ad colluendum os semper utebatur, putridum sibi videri hunc liquorem asserens inde ab eo tempore, quam rarissimus, imo ab aliquot mensibus plane nullus lymphæ usus est.

Licet

Licet inde ab An. 1723. lecto affixa hæreat, nulla tamen unquam corporis læsio à strato oborta fuit; etiamsi per tres, & quod excurrit annos abstemia sit, nec facies: nec collum, nec pectus, nec brachia ullam maciem arguunt: & perpetuum jejunium frequentem haud impedit sudorem: Vox debilis augetur exercitio. Fenestris clausis difficulter procedit respiratio. Memoria & eloquentia gaudet felici; statu animi pacato, nec abhorret à jocis liberioribus. Cubiculum duabus ex plagis fenestras habet, duas etiam portas, ita ut aëre utatur semper pervio.

Sub initium, Octobris 1728. insolita urgebatur & intensa siti: potum frigidæ recusavit Ampl. Præfectus, metuens ne molestiæ inde orituræ accelerarent mortem: annuit desiderato à *Christina* lactis sero; haurit ægra cochlear, deglutit summa cum molestia & ardente dolore: fragor audiebatur in imo ventre, veluti ex scopleto minori explosо; præstolabatur ipsa ultima vitæ miseræ fata: elapsis diebus aliquot iterum assumsit memoratam dosin seri, sed minori cum difficultate: duplabat postea dosin per vices, observata semper ventris murmura. Eo autem successive auxit dosin, ut ad plenum sitis levamen potum hauserit. Subinde & uvæ baccæ exsuxit succum; cæterum sero lactis contenta. Maximum autem sensit incommodum ex prima alvi dejectione, secuta post dolorosa conamina: sedes tandem obtinuit iterum liberas. Has circumstantias refert fide dignus & αὐτόπτης, *Abrah. Kyburz.* Lit. d. 18. Nov. ad amicum datis.

Narratur, incerto quidem rumore, revelasse *Christinam* non nemini confidenti, quod per singula nychthemera sentiat *afflatum auræ lenis, quo totum corpus perfusum novas recipiat vires, & veluti ab alimento assumto restaurationem.*

Enodanda proponit citatus supra *Hortinus*, qui rem

miram miraculis providentiæ adscribit, sequentia problemata.

1. An infinitæ particulæ, quæ per transpirationem insensibilem singulis momentis ex corpore humano decedunt, legibus naturæ convenienter alio modo, quam per cibum & potum sufficienter resarciri possint? Occasionem huic quæstioni dat habitus corporis non extenuatus, nec colore vivido destitutus. Auget dubium, quod creverint durante inedia ungues & pili; sudor item satis frequens.

2. An particulæ aëris nitroso-balsamicæ una cum singulari aëris loci alicujus temperie, multum facere possint ad alendam & sustentandam corporis humani machinam?

3. An verisimiliter supponi possit, quod intestina in corpore abstemio paulatim consumantur, & in alimentum convertantur?

4. An situs corporis tranquillus, animus pacatus, & specialis temperamenti constitutio multum facere possent ad explicanda Phænomena personæ, multos annos vitam jejunam agentis?

5. An possibile sit, ut eædem particulæ, quæ per transpirationem fuere exhalatæ, circulo in cubiculo facto, per respirationem porosque sudore apertos corpori rursum communicentur, & alimenti loco inserviant?

6, Annon plumæ in strato, spongiæ ex parte naturam habentes, humidum aëris absorbere, corporique subjacenti illud alimenti loco communicare possint?

7. An ursorum, per hyemem nihil comedentium exemplum inservire possit illustrationi casus hominum illorum, qui jejunium diutius observant?

8. Unde oriatur sudor in corpore, cui nec solidi, nec fluidi alimenti quicquam communicatur?

9, An

9. An cubiculo *Christinæ Kratzer* singulare quid sit quod jam secunda vice inhabitetur ab hominibus aliquot annos vitam jejunam agentibus?

10. Quomodo motus & circulatio sanguinis in eodem (corpore) conservari possit?

11. Qui fiat, quod in corpore, per quinque annos lecto perpetuo affixo, nulla unquam oriatur læsio?

12 Quæ ratio dari possit somni molestioris & rarioris, observati in *Christina Kratzer*.

De mentis, sive interno *Christinæ* statu, ex relatione Pastoris fidelis & docti, cujus alloquiis sæpe usa, hæc habeo: 1.) ἀυτάρκειαν possidere in voluntate Dei. 2) remotam à sanctitatis propriæ qualibuscunque meritis, de Gratia Dei in Christo Servatore persuasissimam. 3.) Amore Dei & Servatoris sui flagrare, nec esse collocutionem gratiorem, quam quæ Deum concernit, & Divina quoque. 4) Memoria pollere & judicio, facundam quoque esse.

Postquam Octobri mense 1728. rediit sitis, & ipsius cibi appetitus, exhibita fuit mica panis cum oleo olivarum subtiliter trita & frixa, digesta post horrendas convulsiones, secutæ etiam alvi dejectiones. Auxit abhinc dosin assumtorum, delectata cumprimis mixtura ovorum & lactis. Assumserat postea & toleraverat varios alios cibos; auxerat & potum, ut per diem sæpe assumserit ad binas usque mensuras, vixque sufficerit præbendæ alias illi dicatæ dimensum. Quæ circumstantia in memoriam revocat *Apolloniæ* illius *Schreyeræ* casum, quam post septennalem inediam adeo dira cruciavit fames, ut calcem & retrimenta ex muris devoraverit.

OBSERVATIO XLII.

DN. D. JO. JACOBI SCHEUCHZERI.

De

Salis Badenſis Thermalis effectu.

D. 25. Oct. 1728. exhibui ℥ij. *Salis Badenſis* juvenculæ uxori, quæ pituita habebat ventriculum obſeſſum, & urinam crudam: ſed nil operata eſt hæc doſis.

D. 3. Nov. dedi ℥iij. quinquagenariæ, decumbenti tumore ſcirrhoſo & cancroſo, qui occupavit totam malam dextram: ſenſit mox ardorem ingentem, qui vix ſedari poterat multo potu, eruperunt convulſiones, ſecutæ anxietates, Lipothymia. Semel duntaxat movit alvum hæc doſis. Notandum autem, fuiſſe hanc fœminam inde à longo tempore convulſionibus iisque horrendis obnoxiam: ſed vix dubitandum, quin ſal hoc inprimis viis offenderit acrimoniam, qua tota ſanguinis maſſa ſcatebat, acidam, qua cum abiit in effervescentiam. Exactis aliquot diebus ſedimentum urinæ fuit pituitoſum.

Menſe Martio 1729. filiæ 14. annorum, pro tumida maxillari glandula dextra præſcripſi 2. doſes *ſalis Badenſis* ad ℥ij. pro doſi, cum Theiformi infuſo ex hormino alpino, & arnica. Secuta fortis diureſis cum diminutione tumoris.

OBSER-

OBSERVATIO XLIII.

DN. D. JO. JACOBI SCHEUCHZERI.

Anatome taxi ſuillimaris.

MEnſe Martio 1729. cultro Anatomico ſubjeci *taxum ſuillum*, cujus longitudo ab extremo roſtro ad extremam caudam erat 30. digitorum. Ventris diameter 7′′. proin $\frac{1}{4}$′′. circiter longitudinis. Convenit deſcriptio cum *Rajana Synopſ. quadrup.* p. 185. Quæ autem vel diverſa ſunt ab ea, vel nova obſervata, proxime ſequentur & applicative ad vitæ genus, quod meles habet animal ex rarioribus, ignoratum veteribus Zoologis.

Animal hoc maximam vitæ ſuæ partem degit ſub terra, in qua fodiendo cuniculos ſibi parat pro domicilio; proinde valida habet crura, inprimis anteriora, validos *muſculos pectorales*, quibus ſubſtrati *recti abdominis* etiam validi ad primam usque coſtam tendunt, uti in aliis bene multis brutis, ut proin expirationi inſerviant non ſolum arctando abdomen ſed & coſtas deprimendo; primæ enim valido tendine inſeritur. Pectorales inter & rectos adeſt pectori inſtratus *Muſculus*, qui à media prima coſta oritur, & oblique ad ſternum medium inter tertiam & quartam coſtam inſeritur. Formant hi concurſu ſuo triangulum acutangulum, & inſerviunt inſpirationi.

Eodem officio defungitur *ſerratus anticus*, validus ſatis, qui recta deſcendens in ſextam & ſeptimam coſtas inſeritur.

Panniculi carnoſi portio valida & muſculoſa penem ambit, in angulos acutos coiens, ejus proin motui inſervit.

Vaſa

Vasa deferentia eodem ordine, quo in homine abdomen subintrat, & sese reflectendo duplam vel triplam crassitiem assumunt, & sic urethram, vesicam inter & rectum intestinum ingrediuntur. Sunt ultimi hi vasorum deferentium processus duri attactu, & ferme cartilaginei, ante ingressum in urethram valvula forti membranacea transversim protensa firmati.

Bilis exitus in duodenum patet 2''' circiter sub pyloro & est *Porus hepaticus simplex* satisque magnus, ad angulum acutum coiens cum cystico meatu. Porum hunc bilarium *triplicem* in taxo femella observavit *Rajus*.

Foramen ovale vidimus apertum: fuit autem animal circiter anniculum.

Laborat hoc animal non cruribus duntaxat, sed & capite in rostrum satis acutum tendente, proinde id validos obtinuit musculos, & hos inter *Mastoideum*.

In *Intestinis*, præeunte *Rajo*, nullum observavi discrimen inter tenuia & crassa, sed adest una eademque fistula, absque cœco & colo: Id duntaxat observare licuit, quod *rectum* amplius sit præcedentibus, imprimis versus anum, & 7''' circiter ab ano, atque abhinc ad 7''' plus ultra, consitum copiosissimis *glandulis*, quæ omnes sub microscopio figuram habent oblongam, transversim sunt positæ.

Tentavimus tum in intestina, tum reliqua abdominis viscera injectiones, quarum præparationem (ne quid subticere videar) heic sisto, tanto autem lubentius, quod successerint ex voto, & penetraverint ad extrema usque capillaria jucundissimo admodum spectaculo. Elutriatione facta sumsimus ad manus decoctum ichthyocollæ, & solutionem filtratam gummi cerasorum, cui intermiscuimus Minium Hispanicum subtilissime tritum.

Circa formam externam observandum, pilos esse ad radicem albos, versus extremitatem nigros, & in apicibus iterum

rum albos. Faſcia illa alba, quæ per medium verticem tranſit & ſeſe à roſtro ad 7''. protendit 1''. eſt lata.

In dorſo inſternitur Trapezio *muſculus tenuis*, transverſis fibris ad finem usque colli, qui à proceſſibus ſpinoſis vertebrarum colli ortus Trapezium ipſum faſciæ ad inſtar involvit, & haberi poteſt pro parte panniculi carnoſi.

Trapezius ipſe hic uti in aliis quoque Brutis, diverſus eſt ab homine: oritur ab occipite toto à proceſſibus ſpinoſis vertebrarum colli, & ſuperiorum dorſi; diviſus eſt autem veluti in varias partes. Una harum inſeritur in ſpinam ſcapulæ, altera portio à ſupremis ſpinoſis proceſſibus & toto occipite infra Aures usque orta pergit ad Acromium, ubi interſectione transverſa jungitur parti Deltoidis & cum eo pergit ad usque flexuram cubiti, ut proin ſcapulam ſurſum trahat, retrorſum, imo ſimul humerum extendat, cubitum flectat, caputque ſuſtineat; quod ultimum neceſſarium fuit in brutis, prono capite terram ſpectantibus, & tantum non horizontali.

Trapezio huic in medio itinere ſeſe jungit *muſculus alius* ab anteriori capitis parte ortus ad proceſſum mamillarem, qui proin vires ſuas jungens cum Trapezio, capitis flexioni inſervit.

In *Rhomboide* quoque eſt differentia: diviſus eſt is in binos, imo plures: ima pars à ſubjecto latiſſimo dorſi caute ſeparanda, & rhomboidalis fere figuræ à proceſſibus ſpinoſis vertebrarum dorſi ortus, lato tendine in baſin ſcapulæ ad latus ſpicæ inſeritur; altera portio ſuperior dicenda, & veluti tricuſpidata, primo cuſpide oritur à proceſſibus ſpinoſis vertebrarum colli; ſecundus ab occipite retro aures, tertius à proceſſibus transverſis vertebrarum colli. Omnes hæ tres cuſpides ſeſe terminant in extremum ſpinam ſcapulæ. Prioris & proprie ita dicti Rhomboidis uſus erit, ſcapulam retro deorſum trahere, alterius tricuſpidalis eandem ſurſum

trahere; & est hic musculus animali huic necessarius, imo validus propter actionem, qua scapula adjuvare debet crura anteriora.

Latissimus dorsi validus & crassus, quoad originem, insertionem & usum cum homine convenit, sed in progressu suo ipsi scapulæ ejusque angulo inferiori connectitur, potiori vero sui parte ad Brachium tendit.

Deltoides eundem situm habet uti in homine, excepto, quod in eo totum obtegat Acromium, in hujusmodi vero animalibus dividitur veluti in duas partes, acromio tantum non manente nudo. Pars exterior per intersectionem, ut supra dictum, jungitur ipsi Trapezio, vel ab eo oritur; est autem utraque portio crassa & valida. Ad Deltoidem quoque pertinet *Musculus externus*, à media circiter spina scapulæ ortus & infra spinato instratus, qui exterior, & anteriori parti humeri inseritur: hic si solus agat, humerum abducit.

Rotundus minor in toto suo progressu cum subscapulari connectitur, ut ægre ab eo separari queat.

Ad *Longum* pertinet ei subjectus musculus admodum validus, à costa scapulæ media ortus.

Extensor brevis, admodum validus.

Biceps hic uniceps, tendinem habet fortem & unicum, qui per fissuram capiti humeri insculptam, uti in homine transit.

Flexor alter ab externa & superna humeri parte ortus eodem loco cum Bicipite inseritur; *Brachicus* vocari potest *externus*, & quodammodo etiam supinationi inservire videtur.

Supinator longus isque validus, respondet descriptioni in homine.

Exter-

Tab. III.
Volum. III. Actor.
A.N. C.

Fig. I.
pag. 131.

pars sini stra.

pars dextra

Fig. II.
pag. 131

pars dextra

Fig. IV. pag. 230.

a b c e i h g f

Marsupii aperti.

Fig. V. pag. 317.

Fig III pag. 138.

F E C B D A

Extenſor digitorum communis congruit quoque cum Myologia humana. Huic ſubjacet alius, qui etiam communis dici poteſt & in tres exteriores digitos inſeritur.

Indicator eodem loco, quo in homine, ortus tendinis habet duos, quorum unus indici, alter pollici inſeritur.

Juxta longitudinem totam & externam cubiti protenditur *tenuis muſculus*, medio ventre etiam tenui & parvo inſtructus, qui à condylo externo humeri ortus, tenui admodum & longo tendine inſeritur in os Metacarpi, minimo digito reſpondens etiam tenui & longo tendine. Adjudicari poteſt is *extenſoribus carpi*; nam & reliqui Metacarpo inſeruntur.

Radiæus externus binis tendinibus oſſibus Metacarpi, Indici & medio digito reſpondentibus inſeritur, in tranſitu quidem etiam oſſibus carpi affixus.

Pollicis extenſor, validus quoque muſculus, ſub tendine Radiæi externi procedit & inſeritur uti in homine.

Flexor digitorum perforans, validus admodum eſt muſculus, utpote maximi in hoc bruto uſus, imo in plures diſtinctos ad usque tendinem diviſus; maxima pars oritur à capitulo humeri interno, alia à radio, tertia inſuper à cubito toto interno, hujus tendines extremi explentur majoris firmitatis ergo muſculis aliis, qui *Intertendinei* dici merentur.

Ad caudæ latera conſpiciuntur *duæ magnæ glandulæ conglomeratæ*, (vid. *Tab.* III. *Fig.* 1.) Hæ liquorem ſebacei ſeu oleoſi generis ſecernunt & excernunt in *Burſam* ſive *Marſupium*, quod ſub cauda eſt poſitum, & largæ ſatis aperturæ ſupra anum: In hoc marſupio pilis intus flaveſcentibus & ad extremitatem aureis pene iisque numeroſis obſito, liquor deliteſcit coloris lacteſcentis & leucophæi viſcidiuſculus, hircum fere olens. Sunt *Glandulæ* illæ intus cavæ, (vid. *Tab.* III. *Fig.* 2. caſtaneam fere admittentes, revera ſebaceæ, ſimiles ſed

majores illis palpebrarum : Sed cavitas ipsius bursæ media juglandem nucem majorem facile admittit. Sunt autem ductus excretorii harum glandularum innumeri & inconspicui fere, punctulis tamen eminentibus sese manifestant, tunc inprimis si premantur glandulæ, prodeunt enim pressis his liquoris hujus oleosi guttulæ, qui sub microscopio coloris est albissimi, pituitæ quam vitream dixere veteres, æmulus, & sunt pili ipsi crystallinæ pelluciditatis. Accipit hic sacculus fibras nonnullas musculares à sphincter ani, quæ motum contractorium huic marsupio communicant. De hoc marsupio ita *Rajus p. 187. Huic animali peculiare est, quo cum Hyæna convenit, meatum seu orificium habere largum statim sub cauda, supra excrementorum exitum, quod in folliculum aperitur non admodum profundum, bursæ seu sacculi figura, intus pilosum, in quem exsudat quædam substantia alba, colore & consistentia fere cerebri vitulini conquassati, parva quantitate, in qua nullum insignem odorem sensimus. -- Exterior hujus marsupii superficies glandulis conglomeratis undique obducitur.* Quæ omnia observatis nostris congruunt. Sed *usum* ille reticet, neque nos nisi conjecturas dare possumus. Degit hoc animal maximam partem sub terra in perpetuis fere tenebris, carcere veluti clausum, & videtur graveolens hic liquor adesse, ut vel taxi ipsi sese odore mediante invicem cognoscere queant, atque proin odoratus visus defectum supplere, vel & alia animalia insidiosa forte hinc abigere. Dubium certe est, canes venaticos ipsius hujus odoris vestigia sequi.

Sunt *oculi* parvi $4'''$ in diametro. *Membrana nictatoria* valida & ampla, totum fere tegit oculum, sicque animal sub terra degens, à terræ ipsius aliisque defendit injuriis. Cornea $3'''$ fere habet in diametro, coloris carnei, circello nigro cincta. Est quoque *sclerotica* portio coloris cœrulei. *Ductus Nuckianos* distincte cernere licet, imo setam tenuiorem in inmittere. Est cornea crassa, & prorsus si separetur, pellucida.

da. *Cryſtallinus humor* Ligamentis ciliaribus nigerrimis cinctus, pro oculi ratione valde magnus, forma ſphæroidis comprefſi $2\frac{1}{2}'''$ in diametro; *choroides* intus nigerrimi coloris, & circa nervum opticum albo-cœruleſcentis. Vidimus & *Retinam* tenerrimæ ſtructuræ in aqua fluitantem.

Muſculi temporales & *Maſſeter* ſunt, ut in aliis animantibus rapacibus & mordacibus, craſſi & validi.

Reliqua, per temporis anguſtiam, nec diſſecare licuit nec deſcribere.

OBSERVATIO XLIV.

DN. D. JO. JACOBI SCHEUCHZERI.

Febris quotidiana quadruplex.

ANimo & corpore formoſiſſima & honeſtiſſima virgo, annum 26. agens, menſe Januario correpta fuit *febre quotidiana quadruplici*, vix intermittente. Quater enim per diem redibat paroxyſmus, ad 6. ferme hora durans, tædioſiſſimis ſtipatus ſymptomatibus: accedebat ſcilicet Paroxyſmus cum lipothymia, aſthmate ſpaſmodico violento, doloribus humeri utriusque, colli & nuchæ horrendis, ad ejulatum usque altum, reſpiratione parva & vix ſenſibili, capitis dolore ſtupendo. Tractabatur à Chirurgo quodam provectæ ætatis, in vicinia degente, cæterum experto. Elapſis 10. circiter diebus perveni ad ægram, quam offendi in miſero ſtatu, ut ex diro capitis dolore perdiderit viſum; cœca manſit per 10. dies, alvo etiam obſtructa, reliquis ante memoratis accidentibus graviter excruciata: fluebant menſes nono & decimo morbi die absque levamine; inquietudo

aderat perpetua, usque ad diem 16. Convulsiones insuper aderant validissimæ, subsultus miri; terminatæ convulsiones in paralysin oris & maxillæ dextræ: Tandem ab omnibus symptomatibus liberata ægra, visum quoque recuperavit, excepta oculi sinistri quadam obnubilatione. Totus morbi decursus duravit per 7, hebdomadas. Hæc D. *Walthier*, *Curiensis.*

OBSERVATIO LXV.

DN. D. JO. JACOBI SCHEUCHZERI,

De

Molis vesiculosis in Omaso Bovillo.

TOlerent rigidi vocum censores *Molæ* nomen, quod Uterus solus sibi vendicat. Convenientia tumoris oppido rari, quem heic sisto, cum *Molis* illis *Uteri vesiculosis*, onomatologiæ nomen dedit. Ex laniena nostra allata d. 20. Maj. 1729. *vesicularum*, *quæ totum occupavit Omasum*, *congeries*, pondere $5\,3\frac{1}{2}$. unciarum, quæ nil erant nisi *Hydatides*, lympha coagulata repletæ, variæ magnitudinis: ex ipsis membranis ventriculi prognatæ. Lucem fœneratur forte hæc observatio ipsis *molarum vesicularum*, quas Utero aliquando excernunt mulieres; num hæ sint ovulorum botri, & potius ex ipsa interiora uteri tunica, ut heic, prognatæ?

OBSER-

OBSERVATIO XLVI.

DN. D. JO. JACOBI SCHEUCHZERI,

Morſus humanus exitioſus.

Accidit d. 20. Jun. 1729. h. 10. antemeridiana, ut *Franciſcus Joſephus Meyer*, Lucernas Capellanus, momorderit *Mariam Barbaram Rütimann*, fœminam valde obeſam, ea quidem virulentia, quæ brevi poſt lethalia induxit ſymptomata, imo lethum miſeræ intulit. Occaſio fuit levis epiſtola, quam ille fœminæ oſtendit, hæc autem rapuit, ille tamen mox morſu lethali recuperavit. Hora prima pomeridiana vocatus Medicus offendit ægram corpore incurvo in lecto ſedentem, querentem de terrore ſuſcepto ex eo, quod viderit in conflictu Capellanum manu cultrum, ut ſibi videbatur, è ſacco quærentem; de præfocationibus cordialibus, ſuſtentatam ab adſtantibus, palleſcentem facie & frigidam toto corpore absque pulſu; verbo pallidam in toto habitu mortem. Erat *morſus* inflicto brachio interiori, manum inter & cubiti flexuram, ruber, circulo cinctus livido. Apparuere veſtigia dentium inciſorum, tum ſuperioris maxillæ tum inferioris, quorum illi penetrabant cutem, ſed non profunde, hi vix læſerant. Applicata mox tinctura ſcordii camphorata, propinatum infuſum Theiforme cum drachma dimidia Bezoar occidentalis; injunctus ſudor, qui ſecutus, ſed frigidus; ſecuti & conatus vomendi. Ordinata ſub veſperam mixtura alexipharmaca caſtoreata ſpirituoſa, venæſectio in pede & clyſma; quæ ultima tandem invaleſcente debilitate non fuere data effectui. Primo mane ſequenti ordinatum infuſum rhabarbarinum, pro ſcopo ventriculum à commota bilioſa ſaburra

burra liberandi, quod eventu haud caruit, & ἐυφορίαν inducere videbatur: sed prævaluere, continuas inter præfocationes, summæ debilitates, quæ versus meridiem hujus secundæ diei miseræ vitæ miserum intulerunt finem. In demortua comparuit radix nasi sanguine suffusa, fusca; Maxillæ, collum, axillæ, pectoris & dorsi pars violacea, passim nigris conspersa maculis; per dorsum integrum ad usque genua obtinuit idem color, sed pallidior. Effluebat ex naribus ichor seroso-sanguineus: circulus vulneris vix conspicui fuit flavus; comparuere magis vestigia dentium inciforum, quam dum erat in vivis. Brachium inde à flexura cubiti ad acromion usque fuit lividum. Reliqua corporis cutis flava. Renuntiavit expertissimus in arte Medica D. C. ex lethalibus symptomatibus, algore extremorum, sudore frigido, præfocationibus præcordiorum, anxia respiratione, pulsu debilissimo, generosiorum remediorum frustraneo usu, maculis lividis & atris, quæ superficiei cadaveris duas tertias facile occupabant; quod morti occasionem dederint, ira vehemens prægressa, motus extraordinarii obesi alias corporis, quos exerebat in confiictu cum adversario, forsan & ictus, quos receperat; circumstantia temporis, quo fluxere menses; tandem quoque *morsus ipse rabidi Capellani venenatus*; de cujus lethifera indole exempla prostant in *Ephemerid. Academ. Nat. Curios. Dec. II.* An. II. Obs. 72. *Garmann de Mirac. Mortuor.* P. VI. c. 37. ubi celebris ille JCtus *Baldus* ex morsu humano obiisse dicitur.

OBSER-

OBSERVATIO XLVII.

DN. D. JO. JACOBI SCHEUCHZERI.

Cranium â Fonticulo non uno in loco eroſum, Cephalalgiæ intenſiſſimæ remedium.

VErgente Januario 1731. hydrope aſcite & aſthmate intenſo, quo reſpirationem traxerat ſublimem, ſcapulis elevatis, & pulmones undique affixos, miſerrimæ vitæ finem fecerat Anno ætatis 59. *Barbara Baag*, quæ inde à 35. vel 40. annis conflictata fuit cum morbis graviſſimis ex omni fere genere, febribus, menſium anomaliis, aſthmate, cachexia, convulſionibus, multoties ad mortis fauces præcipitata. Ante 20. & quod excurrit annos, cruciata valde *Cephalalgia*, imo *Cephalæa acutiſſima*, quæ ſedem inprimis fixerat in dextra frontis parte, ambulatoria veluti, inde à concurſu futurarum coronalis & ſagittalis oblique deorſum, verſus oculi canthum externum, ut omnino ſuſpicari licuerit hærere inter cranium & matrem duram lympham acrem extravaſatam, quæ morſicatione ſua membranæ illi prænobili, cerebrum inveſtienti, eſſet moleſta. Eo res jam ante 20. annos delata, ut habito Medicorum & Chirurgorum conſilio, propoſita fuerit trepanatio ipſius oſſis frontis dextri. Sed fuit propter obſtacula quædam operatio hæc ſuſpenſa, & trepanationis loco inciſio facta cutis frontem obtegentis triangularis, apice verſus ſummitatem naſi decurrente ad cranium usque quæ aliquando ſervata fuit aperta & diligenter deligata. Hac nihil proficiente juſſit Medicus loci ordinarius *Fonticulum* aperire ad ipſum cranium, in ipſo futurarum coronalis & ſagittalis concurſu, qui radice gentianæ, & forti deligatio-

ne, & per laminam plumbeam compressione servatus fuit apertus. Hæc operatio vel sola pericranii discissione alleviabat aliquantum dolores, relaxatione inducta, sed successu temporis, eventu haud prævito, tollebat prorsus, ut per annos bene multos libera vixerit à pristinis cruciatibus, mentis semper sanæ ad ultimum usque vitæ halitum. Nimirum, quod ad rem præsentem, & sectionis institutæ αἰτιολογία facit, *erodere cœpit pus illud in fonticulo collectum, coadjuvante forsan & extra se vertente materia sub Cranio collecta, eousque, ut totum cranium in concursu illo, quem fontanellam vocant, fuerit erosum, naturali quadam trepanatione, ita ut oculis ipsis patuerit dura mater, & digito sentiri potuerit sinuum pulsatio, omnia hæc cum notabili doloris remissione, quapropter fonticulus hic servatus fuit apertus.* Si cuipiam forte suboriatur dubium, cur ipsa illa purulenta materia cranii tabulas ipsas perforaverit, & non ingentes cruciatus attulerit duræ matri ipsi, sciat arrodi à quacunque materia acri ossa potius quam membranas, collectam in dies materiam dictam quoque suum per ipsum vulnus invenisse exitum, cooperante ipsa vi meningis constrictoria: quin imo à lympha ipsius meningis extravasata, veluti à glutine quodam, fuisse matrem duram non solum obductam veluti crusta, sed quoque ipsi cranii concavæ parti adglutinatam, foramen vulneris veluti vallo cinctum, ipsamque illam lympham successu temporis non solum callosam factam, sed plane in osseam substantiam conversam, id quod patet ex primo *Fonticuli* loco (*Tab. III. Fig. 3. Lit.* A.) ubi superne foveola impressa conspicitur, basi prorsus ossefacta, sed ita tenui, ut transpareat. Primo hoc exitu occluso & recrudescentibus doloribus, cogitandum fuit de *novo Fonticulo* inciso in B. ubi eadem contigerunt, quæ in A. perforatum scilicet cranium, detecta meninx, sedati iterum dolores, servatum apertum vulnus, imo foramen mansit in ipso Cranio, cute licet iterum obtectum. Tertius & ultimus fonticuli locus

fuit

fuit in C. ad vitæ usque finem apertus, ubi iterum cranium versus confinia futuræ lambdoideæ fecit perforatum, & glisscente propter declivitatem loci *Fonticulo*, omnis calvariæ substantia inde à D. ad E. erosa, sed tum in convexa tum in concava parte plerisque locis prorsus consolidata, licet intus, ad utrumque futura sagittalis latus, plurimis foraminibus pertusa. Ut mirum omnino sit, cur non hinc inde per totam hujus fonticuli viam vel ortæ fuerint exostoses, vel fungoso-cancrosæ procrescentiæ. Ex rarissimis in hoc cranio phœnomenis est foramen oblongo-rotundum, statim post commissuram futuræ sagittalis & lambdoideæ in ipso osse Occipitio $5'''$. latum $8'''$. longum, ab extra undique declive & læve, quod foramen ad ipsam Meningem penetrans, & nunquam observatum in vita; videtur Cranio ipsi fuisse connatum. Pars hujus foraminis major & superior (inferiorem portionem serra abstulit incautus sector) conspicitur ad Lit. F.

Fœnerari potest lucem observatio hæc anatomica ipsi praxi, imo viam pandere ad tractationem & curam gravissimorum affectuum, quales sunt *Cephaleæ*, *Epilepsiæ*, spasmodici alii vel convulsivi morbi, præsertim ex lympha acri duræ matri insidente orti; An non, frustra usurpatis qualibuscunque aliis remediis, in casibus proin desperatis, confugiendum sit, si non ad *Trepanationem* ipsam, saltem ad hujusmodi *Fonticulos?* quorum certe usus hic optime cessit. Hæc ipsa fuit causa consilii, quod dedi in casu desperato prorsus mirabilium contractionum spasmodicarum, quas per decursum plurium annorum sustinuit *Elisabetha Kuentzlin* virgo Vitodurana.

De quo casu merentur huc referri ea, quæ perscripseram ad Clar. D. *Henricum Hegnerum*, *Vitoduranum*, Medicum illius virginis ordinarium, d. 9. Julii A. 1729.

Est casus, reducis ad vos honestissimæ *Elisabetha Kuenzlinæ*, ex maxime rebellibus, reponendus inter Medicorum probra, sed & talis, ex quo vel expertissimus quivis in arte nostra discat, quotidie tum in Theoria, tum in Praxi, quid sperandum, quid desperandum: Casus qui nos ducit in inextricabiles pene spa'modicorum affectuum labyrinthos, tanto quidem difficilior, quod repletioni nimiæ tubulorum nerveorum cylindricorum, & pendenti ab inde contractioni, comitem se sistat acrimonia ipsa lymphæ, tanto, addo, difficilior, quod prudentiam tuam atque dexteritatem eluserit pariter ac meam, qui nihil fere intentatum reliqui, ut succurrerem miseræ. Casus ex rarissimis, crucem figens versatissimis quibusque in arte, & tantum non inter incurabiles numerandus, id satis superque mihi ex frequenti ægræ visitatione constat, nihil prorsus (quod suspicari nonnulli voluerunt) subesse doli vel fraudis. *Opistotonicam* vidi, *Emprostonicam*, *Heterotonicam*, & si velis nova admittere vocabula, inusitata licet in arte nostra, *Cyclotonicam*. Neque est musculus, neque fibra in partibus præcipue externis, quæ non diros sustinuerit, sustineatque spasmos. Supersedeo longiore ætiologia, narraturus paucis quæ tentaverim, & cur?

Judicavi ab initio statim, latere vitium vel in fluidis partibus, vel in solidis ipsis, & hoc tuli prognosticon, sperari aliquid posse in casu priori; remedii autem vix fore locum in posteriori. Aderant indicia massæ sanguineæ acris viscosæ, salium pituitæ involutorum, inde evolvendorum: tentavi proinde iterata vesicatoria in suris; Auriculæ perforatæ jussi indere laureolæ corticem medianum, exhibui interne resolventia, attenuantia, progressus ad usque mercurialia & omnia hæc haud irrito, ut videbatur, conatu; mitigata aliquamdiu fuere symptomata, ex fluxu lymphæ acerrimæ copioso; transiere dies, quibus vel nihil patiebatur, vel parum, cessarunt inquieti extra paroxysmum motus brachiorum, ex membranæ pituitariæ glandulis emunxi lympham copio-

copiosam & acrem, speciatim ope pulveris arnicæ, addita portione hellebori albi; suasi tandem usum *aquarum Piperinarum* internum, sed absque successu, ut iterum desistere fuerim coactus. Intervenere animi affectus, qui toties exacerbarunt diriſſimum alias morbum, quoties corripuerunt afflictam. Ad illos sat frequens ultimis inprimis diebus occasio, quæ etiam præcipitavit, imo mandavit ad Vos reditum: Quod si vero moram sustinuisset longiorem, vel tuo vel aliorum consilio, imprimis meo, aperuissem *in futurarum sagittalis atque frontalis confinio Fonticulum*, felice antea successu à me adhibitum, in virgine diriſſimis capitis doloribus, iisque simul spasticis cruciata, 20. circiter abhinc annis, quæ adhucdum est in vivis. Persuasissimus quippe sum, omnem hanc dirorum symptomatum tragœdiam pendere ex lympha acri stagnante, inter cranium, os inspecie frontis & duram matrem, quæ vellicatione sua maxime sensibilem hanc membranam ad motus contractorios spasticos concitat, & cum ea totius reliqui corporis membranas, & musculos unum post alium. Et huic lymphæ alium non video exitum, quam *Trepanationem*, vel qui placeret magis, præmemoratum *Fonticulum*, & talem quidem, qui tum discissione pericranii diminuat dictæ duræ matris contractionem violentam, tum & imprimis perforatione (quam in casu supra citato effecit ipsum pus Cranio insidens, ut aliquandiu nudam videre & tangere potuerim duram matrem) promovenda per selectum aliquod corrosivum, viam pandere possit ipse, de qua loquor lymphæ, qualis in cadaveribus epilepticorum (ad quos releganda est ipsa nostra) observavi frequenter, ut omnino persuasus sim, curari posse bene multos epilepticos, ni detineret nos animi fortis defectus, ac temeritatis vel audaciæ, quam metuimus suspicio, & nota infamis. Hunc, quem tentassem intrare portum ultimum, quem quidem nunc novi, tibi & prudentiæ chirurgorum, quos voca-

bis in auxilium, committo atque commendo. Id tamen vel metuens, vel sperans, superventurum aliquando insultum apoplecticum, qui miserrimæ vitæ faciat finem, quo casu Te etiam atque etiam rogo atque obtestor, ut tumulo inferri haud patiaris ante Cadaver, quam caput aperias, mali verum fontem quæriturus, conjecturas qualescunque meas, vel firmaturus, vel correcturus &c.

(*Tiguro Altorfium missæ, M. Martio. 1731.*)

OBSERVATIO XLVIII.

DN. D. JACOBI BARTHOLOMÆI BECCARII.

De

Bononiensi constitutione hyemali Anni 1729.

ad

DN. D. JOH. JAC. SCHEUCHZERUM.

SCribenti mihi eorum *Morborum historiam*, quorum alii superiori anno 1729. agrum nostrum, alii præterita hyeme etiam urbem infestarunt, narrationis initium faciendum intelligo ab *aëris constitutione*, quæ ipsos præcessit. Habent enim vulgares morbi *latentes causas in aëre* imprimis, tum vero in *locorum natura & positu*, ac generatim rebus cæteris, quibus multitudo utitur universa. Itaque *aëris constitutio* superioribus duobus annis *præhumida* fuit, ac fere perpetuo *australina*. Quanquam *enim Bononiensis Regio* id habet cum cæteris montosis regionibus commune, ut crebro in ea copiosius pluat, duo tamen postremi anni aquarum

rum cœlo delapſarum copia memorabiles fuerint. Namque anno 1728. tantum pluviæ apud nos cecidit, quantum triginta duos ferme Pariſienſis menſuræ digitos æquaverit. At multo etiam pluvioſior proximus annus fuit, ut qui aquarum ſummum obtinuit, quæ duorum ſupra 40. digitorum altitudinem nonnihil ſuperavit. Hujus ſummæ, ut notum eſt, vix dimidium afferunt aliis regionibus anni humidiſſimi. Itaque tantis imbribus ferendis haud pares fuerunt antiquæ *paludes*. Novas proinde fieri neceſſe fuit, in amplos terrarum tractus effuſis aquis. Poſitæ ſunt hæ *paludes*, eæque in inferiori agri noſtri regione, quæ à ſeptentrione in orientem protenditur: Ibi ſuperiori memoria fertiliſſimi agri & vici non infrequentes extiterunt. At poſtquam Rhenus à Pado, in quem ante influebat, averſus eſt, miſere omnia obruta ſunt, & regio, quæ robur ubertatis erat opulentiſſimæ urbis, partim inhabitabilis, partim inculta & inſalubris effecta eſt; itaque ad veterem calamitatem recentes inundationes acceſſerunt. Hæc initia fuere morborum, quibus non modo earum terrarum, ſed & adjacentium incolæ ſuperiori anno tam graviter conflictati ſunt; nam quod torpentibus aquis accidere neceſſe eſt, humoris vim tantam diuturna ſupra tellurem mora, & ſuperveniens tempeſtatis fervor corrupit, colluviem quoque auxere *piſcium cadavera*, quorum inviſa eo anno copia fuit. Nec reticenda videtur, *inſectorum vis incredibilis*, quam dubitemus, utrum inſolitæ putredinis indicium dicamus, an cauſam? ſed alia non deficit, de qua non dubitemus, corruptionis aëris cauſa, *cœli conſtitutio* paulo ante memorata. Putres enim halitus, qui aliorum ventorum perflatio diſſipari ac diſcuti ſolent, auſtralium ſegnitie ac tepore fermenteſcunt quaſi & turgent. Hiſce graviſſimis cauſis acceſſerunt aliæ non leves, quibus hominum corpora effecta ſunt ad morbos proclivia. Nam robur eorum *annona caritas, prægreſſæ hyemis inclementia & diuturnitas, herbæ ac fru-*

fruges multis in locis grandinis virulentia contaminatæ atque ut alia ſileamus, *vinorum & putealium aquarum corruptio*, non parum debilitaverant; obortæ ſunt ergo Julio menſe *tertianæ febres*, maximam quidem partem ſimplices, *intermittentes & benignæ*, Sed ægrotantium numero pene incredibili, & ſanationis difficultate cum ſeveriſſimo quovis morbo comparandæ. Notas pleræque habebant eas, quæ tertianis febribus communes eſſe conſueverunt, at nocendi modo ab iis diſcrepabant, quæ legitimæ & exquiſitæ nominantur. Namque acceſſionibus initium dedit conſuetum frigus, non vehemens quidem illud, ſed bene longum, ut quod frequenter ad 4. non raro ad 6. horas, aliquando etiam ad plures extendebatur. Huic deinde calor ſuccedebat, & ipſe non admodum magnus, ſed lentus, cunctabundus, inæqualis, atque in longius temporis ſpatium productus. Ita nec ſitis magnopere excruciabat, & aderat capitis gravitas potius quam dolor. Ad extremum obortis largiſſimis ſudoribus acceſſio finiebatur. Tanta ſudoris profuſio indicium erat haud fallax diuturni morbi. Erant enim ſudores illi ad ſingulas acceſſiones ſolvendas opportuni, ad ſolvendum integrum morbum autem reviandum non erant. Neque magis aut vomitu, aut alvi profluvie, aut alia, ſi qua forte incidiſſet inanitione proficiebatur. Hæc corporum vires atterebant non morbi, naturæ laborem potius & moleſtiam quam commodum afferentia. Ita non niſi emenſo plurimo ad circuitum ſpatio, fatigatis jam ægris, diſſipatisque naturæ opibus, morbus decedebat, ſui tamen notas relinquens & multas & graves, & diu corporibus inhærentes: Hæ fere omnibus communes erant, *cutis fœdus color*, *pravus corporis habitus*, *& virium ſumma dejectio*. Non paucos graviora exercebant mala, uti *viſcerum obſtructiones*, *tumores*, alii quidem unam vel plures ex internis partibus, alii totum ventrem, alii artus inferiores occupantes, *tuſſes* item *aridæ* & permoleſtæ: demum, ut alia

omit-

omittamus, *puſtulæ per univerſam cutem* ſuboriebantur, primum quidem pruritum pene intolerabilem, dein *ulcera & ſcabiem* afferentes; Hæc nondum exhauſtam aut edomitam morbi materiam declarabant, quæ idcirco miſeros illos, niſi opportune occurreretur, vel prioribus morbis, præſertim *hydropi* & *tabi*, certæque perniciei, vel prioris regreſſui obnoxios reddebat: Idque eo facilius, quod & eædem cauſæ permanebant, quæ primam labem induxerant, & iis robur addebant ægrotantium errores, quos illi evitare in ærumnoſo præſertim vitæ genere haud facile poterant. Præ cœteris enim in victu peccabatur. Quæ duo enim obſervari maxime convenit in recto ciborum uſu; delectus & modus, quo minus à plerisque ſervarentur, partim egeſtas, partim reſidua quædam à morbo evadendi cupiditas propemodum inexplebilis faciebat, tot ærumnis ferendis haud paria fuerunt imbecilla corpora. Hinc & *ſenibus* & plerisque eorum, *qui labem aliquam pridem contraxerant*, & *pueris* tantum non omnibus exitio tandem febres iſtæ fuerunt; *vigeſimam fere incolarum partem ſublatam fuiſſe creditur*, partemque maximam ejus excidii puerilis ætas ſuſtinuit. Multo autem acerbior clades timeri poterat, ſi ex ægrotantium numero fuiſſet æſtimanda; in tanta enim multitudine *perpauci morbi incurſum effugere*, cum vero, ut ante dictum eſt, qui ſemel in eum incidiſſent, nec cito, nec ſine labore expedirentur, aliique aliis non modo non firmatis, ſed iterum ac ſæpe relabentibus, in eandem calamitatem ſuccederent, brevi factum eſt, ut univerſam regionem horror & deſolatio compleverit, & loca, in quibus aut mercaturæ cauſa conventus agi ſolebant omnino derelicta viderentur. Tanta porro nocentis aëris vis erat, ut multi non admodum longa ſub illo mora febrile virus ſuſceperint, neque his magnopere profuit, inde mature commigraſſe, namque & paulo poſt ſalubri jam ſolo fruentibus explicabat ſe morbus, & labores eosdem quos aliis ſub gravi

cœlo degentibus, ad certe non modicos, nec modicam afferebant recuperandæ salutis difficultatem. Cœterum *ne minimum quidem contagionis indicium dederunt hæ febres*, quod & ægrotantibus & valentibus securitati fuit: Certi etiam limites earum excussionibus constituti videbantur. Extra quos neminem aut certe pauciſſimos adorirentur; enim vero ex his febribus perpaucæ inventæ sunt, quæ in urbis vicinia primum ortum habuerint, quin in urbe ipsa fortasse nulla; natalia igitur earum loca, & sedes præcipua humiliores regiones fuerunt, præsertim vero, quæ Ferrarienſi ditione, finitimisque Venetorum terris, & magna inferioris Æmiliæ parte comprehenduntur. Atque hæc quidem loca multo graviorem quam *Bononienſis ager*, calamitatem ab hisce morbis, non tam eorum frequentia quam exitiosa indole acceperunt. Ex his autem *pernicioſis febribus* quamplures *manifeſtas intermiſſionis notas* exhibebant; at *aliæ* non deerant, quæ *obſcuris implicitisque circuitibus* proprium genus, pernicioſam vero indolem *inſidioſa lenitate*, *qui malignorum morborum mos eſt*, occultarunt. Fere omnes vero per *ſummos angores*, & *inexpugnabile frigus*, mortiferæ acceſſionis initium & terminum, *cordis & arteriarum pulſu depreſſo* & tandem extincto, miseros ad interitum, alios quidem ocyus, alios longiore spatio, nonnullos etiam inopinato ducebant. Adversus has febres unicum in *Peruviano Cortice* præsidium fuit; cætera omnia si minus officere, at certe, non magnopere prodesse visa sunt. Idem contigit in cæteris febribus natura benignioribus, in quibus *alvum ducere, & venam ſecare inutile fuit*, nisi forte illud corrupti humoris copia, hoc ipsa febris ab intermittentis natura desciscens, & caput aut aliud membrum tentans, postulasset. Erant enim non paucæ, quæ primis ab invasione diebus speciem præseferebant earum febrium, quæ *continentes* vocantur, & item aliæ, quæ postquam se prodiderant vera intermissione distinctas, obscuratis paulatim circuituum intervallis,

vallis, in *continuas* mutabantur, utique auxilio fuit, sanguinem incisa vena detrahere, qui & crassus & densus & seri inops & superficie crustosa videbatur; Ita impetus residere, & febres ad justum periodorum ordinem componi, quod reliquum erat curationis, *cortice* perficiebatur, quem & largiter & iterato, & quod rei caput erat, mature exhiberi præstabat, quam spe concoquendi expurgandique vitiosi humoris sinere, ut febres largius decurrerent; Idem febre curationis genus nonnullis *semitertianis febribus* adhibendum fuit, de quibus fortasse alias. Hæc inter autumni magna pars transacta est. Ad ejus extremum ægri aliquanto melius convalescere, neque tam facile relabi, ex iisque, qui ad id tempus integri mansissent, pauciissimi in morbum incidere, qui vero inciderint, citius promptiusque relevari, demum intermissa opera, negotiatio, publici conventus, ad summam omnia quæ ad vitæ pertinent societatem, diremptam ac pene sublatam instaurari.

Hactenus descriptæ *Febres* dum agrum nostrum finitimosque populos vexabant, in urbe *Variolæ* sæviebant frequentia incredibili, genere autem *partim benignæ ac partim confluentes*, exitu item vario, *plerumque* autem *lethales*. Hæ quoque progrediente autumno conquiescere visæ sunt, *Morbillis* deinde in earum locum succedentibus, quorum item nonnulli ob adjunctam *malignitatem* exitiales fuerunt. Sub idem tempus *Pleuritides* coortæ sunt, rusticis magis ac tenuis fortunæ hominibus quam urbanis, & iis, qui vitæ incommodis minus obnoxii essent, infestæ. *Aëris interim status idem manebat humidus, non frigidus*, at plurimum *Nebulis* squalens itemque *nubilosus*. *Pluviæ* decidebant *frequentes & magnæ*, hinc novæ atque immanes *fluminum inundationes*. Hæc vero *Austris* potissimum ad extremum autumnum continuantibus, tribuebantur.

Circa Nonas Januarias *septentrionis venti* dominatu potiti sunt. His optata diu *serenitas* obducta & *aëris temperies ad*

frigus & siccitatem conversa, *Frigus* tamen *non summum* fuit, sed acre & aliquantum molestius, quam ejus magnitudo ferre videretur: cum ecce non multos post dies *morbus* ad nos appulit, quem ante mensem aut paulo amplius transalpinas terras oberrare audieramus. Erat is *Catarrhi* mirum *genus*, quo magna pars hominum repente corripiebatur. Ac primum quidem nonnullos *sparsim* invasit, deinde *multo plures* in quibusdam cœnobiis, postremo *universam civitatem* tanto impetu occupavit, ut nulla pene domus intacta relinqueretur. *Citissima* enim erat *hujus morbi propagatio*, qui ubi quempiam attigisset, non multo post etiam cœteros, qui eadem in domo essent, adoriebatur: Omnibus infensus etiam recte valentibus & robustis. Si quæ tamen ætas aut hominum conditio ejusdem afflatui restitit, pueri & plebei restitisse visi sunt. In his Medici fere omnes, & ii præsertim qui aëris inclementiæ continenter expositi, dies noctesque sub publicis porticibus transigebant. Iam vero permultis repente, aliis sensim malum ingruebat: his ante unum pluresve dies futuræ invasionis indicia fuerunt hæc præsertim; insolita lassitudo, artuum dolores, capitis gravitas, crebra sternutamenta, humoris è naribus, oculis & ore uberior fluxus, somni graves, & multis etiam somnia tumultuosa. Adveniente autem morbo plerosque leve frigus, alios horror, nonnullos etiam nihil hujusmodi, sed calor protinus corripuit. Tum vero, magis incalescente corpore, febris accendebatur, ex earum genere, quas *Synochas* vocant. Simul autem invadebat capitis dolor, tum etiam sterni, laterum, & præcordiorum, aliis alias quoque partes occupabat. Atque hi dolores tanta erant in nonnullis acerbitate, ut sese neque in latus convertere, neque tussiendo pectus agitare, neque aliter moveri sine incredibili molestia possent. Ad hæc igitur tussis accedebat, eaque vehemens, & assidua, & vespertinis horis ingravescens. Non paucis in morbi initio plurimus humor è capite

pite defluebat, isque tenuis & salsus, aliis ferebatur ad fauces, non minus multis protinus ruebat ad pectus. Non defuerunt, & qui morbo incipiente cruenta sputa ederent, nullo tamen graviore malo insequente, & qui statim concocta multa, & etiam qui per totum morbum tenuia semper excernebant, plerique tamen primum tenuia, dein crassiora & magis concocta expuebant. Spiratio non paucis difficilior, fere omnibus cum aliquo doloris sensu conjuncta, urina multa fluebat, sed tenuis, diluta, & nihil quod desideret, habens: Pulsus arteriarum plerisque initio parvi, contracti, inæquales, in progressu vero magni, & pleni & frequentes, & celeres, nonnullis duri & serrati; in quo spiritualium partium statum sequebantur, Hæc omnia 2. 3. dies, ad summum 4. rarius plures durabant, intra quod tempus obortis copiosis sudoribus febris solvebatur, dolores quiescebant, tussis omnino cessabat; quod tamen rarius, aut maxime leniebatur, quod frequentius, aut eundem fere vehementiæ gradum servabat adhuc, nonnisi multo post tempore desitura. Quosdam sanguis è naribus exiens liberavit; Quanquam id sanationis genus non ita frequens apud nos fuit quemadmodum in *Æmilia* fuisse a. Nob. viro eodemque Medico Præstantiss. & sodali nostro, *Tiberio Antonio Codronchio*, aliisque accepi. Ibi quoque non minus frequenter accidit, ut mulieribus menses prodeuntes morbi finem effecerint. Is igitur morbi exitus fuit, quem profecto nemo facile expectasset, postquam homines tanto impetu invasisset, tam celeriter, tamque salutariter esse decessurum. Quanquam enim tum hic, tum etiam alibi per ea tempora non paucos interiisse novimus; sic ut omnia timoris plena essent, & quorsum id evasurum esset horreremus, non ipsius tamen morbi naturæ, sed corporum infirmitati aut latenti alicujus vitio, aut aliis inde succrescentibus morbis, illorum exitium videtur fuisse tribuendum. Senibus certe & quibus labes ante aliqua in pectore inhæserat,

ruentes in infirmas partes humores periculosissimos congestus, mortiferasque inflammationes attulerunt. Itaque *Pleuritides ac Peripneumoniæ*, quæ usque ad ea tempora sparsim vagatæ erant, & magis communes esse cœperunt, & multis etiam exitiosæ; quanquam nec ea frequentia, nec ea sævitie fuerunt, quam futuras esse initio pertimuimus, non paucæ etiam inter spurias videbantur referendæ; mihi vero nonnullas observare contigit, quæ insueta plane ratione solverentur; sic monacho cuidam sinistri pulmonis inflammatione laboranti supervenientes parotides ita morbum levaverunt, ut & febris ex toto remissa fuerit, & dolor & difficilis spiratio conquieverint, & sputa jam albicantia & bene concocta apparuerint, cum ante cruenta & puri admista redderentur, & æger in bona spe salutis esse videretur. At diu hærens in dextra parotide rebellis & peracer humor, exesis intus sanguiferis vasis, profluvium concitavit, quod cum reprimi nulla arte potuerit ægrum tandem sustulit, senili ætate jam imbecillum & diuturno morbi labore confectum. Alterum quoque vidi, cui similis inflammatio in abscessum abiit, summum humerum occupantem, hinc reverso ad pectus mortifero humore, novus ibi abscessus factus est, quo disrupto & ingenti puris vi tussiendo rejecto, oportunis vero præsidiis absterso ulcere ac tandem consolidato æger convaluit. Accidit quoque robusto viro, ut lateralem dolorem, oborta per universam cutem rubicunda exanthemata solverent, quibus sponte discedentibus, recrudescente autem variis in locis dolore, lethalis hydrops supervenit; sed eo redeamus unde discessimus. Vix mensem integrum apud nos *lues* illa permansit, interea fere finitimas urbes alias quidem fere statim, alias aliquanto serius eodem morbo attactas esse accepimus; qui ex alia in aliam regionem progressus, *Romam* pervenit, inde *Neapolim*, ubi Martio mense sæviebat; ad extremas vero Italiæ oras cum appulisset, ibi non substitit, sed in *Siciliam* transfretavit. Per eundem mensem

Hispa-

Hiſpaniam pervagatum eſſe cognovimus, imo & *Mexicanas terras*, urbemque inprimis Veræ Crucis occupaſſe, atque ibi quoque plurimos invaſiſſe, ad exitium autem duxiſſe perpaucos. Jam vero id unum reſtat ad morbi hujus hiſtoriam abſolvendam, ut etiam de ipſius curatione dicamus. Hæc paucis remediis expleta eſt: Ac primum quidem ſanguis iis detractus eſt, quos febris valida extorrebat aut vehemens capitis dolor, aut difficilis ſpiratio, aut aliud gravius malum exercebat, aut quibus inflammatio, ne fieret, timebatur. Detractus ſanguis in plurimis ſuperficie impenſe coccinea fuit; quod alias per hyemem infrequens eſſe ſolet; in aliis conſueta cruſta apparuit in ſummo craſſamento, iique fere erant, quibus malum ad inflammationem vergebat, aut qui poſtremis temporibus ægrotarunt. Poſt ſanguinem miſſum reliqua curatio emollientibus remediis & diluentibus perfecta eſt. *Oleum amygdalarum dulcium* omnibus profuit, quo & tuſſes & dolores ſedabantur, & venter blande emolliebatur. Ejus tam magnus uſus fuit, ut eidem parando Pharmacopolæ vix ſufficerent. Utiliſſimæ pariter fuerunt *calidæ potiones* eæque liberales, quibus aut hordeum, aut avena, aut flores papaveris erratici, (quam diu quidem in officinis eorum copia fuit) aut raparum radix, aut uvæ paſſæ, aut poma, aut his ſimilia, ut cuique lubebat, incoquebantur. Earum ſalubris effectus fuit, *ſudorem prolicere*, atque per omnia membra diffundere. Multi his ſolis, alii etiam aliis remediis uſi ſunt, quæ ſudorem blande moverent & item alii quæ ſomnum, illa ad febrem felicius abigendam & ſanguinem emendandum, hæc ad tuſſim leniendam & dolores demulcendos valebant. Nonnulli præſidiis omnibus neglectis, ſolo tepore lecti morbum depulerunt; adeo is mitis fuit; alii vero, vel quod robuſti eſſent, vel quod morbo leviter tacti, neque in lecto ſe continere neque domi; quanquam nonnullis non ſine detrimento aut inſigni labore & moleſtia id factum eſt. Magna pars non mul-

multo postquam febris abiit, ut nullas præteriti morbi notas exhiberet; alii, quod non omnis morbi materia esset ex haustu, diuturniores molestias passi sunt; tussiculam, cibi fastidium, virium imbecillitatem, & id genus alia. His optima victus ratio servanda fuit: Sin secus feciſſent, periculum erat, ne morbus recrudesceret, aut gravius malum incideret.

(*Bononia Ligurum, hinc Altorfium missa M. Martio A. 1731.*)

OBSERVATIO XLIX.

DN. D. JO. GEORGII BREIBISII.

Oculi staphyloma, fonticulo curatam.

PRæfectus Libræ apud nos publicæ filiam habebat triennem, multoties ophthalmia dextri oculi laborantem, ex dentitione, uti credebant parentes. Ego consultus semper suadebam applicationem fonticuli; parentes vero renuebant & deridebant meum consilium, existimantes, propter teneritudinem brachiorum applicationem impossibilem esse. Hinc ab aliis oblata varia remedia, præprimis ab aniculis & obstetricibus, quæ de jure quasi teneræ ætatis medicatrices esse volunt, majori confidentia apprehendunt, applicant, hisce quoque tamdiu continuant, usque tandem *in medio corneæ tres pustulæ nigricantes* exorirentur, quæ de die in diem majores factæ, *integram corneam opplebant*, omnemque visum tollebant. Per hoc accidens territi parentes consilium meum de novo perquam anxie quærunt; oculum ut inspicerem petunt, obedientiamque promittunt. Sed oculus inspectus, in totum mihi displicebat, quoniam *per pustulas disruptas tunica conea non solum in triangulum dehiscebat, sed quoque per foramen illud, uvea tunica incipiebat protrudi*; hinc nullam spem convale-

valeſcentiæ ſupereſſe pronuncio, *fonticulum* tamen denuo ſuadeo, pro alterius oculi ſaltem conſervatione. Parentes ſpem meliorem habentes, plures conſulunr medicos, qui tamen omnes & ſinguli meam ſententiam confirmabant, oculumque pro deplorato habebant, ſiquidem interea *tunica dicta protruſa magnitudinem, & colorem ceraſi majoris acquiſiverat*, eapropter etiam palpebræ ſuum officium ulterius præſtare non poterant, ſed oculus per diem & noctem ſemper ſtabat apertus. Inter alios quoque circumforaneus quidam vel operator celebris, uti volebat vocari, conſultus, reſectionem protuberantiæ ſuadebat, & impoſitionem oculi artificialis, de quo ſingularem jactabat experientiam. Cum ergo nullam ſpem ullibi locorum amplius invenirent parentes, iterum iterumque meum conſilium & ordinationem expetunt, ego vero iterum iterumque applicationem *fonticuli* ſuadeo, & quidem propter illæſum oculum, læſum vero DEO committendum. Tandem obediunt, & primo *veſicatorii* applicationem permittunt, per quod vero in facie numero innumeræ puſtulæ ardentes productæ fuerunt. Hujus cauſa pro potu ordinario præſcribebam decoctum tenue lignorum cum paſſulis, nec non pulverem abſorbentem, noctu quandoque ſumendum & pilulas laxantes ſingulis ſeptimanis deglutiendas, quæ remedia ſucceſſive omnem inflammationem & in facie & in oculo tollebant, majoremque uveæ protruſionem inhibebant. Ultimo *fonticulus* applicatur, & remedia continuantur feliciſſimo cum ſucceſſu, ſiquidem *uvea tunica protruſa, poſt paucas ſeptimanas iterum cedebat ad interiora, cornea vero conglutinabatur per cicatricem infra pupillam, & ſic viſus redibat*, non quidem in totum, ſed in tantum, ut puella nunc omnia objecta læſo cum oculo, per ſuperiorem partem videre poſſit.

(*Rotenburgo ad Tubarim Altorfium miſſa, d. 20. Apr. 1731.*)

OBSERVATIO L.

DN. D. MICHAELIS ERNESTI ETTMULLERI.

De

Scabie pustulosa, per paroxysmos affligente, à contagio lanæ impuræ.

DUlcamaram vocavit *Plato* scabiem, vel πάθος γλυκύπικρον. Sive enim vermiculi rodant cutem, sive salinus stimulus vellicet fibrillas sensibiles, pruritus oritur, qui vesperi & noctu potissimum exacerbatur, vel quia stato suo movetur tempore humor, instar aliorum, qui à sero sunt, affectuum, vel quia calor ipse sanguini à lecto vel pastu inductus excitat & expandit quietam prius causam. Hinc fricando, scalpendo procuratur voluptas, eo quod exitus paratur causæ, vel quod ipsa obtunditur, vel quod nova impressio priorem quasi leviorem obliterat. Excipit vero eandem mox dolor; excoriata enim cutis & laceratæ fibrillæ hoc ipso fiunt sensibiliores, delicatiores, & patiuntur acrius sub affluxu humorum, præ quo jam turgent carnes repletæ & tensæ ægre flectuntur. Cujus quidem consequentiæ adeo incurius esse solet scalpturiens, ut sæpe *Stoicus* vix videatur ferendo sufficere aut continentiam præstare possit. Etenim hic quoque necessitas voluptatis cujusdam mater fit, aut nimis læsa patientia tandem in furorem quasi quendam erumpit, quem dein graviter luit æger. Quam magna autem etiam fuerit illa voluptas scalpendi tempore, dubito tamen, an quis ob insecuturam amaritiem dulcedine ista diutius vel frequentius frui optet aut imitaturus sit *Hieron. Cardanum*, qui ob titillationem in vulneribus sanationi proximis

adeo

adeo gratam & dulcem, ſemet ipſe crebro vulneraſſe dicitur. Non enim cuivis illa obtingit felicitas, quæ *Herculi*, qui labore fatigatus inſtituto à Nymphis balneo, miſem valde ſcabiem ſoloque pruritu infeſtantem ſuſcepiſſe fertur; ſæpe gravior accidit, mali moris, fœda, diuturna & lepræ proxima. Singularem mihi *morbi* hujus *dulcamari* caſum in noſcomio noſtro obſervaſſe contigit, quem nunc communicabo. *Johanna Dieterica*, puella quatuordecim annorum, temperamenti phlegmatici, quæ villico à ſervitiis erat, conqueritur de *pruritu totius corporis*, quem excipiunt *maculæ inſtar pulicum morſuum, in veſiculas ad ovi gallinacei usque magnitudinem exurgentes*, quæ vel ſponte ruptæ, vel poſt ſcalptum ſerum fundebant acerrimum, & *ſquamas* cuticulæ abraſæ poſt ſe relinquebant. Et quoniam exſiccatis prioribus *novæ* propullulabant *puſtulæ*, ad tres quatuorve ſeptimanas lectum cuſtodire cogebatur. *Revertebatur malum* prioribus binis annis *frequentius*, & quanquam à menſium emanſione illud ortum crederetur, recurrebat tamen ſecundo poſt primam invaſionem anno, his erumpentibus, ita tamen, ut *per unum alterumve annum* ſemel ſuam luſerit ſcenam, ab omnibus aliis ſymptomatibus liberam. Salivationem interim mercurialem ſuſtinebat ægra, thermas Carolinas adibat, poſt quarum uſum *ad quatuor annos ſiluit morbus*, hinc reverſus. Curatur denuo & per ſex annos integros ſana atque incolumis degens novum paroxyſmum ſuperiori anno patitur morbi, moleſtia atque dolore pleniſſimi. Dum in ætiologiam hujus affectus accuratius inquirebatur, ediſſerebat patiens ſe, cum rem domeſticam curaſſet villici, ob ſtragulorum penuriam lana ab ovibus tonſis collecta ſe tegere, atque ab injuriis frigoris nocturni præmunire fuiſſe juſſam, percepiſſeque à cognatis, culpam morbi lanæ impuræ eſſe tribuendam; quid vero per lanam impuram intelligendum ſit, ipſa propter mentis hebetudinem explicare neſciebat. Impura *lana* eſt, quæ alias *ſuccida* vocatur, pin-

guis scilicet illa ac sudoribus referta, à collo & feminibus ovium decerpta. Verum tantum abest, ut molestiam aliquam hæc corpori humano afferre possit, ut tam ipsa, quam separata pinguedo, *æsypus* dicta, innumeros habeat in medicina usus: vid. *Plinius Hist. Nat. Lib. XXIX. cap. 2.* An vero *pediculos* retinuit lana, qui morsibus pruritum & pustulas excitarunt? At ovibus & capris denegant Auctores pediculos, ricinis solum vexari existimantes. Quanquam autem ovillum genus certum pediculorum genus alere non negem, siquidem magna eorum datur differentia, qui ut variis animalibus, ita generi humano sunt infesti; vix tamen credendum, morsus horum animalculorum præter pruritum tot pustulas, tam copioso fero turgidas, per totum corpus excitasse, & totidem periodis ansam præbuisse. Supereſt igitur, ut credamus, lanam illam impuram *oves scabie infectas* suppeditasse. Notum enim est, quod sicuti canes ad rabiem, vulpes ad alopeciam, equi ad febres, galli ad podagram, passeres ad epilepsiam inclinant, ita *oves ad scabiem contrahendam admodum sint proclives*, ita ut non solum

Morbida facta pecus totum corrumpat ovile, sed & sanæ oves morbosarum tantum tramites in pascuis legentes eadem labe infestentur, & per stabula inficiantur. Et quis dubitabit, posse scabiem ovillam hominibus communicari. Differt quidem unius animalis natura ab alterius constitutione, nec omnia ejusdem speciei individua eandem servant indolem. Non enim, quæ genus humanum internecioni dat pestis, inter pecora stragem edit, & viciſſim; nec qui peste laborantium curam agunt homines, semper ab illis inficiuntur. Interim vel sola rabies canina docet, posse morbum contagiosum cujusdam animalis ad homines rranſire. Inter alios morbos, qui per contagium propagantur, *scabies* procul dubio communiſſima est. Non solum enim, qui scabiosis accumbunt, immediate ἀπὸ ὁρροίας νοσερᾶς cute excipiunt, sed & qui

qui iisdem contubernales utuntur mantilibus, ſtrophiolis, aliisque utenſilibus, æger ſanum ſimili labe inficit, vel qui lectis utitur, in quibus olim ſcabioſus dormivit, eodem modo defœdatur. *Scabiem* igitur *puſtuloſam* contraxit puella à lana ab ovibus ſcabioſis decerpta. Non autem multum refert, noſſe, unde primum oves luem contraxerint, an per contagium, an à frigore, cujus ſunt impatientiſſimæ, an ex humorum impuritate, an quia à lupis fuerunt laceratæ; quemadmodum *Ælianus* perhibet, *quod, qui lanam ovis à lupis dilaniatæ pexerit, atque ex ea veſtem conficerit, ſcabiem provocaturus ſit ei, qui illa veſtietur.* Sufficit, omnia adfuiſſe requiſita, ad conſtituendum morbum contagioſum. Adfuit enim ſubiectum, quod morbo, *ſcabie*, laboravit, ovis ſcilicet una alterave. Et quanquam immediatus contactus inter ſanum & morboſum corpus hic non præſumatur, adfuit tamen *fomes commodus*, pro recipiendis & aſſervandis miaſmatibus illis ſcabioſis. *Lana* enim aptiſſimum conſtituit medium, quod peccantes & ex ove exhalantes particulas reſorbere potuit. Eſt ſcilicet rara, laxa, foraminulenta, & poroſa, intra quam ſubſtantiam miaſmata contagioſa lubentiſſime hoſpitantur, & diutiſſime retineri poſſunt, impediente viſciditate, ne mox in auras diſpergantur. Et quemadmodum odores linteaminibus, veſtibus, chirothecis &c. diu inhærent, ita effluvia illa contagioſa ſub lana per aliquod temporis ſpatium ſubſiſtere ſolent. Hinc ob rerum lanearum pinguium tractationem ſartores præ aliis hoc morbo inquinari dicit *Coſchwvizius* Pathol. pag. 349. Accedente denique calore corporis puellæ, particulæ illæ activæ evolutæ, actuatæ & diſpoſitæ fuerunt, ut energiam ſuam in ejus corpus exercere potuerint. Cum autem puella omnem occaſionem novum ab extra recipiendi miaſma per loci, ſtragulorum & vitæ generis mutationem ſolerter evitare ſtuduerit, merito quæritur, *unde tot recidivæ novique paroxyſmi* eandem

prehenserint? Ego existimo, *priorem paroxysmum, forsan etiam plures eum insecutos, contagio esse adscribendos.* Non enim sola externa corporis superficies in puella fuit contaminata, quemadmodum *Helmontius* manus suas à chirothecæ usu infectas credidit, sed altius penetravit hoc seminium, & à poris receptum caloreque mediante rarefactum & expansum humoribus se immiscuit, eorumque mixturam turbavit, qui lege circulationis sanguinis ad habitum externum propulsi & in pustulas elevati sunt; haud secus ac cantharides cuti impositæ hanc non solum exulcerant, verum etiam ad interiora se recipiunt, quod pathemata organorum urinariorum, illarum applicationem insequentia abunde testantur. Perquam aptum etiam fuit corpus puellæ ratione *temperamenti* ad hanc scabiei speciem contrahendam, partim propter habitum laxum & spongiosum, partim ob *seri copiam* in ea abundantis. *Pituitam* enim in scabie non solum *Hippocrates* Lib. περὶ παθῶν accusat; verum & *temperamentum phlegmaticum* sulphur vitale obtundit, & ad *Scabiem* disponit non siccam vel crustosam, sed *humidam* & *pustulosam.* Præterea me latet, qua ratione tunc temporis contra hunc hostem fuerit dimicatum, num ad antevertendos novos recursus corpus ab impuritatibus satis fuerit purgatum, an vero ad mensium fluxum promovendum calidioribus medicamentis motus fuerint exacerbati. Quod si enim tantillum *fermenti hujus peregrini* humoribus permixtum remansit, sese multiplicando novum paroxysmum concitare facile potuit. Eodem fere modo sese res habet in *scabie* atque in *lue venerea*; sunt enim *congeneres affectus*; de hac vero ita *Ballonius Epid. Lib. II. pag. 219.* Observarunt peritiores chirurgi, ulcuscula, etiam leviſſima, imo, ut ita dicam, excoriationes ipsas in iis, qui olim lue venerea laborarunt, & curati sunt, etiam difficillime sanari; adeo veteris fermenti vestigium aliquod remanet, quod mala leviſſima exacerbat, & deteriora reddit. Sicque suo

exem-

exemplo docuit, per vitiosum circulum nostra, effectum fieri causam, & productum morbi fieri subjectum causæ. Quod vero *reliquos paroxysmos* attinet, credendum est, eorum culpam *non soli contagio, sed & assuetudini esse tribuendam.* Non enim adeo rara sunt exempla hujusmodi assuefactionis in œconomia animali, sive præsto sit causa aliqua materialis sui expulsionem efflagitans, sive desit. Qui somnum meridianum semel aut bis admiserunt, sequentibus diebus ad eundem capessendum invitantur, eoque neglecto per totum diem de tædio quodam conqueruntur. Simile quid notum est de statis horis evigilandi, jentandi, ventris onus deponendi, per nudam consuetudinem determinatis; in febribus intermittentibus paroxysmi statis diebus & horis redeunt, omni licet substantia materiali ex corpore proscripta; & erysipelas, quod semel infestavit, post iram, terrorem &c. mox repetit membrum. Multo citiushoc observatur, si materia aliqua noxia ad motus redintegrandos naturam stimulat. Novi aliquos, qui fere singulis annis febribus acutis graviter detenti, ita ut etiam ultimam benedictionem acceperint, feliciter tamen eluctati sunt, modo consuetos naturæ motus non turbaverint. Alii, si in morbum inciderunt, vel per somnum vel oborta diarrhœa critica eundem superarunt. Ut de iis nihil dicam, qui venæsectionibus semestribus adsueti, revertente tempore consueto, ut hoc præsidio naturam adjuvent, variis monentur motibus. Quemadmodum enim natura, quamvis juxta *Hippocratem* inerudita, motus tamen facit, qui expediunt, seu ad præservationem, seu ad conservationem; ita semper sollicita est eadem excrementa, seu ea, quæ molesta sunt, à nobilioribus ad ignobiliores, seu remotiores protrudere partes; sic etiam in *scabie* non minus eo nititur, ut humores illos vitiosos in sanguine latentes ad emunctorium ejusdem universale, cutem puta, protrudat, ac quo sæpius eandem motus speciem exercuit, eo promtius non solum

eun-

eundem adhibere denuo sibi proponit, sed etiam repetitio, & imprimis sæpius, usu organorum ad hanc rem hinc inducta agilitas atque habilitas in posterum facilius totum effectum exequitur. Eodem modo in nostra ægra natura, postquam materiam morbificam ad habitum expellere hactenus tot vicibus solita fuit, eosdem tramites repetiit, quam primum *lympha* quacunque data causa occasionali *mucidior & spissior* facta atque coacervata fuit, sub reliquo humorum circulo ad glandulas subcutaneas, *habitudinem* nunc ad recipiendum nactas, eandem amandavit, quæ stagnatione, quam hic subiit, ad corruptionem salsam ulcerosam abiit, cutim in continuitate sua læsit, erosit, pustulasque produxit. Rariores vero ultimis annis fuerunt paroxysmi, vel quia medici sub mensium eruptione eorum emansionem in culpa non esse advertentes, methodum medendi forsan mutarunt, & ad præcavendum uberiorem materiæ peccantis proventum salutaria præscripserunt remedia; vel quia una cum mensium fluxu multum de illa è corpore fuit ejectum, ita ut tam cito cumulari & ad sui eliminationem naturam stimulare non necesse habuerit. Prius ut credamus, suadet ptyalismus & thermarum usus salutaris, quorum ope cacochymia correcta & humores noxii ex corpore profligati, organum etiam forsan roboratum fuit, quo minus adeo promte impuritates admittere & imbibere potuerit. Posterius testantur *tardius recurrentes post mensium eruptionem paroxysmi*, & ultimus, qui superiori anno obtigit, eo scilicet tempore, quo menses per ætatem cessaverant. Potuisset forsan malum penitus eradicari, si perito medico temporibus intercalaribus, per causarum antecedentium remotionem, aut per tempestivam motuum anomalorum præoccupationem ipsum affectum præscindendi & aliquando successive tollendi copiam facere, vel thermarum usum repetere, congruaque uti diæta res angusta domi permisisset miseræ.

OBSER-

OBSERVATIO LI.

DN. D. MICHAELIS ERNESTI ETTMULLERI.

De

Partu octimestri ac decimestri, anceps consultatio.

Non convenerunt hactenus inter se Medici pariter ac Philosophi, *an generi humano æque certum statutum sit tempus pariendi, ac aliis animalibus?* sanior tamen nunc illorum creditur sententia, qui *affirmativam* tuentur. Cum enim natura nihil faciat frustra vel temere, ac proinde canes & sues quatuor, capras quinque, cervas octo menses, camelos annum integrum, elephantes duos annos fœtus in utero gerere voluerit; injuriæ profecto vel temeritatis eadem incusaretur, si *septimo mense* aliquis fœtus illud perfectionis culmen attingeret, quod aliis *ante nonum vel decimum* haud concessum, aut si *undecim* vel *duodecim mensium* carcerem uterinum sustineret, cœteris abhis molestiis citius liberatis. Non enim, ut olim uno temporis puncto perfecta statim expletaque omnibus numeris & partibus producta per omnipotens *fiat*, sexto creationis die humana corpora novimus, postea generationis quoque negotium simili velocitate acceleratur, nec intra breve temporis spatium ex spermate virili vitro excepto, & fimo equino foto *homunculus* ex *Paracelsi* opinione exsurgit; sed periodus temporis aliqua constituta est, cujus decursu in utero conceptio, formatio & perfectio fœtus absolveretur. *Ordinario* ergo, & juxta naturæ præscriptum post 280. dies vel 40. septimanas, aut *post novem menses solares & decem dies homo nascitur.* Qui terminus licet quandoque

usque adeo sit certus, ut mulieres, quæ aliquoties jam faventem expertæ fuerunt Lucinam, & diem instantis partus prædicere valeant: Neutiquam tamen cum *Lalamantio* Comment. ad Libr. II. *Galeni* de dieb. decret. & ad *Hippocr.* de Hom. Nat. & *Capivaccio* Lib. IV. Pract. cap. 8. solo nono mense naturalem, ante illum vero arbortivos, & post illum monstrosos fœtus nasci, putandum est. Multo minus cum *Paulo Ammanno* terminus partus ita certus, fixus & immutabilis statuendus venit, ut propterea omnes aliæ partuum differentiæ pro nullis sint reputandæ. Vir enim hic Clarissimus *in Paræneſi ad Discentes*, pag. 34. expressis quidem verbis docuerat, terminum nascendi communem esse finem noni & principium decimi mensis, hac tamen cum latitudine & restrictione, ut terminus iste communis involvat alium, ultra quem natura ordinarie non solet adscendere, nimirum mensem undecimum, & alium, infra quem natura ordinarie non solet descendere, qui est mensis septimus; postea tamen palinodiam cecinit, & in *Irenico* pag. 64. tot differentias partus ab antiquitate in hunc usque diem observatas & subortas, ex fungoso vetularum cerebro, atque ecliptico Medicorum veteranorum judicio, utpote qui aniculis plus fidei tribuerunt, quam par & æquum fuit, provenisse, & vel ab errore calculi mulierum, vel ab anticipatione nuptiarum à termino sponsaliorum, vel alia quacunque venere illicita natas esse asserit. Quæ tamen sententia durissima & in insontium matronarum famam maxime injuria esse videtur. Merito igitur *admittenda est aliqua latitudo in partus negotio.* Est enim temperamentorum, roborisque ac habitus corporis in fœminis diversitas insignis, diversa in fœtibus corpus suum nutriendi promtitudo, ac proin formatio quoque, tarditas ac celeritas incrementi eorum diversa: nec protrudit eos inæqualiter natura, nisi aliunde lacessita, variisque circumstantiis ac stimulis accedentibus. Siquidem nunquam determinatio, quan-

tumvis

tumvis naturalis, in rebus potentiæ contradictionis subjectis adeo certa est, & immota, quin latitudine aliqua dividatur, ut loquitur *Henning. Arnisæus* de part. hum. legit. term. §. 15. Quid? quod *Franc. Deleboe Sylvius* Prax. Med. Lib. III. cap. 7. §. 19. integras allegat familias, in quibus omnes liberi sunt septimestres. Quo longius autem à constituto termino recedunt fœtus, eo imbecilliores sunt, & inconstantis valetudinis, ac vitia in simul non solum conformationis varia monstrant, dum meatus aurium, narium occlusi, labra sanguinolenta, cutis transparens ast, ac pili cum unguibus deficiunt, verum etiam actiones vitales rite obire nesciunt: reclamante quotidiana experientia *Ottom. Gælike* sententiæ, mense quinto vel sexto natos omnibus numeris absolutos & perfectos in Medicin. Forens. Specim. I. §. 26. asserentis. Sic *Spigelius*, de format. fœt. c. 6. semestrem recensit, qui corpore exiguus, ac viribus ita debilis & ossibus infirmus fuit, ut mater coacta fuerit per tres menses in sinu ac inter ubera gossypio circumdatum ad frigora fovere, donec robur acquisiverit, quo potuerit fasciis circumligari. *Joh. Kepplerus*, septimestris, variis expositus morbis dicitur, vid. Vit. ejus Epist. præmiss. *Georg. Frieder. Schnaderbachius*, Pastor Berolinensis, de se confessus est, quod fuerit partus septimestris & teneræ à primis annis constitutionis. Vid. Act. Med. Berol. Dec. I. Vol. I. pag. 34. Alias deficientis conformationis notis vid. ap. *Petr. Borellum* Cent. I. obs. 71. *Octimestris* imperfectioris exemplum præbet *Guionia*, quæ ob debilitatem mortua habita fuit. Vid. Vit. ejus 1. cap. 2. *Serotinos partus* quod concernit, vix hi imperfectiores, sed per aliquod tantum impedimentum segnius processisse, seu plus temporis ad sui perfectionem postulasse judicandi sunt, modo computatio rite fuerit formata: verum & hic terminus nimium non debet extendi salvo fœtu. Fabulas enim sapere, quæ *Schenckius* obs. medicinal. Lib. IV. pag. 591. refert, fœtus sci-

licet biennium in utero gestatos, & incedere potuisse & locutos fuisse, quis non videt? Apposite enim inquit *Diemerbræckius* Anat. L. I cap. 34. Sicut certissimum duco, ad paucos dies ultra nonimestrem terminum aliquibus de causis partum differri posse, ita prorsus incredibile existimo, illud ad unum, multo minus *ad plures menses* posse fieri, cum in quacunque mulieris constitutione incrementum caloris spatio novem mensium in fœtu tantum fiat, ut ventilatione per respirationem opus habeat, eamque ob causam illi necessario ex uteri ergastulo demigrandum sit. Quando autem de alimonia fœtui subministranda, & hæreditate distribuenda lites oriuntur, & verum tempus partus determinandum venit, obstetricis judicio standum non esse, erudite deduxit *Joh. Bapt. Sitonus*, Miscell. Med. Curios. Tr. LI. *Ad Medicos igitur res defertur, qui tamen Artis suæ periti, omnes probe ponderabunt circumstantias, & accuratius instituent examen, tam constitutionis matris, quam, & potissimum, ipsius fœtus, ratione magnitudinis, conformationis, vocis, motus aliarumque actionum, ne septimestrem credant, vel octimestrem, qui nono mense natus fuit.* Reperiuntur enim teste *Harvæo*, de partu pag. 497. multa subdolæ & fraudis plenæ mulieres, quæ lucro inhiantes aut pœnarum vel infamiæ metu sese gravidas fingunt, vel dissimulant, id est, venerem justis nuptiis anticipant, aut ex marito defuncto gravidas se se dejerant. Dantur vero etiam honestiores, quæ per ignorantiam facile decipi valent, ut vacuo utero se prægnantes autument, vel *Hippocrate* de Nat. puer. text. 38. & *Aristotele* Lib. VII. Hist. Animal. cap. 4. annotantibus. Latet enim eas sæpenumero terminus à quo, seu conceptionis, & signa, quibus se concepisse credunt, aliis infirmitatibus sunt communia; ita ut preces publicas pro felici partu fieri jubeant, ac puerperii ornamenta apparent, antequam utero conceperint. Sive enim à mensium suppressione principium imprægnationis, sive à sensibili motu fœtus medium gestationis

nis tempus computent, utroque tamen modo egregie falli possunt. Contingere enim potuit, ut mulieres immediate post ultimum, quod solverunt, tributum lunare, imprægnatæ, vel primis gestationis mensibus semel, bis vel ter catameniorum fluxum perpessæ fuerint, quod plethoricis non est insuetum; imo insignis latitudo admittenda est circa motus tempus viventis in utero fœtus; certumque est toc exemplis, alias decima sexta, vigesima alias septimana, tardius alias sentire illum fœtus motum, primumque vigorem sensibilem; utraque ratione partus naturales vel inter præcococes vel serotinos summa sua injuria referentur. Et merito ridendus venit. *Nic. Andry*, qui in *Tr. de la generation des vers dans le corps de l' homme*, cap. XI. p. 294. modum explicat, quo partus decimestres vel undecimestres, vel duodecimestres naturaliter fiant. Postquam enim Hypothesin *Leeuvvenhœckii* & *Hartsœckeri*, juxta quam vermis spermaticus ovulum muliebre ingredi & sufficienter ibidem nutritus in fœtum humanum abire statuitur, magno conatu defenderat, ita pergit: *Il peut arriver de la, qu' une femme, dont le mary sera mort peu de tems apres le jour, ou elle aura concu de luy, n' accocuchera neant moins que le onziéme, ou le douziéme mois & quelque fois méme, que le treiziéme, que le vers ne sera entrè dans l' œuf qu' un mois, que deux mois, & peut etre que trois mois apres la conception.* Hisce meditationibus occasionem præbuit casus, superioribus annis Facultati nostræ propositus sequentis tenoris: *Caja* coitum celebravit tres septimanas ante festum Paschatos, scilicet die 19. Martii 1724. cum *Sempronio* milite, qui paulo ante aliam fœminam imprægnaverat; eundemque octo dies ante Festum Pentecostes, seu die 25. Maji ejusdem anni cum *Titio*, qui cum conjuge sana & formosa quinque annos in sterili vixerat matrimonio, repetiit. Diætam interim minus salutarem observavit, cerasa comedendo atque lac superhauriendo, bonæ cæteroquin & prosperæ corporis

constitutionis. Quoniam igitur post primum coitum menses suppressos advertit, primis sex hebdomadibus variis usa fuit medicamentis ex majorana, croco, &c. Tandem fœtum die 27. Januarii 1725. enititur omnibus numeris perfectum, & robustum. Quærebatur itaque, à quo conceperit mulier, num à *Sempronio*, an à *Titio*? seu *num partus hic octimestris an decimestris fuerit?* Ubi simul notandum est, fassum fuisse primo sub examine hoc prostibulum, se cum alio viro quatuor septimanas ante festum Pentecostes rem habuisse. Antequam responsum Facultatis nostræ subnectamus, *sciendum, octimestrem fœtum nunquam vitalem esse, veteres statuisse tum Medicos, tum Jureconsultos*, ex duplici ratione; una ex *Hippocrate* desumpta, quod fœtus, cum ob exeundi conatum septimi mensis labefactatus fuerit, viribus impar, eosdem mense statim octavo labores nascendi sustinere nequeat; altera, quod Saturnus, planeta frigidus, octavo mense partum dirigens, fœtum præter modum infrigidet. Verum has rationes solide refutavit *Bohnius* de offic. Med. dupl. cap. 5. & Specim. Medic. For. I. Potuit ergo *Caja* d. 25. Maj. 1724. à *Titio* imprægnata octimestrem fœtum die 27. Januarii 1725. in lucem edidisse, quæcunque demum causa partum acceleraverit. Quod autem hæc acceleratio medicamentorum operationi non sit adscribenda, exinde docemur, quod *Caja* iisdem primis sex septimanis post congressum cum *Sempronio* usa fuerit, antequam cum *Titio* concubuerit; inprimis cum fœtum pellentia non ad octavum usque mensem embryonem in utero morari sinant, sed citius exturbent. Nec obstat, *Cajam* à *Titio* haud potuisse imprægnari, quia hic quinque annos in sterili cum conjuge sana & formosa vivens matrimonio, impotentem se ad procreandam sobolem satis exhibuit. Verum præterquem quod nos lateat, annon sterilitatis causa in *Titii* uxorem, ejusque internarum genitalium partium pravam conformationem ceciderit; hoc tamen non obstante *respe-*

ctiva

Aiva etiam observatur *generandi impotentia*, qua steriles visi cum aliis tamen prolem generarunt ac susceperunt, aut postmodum suscipiunt. Ita ut *Titius* cum *Caja*, licet non cum conjuge, fœcundum coitum celebrare potuerit. Quo minus vero hic partus pro *octimestri* haberi queat, docet sana matris constitutio, & fœtus omnibus numeris perfectus & robustus in lucem editus; siquidem qui ordinarium & statutum nascendi tempus anticipant, plus minus imperfecti esse deprehendunrur: Suspicio potius oritur, voluisse hoc prostibulum opiparos pro alendo fœtu sumptus hac vafritie à *Titio* extorquere. An igitur ex *Sempronio* concepit *Caja*, & *partum decimestrem* enixa est? Svadet hoc aptitudo ad generandum militis, utpote, qui paulo ante aliam fœminam imprægnaverat; item mensium suppressio, quæ coitum primum mox insecuta fuit, &, quem defensor urgebat, medicamentorum usus, partus terminum protrahentium. Verum sit ita, strenuum se militem etiam in castris venereis exhibuerit *Sempronius*, ad decimestrem tamen partum id nil concludit; & mensium suppressio non tam imprægnationi quam diætæ fœminæ pravæ, cerasa cum lacte devorantis adscribi potuit; medicamenta vero fœtum pellentia non serotinum efficiunt partum, sed præcocem, seu abortum. Quoniam igitur decimestres partus admodum sunt rari, *Cajam* à *Sempronio* concepisse eo minus videtur probabile, quo disertius illa, se cum alio viro quatuor septimanas ante festum Pentecostes furtivam exercuisse Venerem, in primo examine fassa fuit; quo tempore imprægnata *Caja* d. 27. Jan. 1725. partum nonimestrem peperit.

En *Responsum Facultatis nostræ*: Weilen *Partus octimestris*, tanquam immaturus, ratione conformationis corporis, wie auch in Ansehung der Actionum nicht in vollkomenen und gutem Zustande sich zu befinden pfleget, auch dannhero nicht davor zu halten, daß Majoran, Saffran, und die übrigen Medi-

Medicamenta, derer sich *Caja* soll bedienet haben, præcocem & octimestrem partum causirt; anerwogen immaturus fœtus, dafern er gewaltsamer Weise abgetrieben wird, in noch grössere Schwachheit verfällt; über diß beniemte Medicamenta einen *partum decimestrem* zu effectuiren nicht vermögend/ bevoraus da Gravida, sich in guten und vollkommenen Zustande befunden; so halten wir dafür, daß Partus, so wie er beschrieben worden, weder pro octimestri noch decimestri zu halten. Wie denn mit dieser Meynnng überein kömmt, wenn *Caja* in der ersten Aussage vorgegeben, daß sie 4. Wochen vor Pfingsten 1724. soll schwanger geworden seyn, immassen der von diesen Termino biß zu ihrer Niederkunfft, als den 27. Januarii 1725. gezogene Calculus einen *Partum maturum*, i. e. *nonimestrem* anzeiget, wannenhero wir bey so bewandten Umständen weder *Titium* nach *Sempronium* schlechterdings graviren, sondern, stellen dahin, ob nicht, der zu obbenannter Zeit mit *Caja* sich fleischlich vermischt, der eigentliche Vatter zu ihren Kinde sey?

OBSERVATIO LII.

DN. D. MICHAELIS ERNESTI ETTMULLERI.

De

Ulcere ventriculi per quietem curato.

NOn solum cerebri, cordis, septi transversi, intestini cujusdam tenuis, jecoris & vesicæ, sed & *ventriculi vulnera lethalia* pronuntiat *Hippocrates* Sect. VI. aphor. 18. imo & *Celsus* Lib. V. cap. 26. *servari non posse, cui ventriculus*

culus sit vulneratus, scribit. Certe, qui visceris hujus dignitatem magnam, majorem utilitatem, maximam necessitatem secum perpenderit, ultro fatebitur, totam œconomiam animalem turbari ac pessundari, mortemque accelerari, si actio ejus frustretur. Sive enim vasa, sive ipsa ventriculi compages lædantur, periculum utrobique summum jure metuendum venit. Vasa majora si discindantur, sanguis à quo vita immediate dependet, profunditur, nec ad reliquas partes distribui valet. Quoad compagem ejus, sive orificia, sive fundum, id est, quæ orificia interjacet, cavitatem penetrent vulnera, alimenta ingesta pariter ac chylus in abdominis cavum prolabuntur, quæ itidem, quod etiam de sanguine extravasato statuendum est, quoniam educi commode non valent, vel putrescendo, vel comprimendo, vel corrumpendo & erodendo, viscera nobiliora lædunt, unde humores laudabiles, qui vivificare & conservare debebant membra, deperdito chylo, nec reparari nec sufficienter distribui valent. Neque parum ad curationis difficultatem tribuit *situs ventriculi* in abdominis cavitate absconditi, ad quam manus chirurgica non adeo promte pertingere potest. Orificio vero sinistro inflicta vulnera hoc peculiare habent, quod ob nimiam sensibilitatem & sympathiam cum nobilioribus visceribus, quam utramque à nervorum copia obtinet, cruciatibus enormioribus, lipothymiis, convulsionibus, vomitionibusque biliosis stipari soleant; imo eo difficilius consolidari possunt, quo citius medicamenta interne propinata ad fundum se recipiunt, locum affectum mox præterlabentia. Verum jam olim *Galenus* de universali hujus regulæ veritate subdubitavit, dum in Comment. ad dict. aphorism. *Hippocr.* scribit: *In ventriculo dubitatur* (vulnus esse lethale); *nam quosdam in eo vulneratos dicunt aliquando, sed raro, fuisse sanatos.* Et sane optime consolidata vulnera, etiam profunda, Medicorum testantur commentarii, e. g. *Albucasis*, Lib. II. Meth. cap. 96.

Jul. Alexandrini, Annot. ad Lib. VI. cap. 4 Therap. *Galeni*: *Fallopii* de capit. Vuln. *Joh. Matthæi* difficult. Med. quæst. 21. *Jo. Schenckii* Lib. III. obs. 122. *Dan. Beckeri*, de Cultriv. Pruss. pag. 57. *Diemerbrockii* Anatom. Lib. I. cap. 6. *Christ. Mentzelii in Miscell. Nat. Cur.* Dec. II. Ann. I. obs. 1. *Blegny* Zodiac. Gall. Ann. 1680 pag. 206. *Ido Wolffii* obs. Chir. Med. Lib. I. obs. 27. *Cowperi, the Anatomie of humane bodies*, Tab. 4. Quemadmodum igitur *lethalia* sunt *vulnera ventriculi orificio superiori inflicta*, ob dictas rationes, *ita sanationem aliquando admittere possunt, quæ fundum perforant*; Fundus enim carnosior est, quæ substantia præ nervea vel membranacea felicius consolidatur, teste *Galeno* Lib. VI. Meth. med. cap. 4. pharmaca etiam vulneraria aliquandiu in eo commorantur & subsistunt, ac ob minorem sensibilitatem adeo diris symptomatibus non exponitur æger. Contingere itaque consolidatio potest; *si vulnus fuerit exilius*, ita ut ratione substantiæ carneæ, & per ventriculi corrugationem naturalem sponte coëat; *aut superficiale*, juxta *Galenum* in Sect. VI. aphor. 18. Ad hæc observamus frequentius, in sectionibus brutorum vivorum coalescentiam viscerum cum externis integumentis. *Quod si igitur ventriculus vulneratus omento agglutinetur, prolapsus alimentorum & chyli in cavitatem abdominis, hepati, diaphragmati, vel musculis abdominis inhibetur*, topicisque medicamentis felicius tractari potest læsio. Qualem coalescentiam in rustico illo Cunersdorffensi, cujus *Schenckius* Lib. III. observ. fol. 348. mentionem facit, contigisse tumor externus post consolidationem vulneris remanens probabile reddit. Minus etiam periculi subest, *si per vulnus epigastrii partem ventriculi vulneratam ad exteriora adducere, & una eademque sutura stomachum & integumenta externa colligare liceat*, quale quid ex *Schenckio* loc. all. & *Stalpart van der Wiel*, Tom. I. obs. 39 factum videre est. Vidi superiori anno *Virginem*, 30. circiter annorum, cui dirigendæ & observandæ œconomiæ Viri cujusdam celeberrimi munus fuerat con-

concreditum, *quæ foramen aliquod ad pisi majoris magnitudinem in regionis epigastricæ latere sinistro monstrabat, cum inflammatione & duritie integumentorum adjacentium ex quo cibi & potulenta modo assumta effluebant.* Referebat eadem, se ante decem annos in temonis extremitatem improvide impegisse, & ab illo tempore tumorem atque obscurum doloris sensum constanter dicta in regione percepisse, donec facta apertura non solum chymum, sed & esculenta & potulenta, quotiescunque linteamina, quibus obvelaverat foramen, removerat, promanasse observaverit. Remota inflammatione & duritie, ad consolidationem perduci læsio hæc nullo modo poterat; officii enim sui rationi satisfactura ægra hinc inde discurrebat, scalas ascendebat, forum petebat, uno verbo, *nullam corpori concedebat quietem. Mutato autem vitæ genere, lecto se committens, intra paucas septimanas, clausum hoc foramen vidit*, prospere nunc degens. Inter alia, quæ vel promtiorem curationem vulnerum & ulcerum spondent, vel difficiliorem pronuntiant, sunt *motus vel quies, humiditas vel siccitas partium.* Ut enim natura vel sponte sua, vel arte adjuta fibras dissociatas aut laceratas uniat, *quiete* opus est *partis*, ne quæ sibi modo appositæ, debitum vero robur nondum nactæ sunt, iterum dislocentur per motum, & à se invicem separentur fibræ; hinc læsæ partes, quæ continuo exercentur motu, difficilius sanantur. Juxta *Galenum* enim Lib. V. Meth. med. c. 8. *membrum, cujus curandum est vulnus, oportet quiescere, & non moveri.* Quemadmodum thoracis ac pulmonum vulnera ideo tardius coëunt, quoniam sub continuo respirationis motu, *quieti* nequeant permitti; ita eodem *Pergameno* loc. cit. duce, laboranti ipsi injungendum est, ut nec magno utatur respiratu, ac semper agat silentium. Imo ulcera eorundem inveterata omnem respuunt consolidationem, non solum quia hoc viscus continuo exercetur motu, verum etiam quia motus iste tussi, quam natura pro ejicienda materia purulenta excitare solet, ad motum exasperatur.

Ut taceam, motum promovere *humorum affluxum*, qui tamen omni studio arcendus, repellendus & revellendus est, ne fibræ à nimia humiditate relaxatæ impediantur, quo minus coëant, vel debitum nanciscantur robur & firmentur. *Ventriculum* ad illas partes referendum esse, quæ non quiescunt, sed reiterato gaudent *motu*, nemo inficiabitur. Mediantibus enim fibris carneis varii generis motum suum exercet peristalticum, quo mediante latera ipsius propius ad se invicem accedunt, ima ad superiora urgentur, sicque alimenta ingesta non solum subiguntur, sed subacta etiam ad intestina propelluntur, & quæ extra chylificationis tempus ibidem colliguntur liquamina, ulterius promoventur. Motum hunc ventriculi proprium auget *motus adventitius*, qui tempore inspirationis *à diaphragmate & musculis abdominis* eidem impertitur; atque uterque hic motus ventriculi per horam unam undetrigesies millies sexcenties octagies, quem calculum *Dethardingius* disput. de subactione alimentorum in ventriculo posuit, peragitur. Qui motus licet chylificationis tempore validior sit atque fortior quam extra illud, blandus tamen existit, & nobis non advertentibus celebratur; ac *quamvis consolidationem læsæ unitatis aliquatenus difficilem reddat, non omnem tamen sanationis spem adimit*; quemadmodum in ventriculo læsorum prosperæ curationes abunde loquuntur. Existimare etiam quis posset, liquorem gastricum, & salivalem, qui continuo in ventriculo colligitur, & potulenta, aliaque fluida, quæ ore assumuntur, arduam magis efficere vulnerum sanationem; verum, dum de humorum affluxu, coalitioni noxio, loquuntur Practici, excrementitios intelligunt humores, qui sunt arcendi; potulentorum vero copiæ morigeri ægri per abstinentiam moderari norunt; tantum autem abest, ut liquor gastricus consolidationem inhibeat, ut mox dicemus. Inficiari interim non possumus, usque adeo *refractarios esse quandoque tales affectus*, ut omnem curationem respu-

reſpuentes in *fiſtulam* abeant. Vid. **Purmann**, Chir. Curioſ. P. II. c. 6. & *Miſc. Nat. Cur.* Dec. II. Ann. V. obſ. 1. Nullum igitur eſt dubium, quin foramen, quod in epigaſtrica regione habuit virgo, ad ventriculi cavitatem penetraverit, quod ſitus ejus, & humores effluentes ſatis docent; non ſolum enim chymus, ſed & potulenta & eſculenta. e. g. Decoctum Coffée, ceraſa nigra, &c. modo deglutita, exitum ibidem inveniebant, cui ſimilem hiſtoriam recenſet *Diomed. Cornarius* Hiſtor. rar. 9. p. 37. Interim tamen *læſio hæc, ſublata inflammatione & duritie adjacentium partium, feliciter ac brevi tempore curari potuiſſet*, non obſtante motu ventriculi tam proprio quam adventitio dicto, *niſi reiteratus & quandoque ſat vehemens corporis motus reſpiratorium intenderit*, & per conſequens adventitium ventriculi motum auxerit; quod prompta imperata corpori *quiete*, conſolidatio ſufficienter docet; haud ſecus ac in juvene de quo *Diemerbrockius* Anat. L. VI. cap. 28. refert, quod vulnere in ſiniſtra ventriculi parte accepto, per quod cibus & potus effluxerat, curatus fuerit poſtquam dextro lateri dies noctesque incubuerit. *Vulnera* equidem, ut loquitur *Joh. Vigierius*, Chir. Lib. II. cap. 2. à *contuſione operoſioris ſunt ſanationis, quam ea, quæ ſola & ſimplici continui ſolutione moleſta ſunt; nam antequam de unione reſtituenda cogites, molienda ſuppuratio eſt, & deterſio, quæ res niſi longo tempore perfici nequeunt.* Verum, licet virgo per contuſionem vulnus acceperit, eo tamen tempore, quo foramen illud fuit apertum, & curæ ſe concredidit ægra, non amplius contuſio, ſed abſceſſus erat abſtergendus & conſolidandus. Nec humiditas, quæ continuo in ventriculo colligitur, diu remorari felicem ſanationem poterat. Liquor enim gaſtricus, qui ulcus alluebat, hoc deterſit & mundificavit. Quam facultatem ei nemo denegabit, qui conſiderat, hunc maximam partem ex ſaliva conflari, ejusdemque eſſe naturæ cum ſaliva, id eſt conſtare particulis ſulphureis aqueo-ſalinis. Jam conſtat, canes vulnera

& ulcera sua lambendo, consolidationem promovere; & quis nescit plura vulnera lingendo fuisse curata? vid. *Schurigii* Sialolog. cap. IV. §. 14. Non tamen liquamina ventriculi ad abdominis cavitatem sunt delapsa, quæ alias lethalitatem afferre supra diximus, sed vel per pylorum, vel foramen denudatum foras effluxerunt, cui simile *Menzelius* in *Misc. Nat. Cur. Dec. II. Ann. V. obs. 1. & Ant. de Pozzis* ibidem *Dec. I. Ann. 38.* recensent, procul dubio, quia ventriculi superficies exterior hic loci cum peritonæo & musculis abdominis cohæserunt, haud secus ac hepatis lobum ventriculum perforatum obturasse *Max. Preussius* in Ephemer. Nat. Cur. Cent. III. obs. 13. & *Courtial, obs. sur les os*, pag. 74. annotarunt, qui & omentum amplo intestini jejuni foramini applicatum loc. cit. se vidisse testatur. Idque in virgine nostra commode fieri poterat, *quatenus unitatis hæc solutio non simul & semel facta, sed absessus sensim sensimque, & per tempus bene longum contractus fuit.* Fibræ enim ventriculi vel peritonæi vel utrorumque per *contusionem*, à temonis apice factam, dilaceratæ, serum copiosius plorarunt. Quemadmodum enim in statu sano membranæ continuo serum aliquod sudant, ita hoc dislocatis, ruptis, & laceratis fibris, in circulatione sua magis impeditum, in uberiore copia ibidem coacervatum, sub dolorosa & spastica strictura ex tunicis & vasculis minimis expressum, atque avolantibus partibus tenuioribus suborto tumore, sub quo ventriculi superficies externa integumentis propius accessit, *glutinis instar* appositum fuit. Atque tales *coalescentiæ aliorum viscerum inter se, vel cum integumentis*, non adeo raræ sunt. In omnibus fere phthisicis pulmones pleuræ adhæsisse fuerunt observati: quam ob causam *Barry, Consumtion of the Lungs*, pag. 266. non dubitat paracentheſin pro exantlanda materia purulenta & injiciendis mundificantibus remediis in thorace instituere. Et quot non prostant exempla eorum, qui in *læsionibus intestinorum* fæces per inguina, per abscessum vel fistulam abdo-

abdominis, per umbilicum, per veſicam urinariam, per uterum reddiderunt? Eandem & hic ſubeſſe cauſam non immerito hariolatur *Platerus*, obſ. pag. 881. qui poſtquam de Capitaneo quodam, in ventre vulnerato, quod fæces per fiſtulam, quæ ſanato vulnere illic remanſerat, multos annos incolumis alioquin & ſuperſtes excreverit, retulerat, pergit: *Cujus cauſam inveſtigans, ex Anatomicis obſervationibus certis argumentis collegi, inteſtinorum vulnera ſi illis in locis, ubi carneæ muſculorum abdominis portiones exiſtunt, ventrem penetrent agglutinatis tunc mutuo utrinque & inteſtinorum & muſculoſæ carnis vulnerum in ambitu labiis, viam fieri poſſe, per quam ſtercus extra corpus educatur, & in abdominis cavum excidere prohibeatur.* Pari modo ſe res habet, *quando lotium per alvum*, ex abdominis vulnere, *ex inguine* profluit; vel quando *hepatis renumque abſceſſus exterius in abdomine facta ruptione ſolvuntur*, quorum exempla jam allegare ſuperſedemus. Per 10. annos latuit, in noſtra, antequam foras proruperit, abſceſſus. Inflammatio enim ſæpe inter initia non accedit, ut præſertim fit in illis, qui per congeſtionem fiunt, abſceſſibus, & diu ſæpe collecta materia jacet, antequam inflammetur. Idque toto die obſervamus, quod quis *contuſionem* paſſus fuerit, vel ab alto ceciderit, qui tamen de nullo conqueritur ſymptomate, obtuſum ſi exceperis dolorem, unde dicunt: **Sie hätten davon einen Knack im Leibe bekommen.** Hinc adeo frequenter occurrunt congeſtiones tales & abſceſſus, qui demum ſupervenientе inflammatione ſe manifeſtant. Natura enim lente operatur, nec prodit ſe anguis in herba latens, niſi mutato vitæ genere, commiſſis circa rerum non naturalium uſum erroribus, aliisque concurrentibus circumſtantiis laceſſitus, foras prorepere incipiat. *Videmus*, (recte judicante *Meibomio* in Diſſert. de Abſceſſ. intern. nat. pag. 11.) *quosdam abſceſſus cito generari, alios autem tarde, ita ut à principio generationis, quo per ſigna ſe cæpit manifeſtare abſceſſus, ſæpe non menſes tantum, ſed integra anno-*

annorum spatia numerentur. Docuit experientia, quosdam in aliqua parte læsos, vel casu, vel vulnere, vel contusione, semper deinde de illa parte conquestos fuisse, tandem post plures annos prorumpente abscessu. Habui nuper exemplum cujusdam abscessu in pectore laborantis, qui ante 18. annos ab equo ceciderat, & ex illo tempore semper ibi aliquid senserat.

(*Lipsia missæ Altorfium, M. Martio. 1731.*)

OBSERVATIO LIII.

D. D. JO. ADAMI GOERITZII.

De

Serpentum veneno.

EX Gallia sub finem anni præteriti, in novellis publicis perscriptum fuit, *Burdigalæ* Gallorum, in *monasterio S. Cælestini*, quadraginta moniales in suis lectis manè mortuas fuisse repertas. Inquirentes solicite in causam tam repentinæ stragis, tandem deprehenderunt, illas vino venenato enectas esse: In dolio enim, ex quo vinum hauserant, *serpentem* mortuum repertum fuisse. Utrum vera sit historia, an fabula, ego jam nolo decernere; hoc saltem asseverare audeo, vinum ab uno illapso serpente, non ita potuisse infici veneno, ut tanta strages monialium in una nocte sequi hinc potuerit, etiamsi totus serpens ab iisdem simul devoratus fuisset. Posito igitur, serpentem in dolio, ex quo vinum illæ acceperunt, repertum fuisse, quærendum ante omnia esset, an moniales etiam proximis ante diebus de vino eodem biberint, vel hac demum die, qui fatalem noctem prægressa fuit? Si prius, cur non ægrotarunt etiam iis diebus, & cur mortuæ sunt omnes in una nocte, tam subito? Si posterius

ſterius, incredibile propemodum eſt, eundem effectum in tot perſonis ita potuiſſe ſequi, ut nulla ex ipſis expergefacta, de anxietatibus, aut torminibus, nauſea, vel alio ſymptomate conqueſta ſit. Serpentem ingredi potuiſſe dolium non prorſus negaverim; hoc enim vel tempore vindemiarum accidere poterat, vel in cella, ſi foramen ſuperius apertum forte fuit relictum. Accidit hoc ſæpius aliis animalculis, v. g. gliribus, qui cereviſia delectantur; hinc caudas immittunt in cereviſiam, per foramen dolii ſuperius, easque delingunt, ut aliquando temulenti inde facti ſeſe in dolium præcipitent. Sic Ratisbonæ aliquando evenit cuidam Zythopœo, ut dolia vacua expurgans, glirem mortuum in uno eorum reperiret. Unde quidem ipſe cum ſuis haud levi horrore perfuſus eſt, nemo tamen ex iis, qui cereviſiam ex dolio biberant, noxam inde ſenſerat. Nihil etiam damni metuendum eſſe à vino, cui ſerpens illapſus eſt, ex diverſis obſervationibus conſtare poteſt. Non repetam hic, quod in *Acerra philologica* legitur, leproſum quendam bibiſſe aquam ex urceo, in quo poſtea *ſerpentem* hærere animadvertit; qui potus tamen non ſolum nihil nocuit, ſed leproſum etiam præter expectationem à lepra ſua liberavit. Neque commemorabo *ſalutarem eſum carnis ſerpentum aut viperarum*, adverſus varios humani corporis affectus, à tot medicis autoribus celebratum; quo notius è contrario eſt, morſu ſuo quaſi unice homini exitioſa eſſe hæc animalia; id quod longe magis intelligendum eſt de *viperis* calidiorum regionum, quam de *ſerpentibus* noſtris. Annus, ni fallor, nunc agitur decimus quintus, ex quo *Eminentiſſimus quidam E. R. Cardinalis* centum *viperas vivas* ex Italia ſibi accerſi curaverat, ut indies jentaculum, valetudinis cauſa ex his coctis aſſumeret. Quærebatur, quomodo ſervari poſſent vivæ? pharmacopœus reſpondit, ſi gramini vel fœno imponerentur, quod eorum veluti pabulum eſſet. Ipſi ergo hæc cura demanda-

ta fuit. Hic *viperas* inclusit in aliquot cistas, illisque quotidie recens fœnum tanquam pro pabulo injecit. Hoc per multos dies ita commode factum, ut putares, *viperas* jam nosse manus pabulum inferentis. Tandem una evadere volens hospitem mordet, parvaque vulnuscula uni digito infligit. Post aliquot horas sequitur dolor, ardor eum inflammatione, & altero die tumor totius brachii, ut officiosus pharmacopœus jam desperaret de salute sua; servatus tamen est, interne & externe adhibitis bezoardicis, theriacalibus, camphoratis.

OBSERVATIO LIV.

DN. D. JO. ADAMI GOERITZII

De

Cingulo Salomonis.

Diabolum imponere hominibus, inprimis valde credulis, *speculo Salomonis, cingulo, annulis, variisque sigillis magicis*, hoc innumeris propemodum exemplis comprobari potest. Turpe sane dictu, homines Christianos plus fidere Satanæ, omne auxilium ab eo expectantes, quam Deo T. O M. Numini benignissimo & perfectissimo. Dici non potest, quam multos, etiam qui sapientes & eruditos se credunt, *magia* hactenus fefellerit, ob hanc maxime causam, quia nomina sanctissima in ejusmodi *amuletis* continentur. Sed optarem, ut *Augustinum* legerent, in Evang. Joh. Tr. VII. ubi ait: *Qui homines seducunt per ligaturas, precationes, & per machinamenta inimici, suis precationibus nomen Christi admiscent, ut (nota bene) lateat ipsa seductio.* Videre mihi nuper licuit *cingulum Salomonis*, de quo antea multa audiveram. Hoc magna

magna fiducia secum portabat Vir haud exigui nominis & officii, nec male se sic facere putabat, cum *cingulum* hoc nomina *S. Salvatoris*, & *B. Virginis Mariæ*, cum characteribus, signum crucis & planetarum habentibus, contineret. Factum est, ut hoc amico cuidam suo, bona mente aliquando ostenderet, qui longe aliter sentiens de hisce *magicis*, totam rem, altioris quippe indaginis, Episcopo suo aperuit. Hic solicitus de anima illius possessoris, vocare eum & *cingulum* exhibere jussit, sub pœna excommunicationis: & apud hunc Præsulem *cingulum* hoc videre, perlustrare, & omnia legere mihi contigit. Quo facto, Religiosissimus Episcopus ille propria manu, & ante oculos meos, *cingulum* hoc forfice in frustula dissecuit & igne combussit. Erat autem hoc *cingulum* ex membrana artificiose factum, quatuor fere ulnas longum, & latum quatuor digitos. In uno latere *varia signa & characteres* eleganter picti videbantur, præmisso semper titulo, in quem usum essent, v. g. **die Geister zu beschweren, Schätze zu graben, sich feste zu machen, glücklich in der Welt zu seyn, reich zu werden** & similia, additis interdum versibus latinis, itemque *dictis diabolicis, quæ retro legi poterant.* In altero latere varia *nomina Salvatoris* nostri legebantur & *Sanctissimæ Trinitatis*, ex diversis linguis, *oratio, quam B. Virgo Maria ipsamet composuisse dicitur*, explicatio figurarum, & *quædam obscœna.* Cum ergo tantas felicitates hoc cingulum sponderet, quæsivi, an ejus possessor albæ gallinæ filius fuerit, quia per aliquot annos hoc secum studiose & magna cum fiducia gestaverat? Nihil minus, inquit, Præsul, sed obrutus est ære alieno; variæ litigationes & controversiæ forenses tædium ipsi afferunt; carnem & cutem habet uti alii homines, quæ à quovis secante vel pungente instrumento lædi potest, & quæ sunt reliqua. Ambo igitur mirati fuimus astutiam Satanæ, itemque simplicitatem vel stultitiam hominum, etiam eorum, qui tamen simplices videri nolunt.

Item, quantum quidam laborent, ut ad infernum descendant, cum tamen longe faciliori modo contenti vivere in hoc mundo, & post hanc miseram vitam cœlum consequi possent, si Deum ex toto corde diligerent, eum timerent, eique confiderent. *Cingulum* dicitur, non solum quia corpori quomodocunque circumducitur, sed (quod aliqui volunt) nudum corpus cingere debeat, si quidem effectus verus hinc sit impetrandus; licet plerique, ob majorem commoditatem, & ut longius duret, illud involutum saltem in pera gestent. *Salomonis* autem *cingulum* appellant, quia hunc pro autore venditant. Sic de *Salomonis* incantationibus magicis, quæ feruntur, & ejus salute vel damnatione, multa collegit *Gregor. Michael ad Gaffarell.* not. 13. p. 57. Materiæ vim, lapidum, herbarum & characterum ad eliciendos Dæmones ex aëre vel terra recenset *Nicephorus* ad Synes. p. 260. *Colomes.* p. 43. refert, se monachum vidisse, qui ope schedulæ effecit, ut cujus capiti eam supponeret, is quæcunque interrogaretur, ad suam voluntatem fateretur. Quæ *Thalmutistæ* affingunt *Salomoni* leg. in *Camerar.* hor. subcis. III. 9. *Alcoranus* fabulatur, quod Deus subjecerit ventos ac dæmones mandato *Salomonis*; & quod dæmonum alii palatia exstruxerint, alii se mari immerserint, ut *Salomoni* margaritas apportarent, item, quod upupa regi mira nova de regina Sabæ dixerit. *Josephus* putat, *Mosen & Salomonem magiam optime calluisse.* Cujus sententiæ cum & quidam sint ex Christianis, partim ob hanc causam, partem ob alia grandia peccata, de salute *Salomonis* dubitant. Econtra alii eum beatum credunt, quia canonice scripsit: quamvis enim & reprobi locuti sint Θεοπνευστῶς, nemo tamen Θεοπνευστῶς scripsit, nisi ἁγιος. *2. Petr. I. v. 21.*

(Ratisbona Altorfium missa d. 9. Mart. A. 1731.)

OBSER-

OBSERVATIO LV.

DN. D. JO. SEBASTIANI ALBRECHT.

De

Ischuria, ab inhærente in urethra calculo, facile tolerata, facileque curata.

Fit interdum periculosa *ischuria* ex peregrina materia in urethra hærente, viamque urinæ præcludente, sive illa sit quodammodo liquida uti pus, aliusve humor viscidus: sive solida magis, uti caruncula & *calculus*: Quorum utrorumque exempla, passim obvia, seorsim commemorant *Thomas Mermannus* Lib. V. Consultat. XXV. & *Petrus Forestus* Lib. XXV. Observat. Medicinal. Raro vero illud ipsum fit, sine ingenti cruciatu & omni periculo, secus ac id idem accidit anno 1730. in Religioso quodam *P. Ord. S. Benedicti*, ætatis quadraginta & aliquot annorum; qui post perpessam ante plusculos menses, cum ingenti sanguinis profusione herniotomiam, aliquot deinde excrevit calculos, non sine insigni dolore, quosdam lentis, quosdam pisi minoris magnitudine, quibus, succrescentibus doloribus, major quidam prioribus & oblongus successit. Mox vero denuo recrudescebant dolores, & pari conatu quidem, sed impari successu molieba-tur exitum peregrinus hospes. Namque *major* hic urinæ vi adactus *in glande hærebat*, ulterius propter sui magnitudinem progredi non poterat: Sed, quod mireris, *sine magno dolore*, adeo, ut æger commode muniis suis, confessionibus audiendis, cantando, concionando &c. præesse potuerit, atque hoc saltem incommodi haberet, ut quoties urinæ copia exitum urgeret, *stylo quodam ferreo ad latus declinare inhærentem*

calculum, necesse habuerit, quo, sæpius me præsente, facto, libere & cum vi prosiliens urina, non rectam quidem viam, sed ad latus, obliquo angulo declinantem sequebatur. Huic incommodo auferendo, varia externe atque interne adhibebantur, emollientia, lubricantia blande pellentia, sed sine successu. Tandem hujus laboris atque molesti hospitis jam ultra duos menses commorantis, pertæsus æger, consilium capit, *terebellum bene acuatum, ex optimo chalybe parandi, quod, compressa post glandem arcte urethra, ne calculus viam retro inveniret, adigeretur blande in calculum ipsum.* Quod adeo feliciter cessit, ut sic fracti calculi particulæ cum urina ex suo hospitio ejicerentur, & nunc ab omni incommodo integer valeat auxilii inventor, medicus sui ipsius felix & ingeniosus.

OBSERVATIO LVI.

DN. D. JO. SEBASTIANI ALBRECHT.

De

Hydrophobia lethali, sine delirio.

CAnis *rabidi morsu* fermentum quoddam in corpus humanum ea vi derivari, ut serius aut citius, pro fermenti activitate & corporis robore, delirii quoddam genus producat, quod κυνανθρωπία vocatur, notissimum est. At *non morsu solum*, sed & alia quavis occasione, qua virus illud etiam cum *saliva* & inde porro cum massa sanguinea misceri potest, idem contingere, pluribus exemplis studiose collectis probat ὁ νῦν ἐν ἁγιοις *D. Joh. Maur. Hoffmannus*, Ephemeridem harum quondam Director meritissimus, in Syntagmate Pathologico-Therapevtico Libr. II. cap. VI. Cujus affectus signa præter alios accurate narrant *Bellinus*

linus de Morbis capitis p. m. 433. & diligentissimus observationem scriptor *Lommius*, ὑδροφοβίας nomine, libro II. Observat. Medicinal. p. m. 63. Nostri propositi nunc illud saltim est, ut indicemus, *necesse non esse, ut hoc Morbo affecti semper se ipsos canes esse credant, atque alios lædant, aut mente plane alieni sint;* ut potius ipsi, quod *Bellinus* l. c. jam observavit, caveant, ut vinculis, suo ipsorummet monitu, injectis prohibeantur, ne alii lædantur, adstantes vero moneant, ne propius accedant, & invitis morsibus se objiciant. Rarior autem observatu est *in hydrophobia laborantibus omnimoda delirii absentia*, quale exemplum jam recensebimus. Sexto Decembris Anno 1730. satis in urbe nostra cessit adolescens annorum XV. duos ante menses *læsus in alterutro pollice manus, morsu catelli*, non statim quidem tunc, at brevi post indicia rabiei edentis. Læsio aliquamdiu negligebatur, donec de alia re consulto Medico, DN. D. *Büchelmanno*, Consiliario & Archiatro Saxonico, data quasi occasione narraretur, adolescentem ipsum variis ludere distorsionibus oris, admonitum vero, id fieri præter suam voluntatem, respondisse. Quibus auditis, *Spasmum Cynicum* adesse judicat, Vir experientissimus, interrogata vero mater, annon cane demorsus sit? perculsa terrore, tremula id affirmavit lingua. Igitur sub prognosi eventus dubii, mox præscribuntur remedia, ast nimis sero, penitius cum sanguine jam permisto fermento peregrino, nec amplius eliminando. Namque præter continuantem adhuc spasmum cynicum, audiebatur mox *sonus quidam quasi ejulantis canis*, & *convulsionibus* caput retrorsum in pulvinar adigebatur, accedebat insuper *liquidorum metus, & sine manifesta febre languor & sitis.* Præter hæc vero *nulla mentis alienatio* adverti poterat. Namque se hominem esse omnino cognovit, adstantes singulos suo quemque nomine appellavit, ac pessime hoc corrupto tempore de constantia in fide & religione servanda monuit, imo quod magis mireris, *liquida*

metu-

metuens, ipse consilium dedit, ut adstantes pura lintea humectarent fluidis appositis alimentariis & medicamentosis, quibus postea fugendo exhaustis sitim aliquandiu restinguere conatus est, donec magis magisque viribus deficiens expiravit.

OBSERVATIO LVII.

DN. DN. JO. SEBASTIANI ALBRECHT.

De

Hypochondrii dextri dolore vehementi, excretis per alvum globulis, veluti saponaceis, confestim sublato.

LAtent sæpe in corpore humano, dolorum causæ, à priori vix, adhibito licet diligenti scrutinio, cognoscendæ; inprimis si in locis non consuetis illæ hæreant & minus obviæ sint: quale quid interdum acubus deglutitis accidit. Interim tamen non semper excidit fine suo Medicus, causa licet vera & materiali, sive extrinsecus assumta, sive in corpore generata, minus apparente. Cæterum latentes morborum causæ in illis præcipue partibus sese produnt facilius, quæ nervosæ ac membranosæ sunt compaginis, cujusmodi seorsim intestina existunt, quæ propterea non dolores solum, verum etiam spasticas contractiones & hinc obstructiones tam prompte concipiunt. Sed quales horum malorum sint causæ, an intus in corpore natæ, an incautius assumtæ, an solidæ an fluidæ sint, à priori non semper liquet Medico. Dictis hactenus majorem conciliabit fidem sequens historia. Mulier ruricola annorum triginta aut plurium, temperamenti sanguineo-cholerici, assidua in rebus suis domesticis, data sæpius occasione facile excandescens, ali-

aliquando ſentit ex improviſo *vehementem dolorem in dextro hypochondrio*, qualem ipſa, pro more hujus generis rudium hominum, vix deſcribere poterat, alvus ſimul erat adſtricta: Quare ſpaſticam inteſtinorum contractionem, à bilis acidoviſcidioris vitio ortam, dolorum atque obſtructionis alvinæ cauſam eſſe ratus, ad relaxandas fibras & mitigandum dolorem externe adhibendum præcepi unguentum Dialth. cum oleo aniſ. carvi, fœnic. inſuper ſacculum paregoricum ex ſemine lini contuſo cum ſale communi mixto, calide imponendum; interne vero, ad educendam amurcam acido-bilioſam, propinavi infuſum laxans è manna, cremore Tartari cum decocto prunorum Damaſcenorum, aut, ſi dulcia non ferret, carnis juſculo. Quibus ex conſilio meo adhibitis, non ſolum alvus ſolvebatur & dolores penitus ceſſabant, ſed etiam præter opinionem excernebantur tria *concreta, obtuſe triquetra magis, quam rotunda*, ejusdem fere magnitudinis, ad nucem Moſchatam accedentis, extus obſcura flavedine tincta, intus vero albiſſima, lævia & quaſi polita; ſolida quidem, ita tamen, ut *inſtar durioris ſaponis* unguis impreſſionem admitterent, quæ quis facile lapides eſſe credidiſſet. Sed ulteriori examine inſtituto, contra lapidum naturam, *aqua ſpecifice leviora* deprehendebantur, namque in aquam injecta, in ea quidem natabant, non vero ab eadem ſolvebantur. Quæ phænomena calcar addidere, majori cura in ſubſtantiam eorum inquirere. Facto itaque experimento, *admota candela, facile flammam, liqueſcendo quaſi, concipere deprehendi, cum odore ſevi impurioris*, magisque terreſtris aut lardi accenſi, utpote ſulphurei principii indicio haud fallibili. Duo eorum æqualis erant ponderis, ſcilicet ℈iv. tertium veto furtiva manu ex meo muſeolo ablatum, paululo minus. Patet interim tum ex loco perpeſſi doloris, tum ex figura iſtorum concretorum; 1) Inteſtinum colon eorum fuiſſe nidum; 2) Plura præter hæc tria adfuiſſe, atque vel antea

jam excreta, non advertente muliere, vel subsequuta, non præter rationem adseri posse: quia omnes isti globuli in lateribus signa manifesta mutui contactus, i. e. in altera parte elevationem quandam, in altera depressionem exhibebant, neque tam saturate tincta ibidem apparebant: cujus quidem rei ægrotam, ut ipsa rationem haberet, monui, sed illa doloribus liberata, vano metu solvendi sostri, neque gratiam mihi egit, neque ulterius aliquid retulit. Quod si vero nunc, brevibus de genesi horum concretorum, meam liceat afferre opinionem, probabile mihi videtur, à lacticiniis per acidum coagulatis, interveniente forsitan bilis spissioris inertia, atque hinc torpidiore reddito intestinorum motu peristaltico, ipsa originem accepisse. Quod enim ad materiam eorundem attinet, experimenta supra notata satis evincunt, eam in particulis maximam partem sebaceis, aut veluti saponaceis consistere: ad formalem vero hujus coaguli causam, humorem acidum bilemque viscidam, cum motu peristaltico hinc tardiori reddito, sufficere existimo. Hoc unicum illustrandi fine addo: Mense scilicet Novembris ejusdem anni, oblata mihi esse duo concreta inæqualia, subfusca, tunica rugosa arcte involuta, intus itidem manifeste pinguia, & inflammabilia, ejusdem ferè cum antea descriptis, at paulo tetrioris odoris, ob plures particulas impuriores, pro alimenti furfuracei aut avenacei ratione permistas, in intestino anseris saginati, reperta: majus ponderis erat ℥iß. minus vero ℥iv. Quorum exemplo meam supra expositam sententiam confirmari, nullus dubito. Nimirum non omnes ex abundanti victu collectæ particulæ chylosæ spissiores, cujusmodi sunt quæ ex farinaceis, eliciuntur, ad vasa chylifera primi generis transire potuerunt, quin potius copia illorum ipsa, comprimendo oscula vasorum chyliferorum sua natura angustiora, impedimento fuit, quo minus libere ab iisdem recipi potuerint: hinc sensim devoluta & magis coagulata mas-

sa,

sa, involucrum quasi tunicatum, à tenaci intestinorum muco nacta est, & in intestino crassiore substitit, proximo conatu vehementiore forsan exturbanda.

OBSERVATIO LVIII.

DN. D. JO. SEBASTIANI ALBRECHT.

De

Epilepsia, solo aspectu convulsa Matronæ, & hinc incusso terrore, concitata.

QUam tragicos effectus in corporibus humanis, tenerioribus inprimis infantum & sexus sequioris, sæpe producant *affectus animi*, & inter eos inprimis *terror*, cumulatis observationibus in Medicorum commentariis passim inveniendis, probare velle supervacaneum fore judico. Multiplici etiam experientia constat, inter illos effectus, tristes à terrore productos, uti frequentissimum, ita fere tristissimum esse, *Epilepsiam*. Merito hinc illustris olim, & etiam nunc post fata celeberrimus *Georg. Wolffg. Wedelius*, in sua eruditissima Pathologia med. dogmat. Sect. II. cap. IX. *Terrorem nuncupat Epilepsiæ matrem, tam in infantibus quam aliis, inprimis malum hoc pati adsuetis.* In sequori seorsum sexu non rara docuit observatio, *terrorem* potissimum nocere *fluxus menstrui tempore*, qui prompte hinc supprimitur, *succedente* sæpius *epilepsia*. Cæterum *à solo terribili aspectu personæ epilepticæ*, idem malum protinus in alia concitatum esse notavit Excell. Dn. D. *Adolphi*, *Volum. II. Actorum Academ. nostræ* p. 302. Consimilem fere, sed melioris eventus casum jam placet subjungere. Virgo nempe 20. annorum, carnosi & robusti corporis habitus, plethorica valde, *tempore fluxus sui menstrui*, à generosa do-

mina, cui ab honestioribus servitiis erat, mittitur salutatum alteram matronam generosam, ætate provectiorem, tunc ægrotantem. Facili aditu impetrato, accedit ad lectum, salutat matronam, & quemadmodum jussa fuit, de valetudine ipsius interrogat, cæteraque in mandatis data ediderit, ad quæ omnia gratiose respondet ægra: Inter hæc vero *corripitur convulsionibus matrona generosa.* Quo improviso spectaculo valde perterrita nuntia, statim magnam corporis alterationem ac debilitatem artuum, anxiamque respirationem perpessa fuit, adeo quidem, ut dubitaverit, an domum pedibus redire possit. Itinere nihilominus, tarde licet & cum magno labore peracto, sine dubio non absque continua meditatione terribilis visæ rei, magis magisque languida, *postquam in ipso itinere menses jam substitisse sensisset,* ipso eo die circa vesperam *corripitur convulsionibus.* Hinc à Domina dimissa, in urbem venit, expectatura quid ulterius sit eventurum, cæteroqui hoc tempore saniissima. Appropinquante denuo fluxus menstrui periodo, primum vertiginem sentiens, melancholica quasi solitudinem quærebat, nihil aut parum loquens, mox vero *gravi & contumaci epilepsia*, cum spuma ante os, omnibus sensibus ablatis, pollicibus manuum contractis, vehementer per quatuor integras horas agitabatur: qua tragœdia durante, interim aliquid sanguinis menstrui per viam naturalem excretum est. Finito paroxysmo, torpida, languida, lachrymabunda, solitudinis amans, toto die permansit, proximo & sequentibus semper vegetior, memoriæ saltem aliqua debilitate comitata. Die 17. Septembris 1730. cum denuo accedente menstruæ purgationis consueto tempore, iisdem symptomatibus, pari gravitate correpta esset, sub ἄκμὴ paroxysmi meum tandem efflagitabatur à cognatis consilium & auxilium. Diligenter scisitatis iis, quæ prægressa erant, curam non in paroxysmo, sed tempore intermedio suscipiendam esse monens, autor eram, ut ad finem paroxysmi usque,

illam

illam sibi relinquerent, nec multum agitando laborem vanum susciperent. Appropinquante itaque novo termino catameniorum, tertio ante illum die venam in pede secari, largamque sanguinis copiam educi jussi, ipsis vero proximis octo continuis diebus, Ess. pimpinell. alb. cum ess. castor. & succini mixtam, in die bis, interpositis toties pulveribus antispasmodico-temperantibus Cinnabarinis & Nitrosis, cum aquis appropriatis propinavi. His vero nil obstantibus tristitia illa melancholica redibat, *convulsionibus* vero subsequentibus *multo mitioribus*, & ad horæ dimidium saltem durantibus, largiori paulo fluxu mensium subsequuto. Meliori itaque nunc spe affulgente, ordinavi infusum medicatum vini cum herbis & radicibus anthypochondriacis, uterinis, emmenagogis, cum specificis nervinis, antiepilepticis, tempore intermedio in usum quotidie vocandum, proximius vero appropinquante fluxu menstruo, eandem methodum, quam ante, adhibui, omissa saltem hac vice VSne; unde factum est, ut plane nullis convulsionibus tentata fuerit, saltem per aliquos dies morosa quædam taciturnitas observaretur, menstrua vero iterum copiosiora fluerent. Bono itaque animo esse jussi; quod ipsa solatium eo facilius admisit, quo magis superatam morbi vim, sanitatem vero recuperatam intellexit. Denuo itaque commendata accuratius servanda diæta, præcipue circa animi motus evitandos, pridie ante tempus fluxus futuri, quoniam valde plethorica erat, V. Sionem repetere jussi in altero pede, proximis vero diebus & durante fluxu, mane atque vesperi assumere Pil. Becher. num. X. non neglectis pulveribus antispasmodico-temperantibus. Quibus ita diligenter observatis, per Dei gratiam valetudine nunc utitur plane secunda, sine ullius mali sensu.

OBSERVATIO LIX.

DN. D. JO. SEBASTIANI ALBRECHT.

De

Lipothymia, & convulsionibus hystericis, per hæmorrhagiam auris dextræ sublatis.

SI quicquam in praxi medica, cumprimis circa sexus sequioris curationem, tantum non in omnibus morbis, cautam & attentam medici, observationem requirit, sane fluxus menstrui negotium illam meretur. Etenim *Hippocrate* jam pridem observante Sect. V. aphor. 57. *Mensibus nimis copiose prodeuntibus, morbi contingunt: & iisdem non prodeuntibus morbi ex utero fiunt:* quorum quidem prolixum catalogum dat *H. Cardanus* in Commentar. ad hunc aphorismum. Inter recentiores Medicos scriptores, *à mensibus cohibitis, Lipothymiam epilepticam* commemoravit *G. H. Welschius* Curat. & Consil. Medic. Dec. IV. Curat. 7. Sanguinis vero menstrui anomalo motu ad caput delati ac per aures erumpentis exempla, præter alios habet *Schenckius* lib. IV. observ. medicinal. p. m. 698. *Joh. Linderstolpe*, in actis litterariis Svec. 1723. Trimestr. III. ubi affectum matrimonio solutum esse refert, ac nuperrime Dn. D. *Christ. Mich. Adolphi* in actis physico-Med. Acad. Nat. Cur. Vol. II. obs. CLXI. p. 369. Nos utrumque phænomenon in uno eodemq; subjecto observavimus, ita quidem, ut per *hæmorrhagiam auris, Lipothymia convulsiva soluta sit.* Nexum vero causarum horum effectuum eleganter solvit Celeberr. Dn. D. *Mich. Alberti*, in peculiari dissertatione *de Mensium anomaliis convulsivis*, Halæ sub ejusdem

Præ-

Præsidio defensa A. 1716. Ego autem nunc enarrabo casum, quem ipsemet observavi. Nimirum fœminæ cuidam, viginti annorum ætatis, parvæ staturæ, habitus corporis carnosi, cum vasis sanguiferis minoribus, temperamenti sanguineo phlegmatici, plethoricæ, quinto jam anno sine prole in matrimonio viventi, variæ quidem semper mensium ataxiæ negotium ipsi pariter ac medico faceſſebant, sub varia forma ludentibus affectibus comitatæ. Inter alia crebrius una cum mensibus prodierant concreta quædam carnoso-fibrosa, polyporum instar. Die 15. Novemb. A. 1730. iterum fluxerunt menstrua, non ad consuetum terminum, namque post biduum jam ceſſabant, cum alias in quintum sextumve diem fluere consueverint. Ast illo tempore, cum data occasione vehementius iraſceretur, deinde vero assumta mane recens cocta placenta cum vino, iter susciperet, vento Austrino adversum tenente, ad 5. horas durante itinere, menses antea parciſſime fluentes, nunc plane suppreſſos sensit. Cum vero post emensam viam subito in conclave valde calefactum, insuper squalore pinguis assatæ carnis repletum, neceſſitate sic ferente, ingreſſa esset, durante prandio ægre ferebat ciborum odorem, mox vero, alias ἐνιαυτὸς, irrito conatu vomendi lipothymia corripiebatur, unde prima cura fuit deferri eam in conclave temperate calidum purioris aëris. Ast facto licet hoc, tamen *lipothymiam* mox excipiebat tanta *ſtangulatio ſyncoptica*, ut plane impoſſibile fuerit medicamentorum aliquid propinare, interim externe frictionibus in plantis pedum, suffitu, &c. tentabantur, quæ alias usu probata, fieri poterant: Sed omnia incaſſum; sequebantur enim *convulſiones* cum stridore dentium & pollicum manus contractione, quod ad aliquot horas, remittente quidem interdum vehementia, durabat; quod marito præsenti, reliquisque adstantibus tanto majorem incussit terrorem, quo minus alias convulsivi quicquam in ea observatum erat antea, sed saltim bre-

breviter transiens & vomitu mox soluta lipothymia. Omnibus itaque frustra tentatis, per os medicamentum ingerere, faucibus tam arcte præclusis, consilium capiebatur enematis injiciendi & venæ secandæ, ast iterum frustraneo ausu, quoniam durante paroxysmo, propter vehementes convulsiones ista peragi non poterant, his vero remittentibus & parum ad se redeunte ægra, tanto illa horrore & clysterem & VSonem, quam tamen alias crebribus admiserat forti animo, pertimescebat nunc, ut timendum esset, ne coacte re tentata, paroxysmus ingravesceret magis quam minueretur. Liberis & reclusis denique paululum faucibus, inter breve tempus aliquoties propinabatur pulvis antispasm. cinnabarino-nitrosus cum pauco castoreo temixtus, eo quidem successu, ut præter languorem, nulla respiratio difficilis, multo minus convulsiones observari amplius potuerint. Sed nocte cum inquietudine maxima transacta, mane *tantum sanguinis sinceri ex aure dextra effluxit, quantum vix caperet cochlear,* tanto cum levamine, ut eodem adhuc die nuptiis interesse, ad quas vocata erat, & post has domum reverti potuerit, remanente per aliquot dies memoria debili & motu capitis vertiginoso, succedente vero subinde adhuc *sanguinis fluxu eadem ex aure dextra.* Domum vero cum reversa esset, præscripta conveniente diæta, pulveribus antispasmodicis continuatis, clysteribus revellentibus & uterum foventibus atque VSone admissis, fluxu sic menstruo iterum in ordinem naturalem redacto, & ab anomalo suo motu versus caput revocato, bene nunc valet ægra, nihil præter fœcunditatem matrimonii exoptans.

(*Coburgo Altorfium missa d. 30. Mart. A. 1731.*)

OBSER-

OBSERVATIO LX.

DN. D. JOHANNIS ADAMI LIMPRECHTI.

De

Floribus insueto anni tempore, pestem prænunciantibus.

OPinio rusticorum, in Saxonia præcipue inferiore, minime recens est: *Arbores tempore autumnali ac hyemali flores protrudentes, secuturæ pestis esse signa:* quam historiis quoque confirmari asseverant. Habui sermonem cum Amico hac de re, qui mihi offerebat MSS. quoddam Germanica lingua conceptum, cujus titulus Romana ita expressus erat. *Breviarium Rerum Marchicarum*, in quo pag. 69. sequentia legebantur latine hic reddita: *Anno Christi 1427. hyems adeo calida fuit, ut Persicæ arbores, flores Cyani & aliæ herbæ festo D. Nicolai floruerint, unde sequente æstate cita & horrenda pestis secuta.* Pomarius & Encelius hoc factum fuisse ponunt anno 1425.

Ego quod oculis meis vidi, sed tempore autumnali, cum lectore benevolo fideliter communicabo: Anno hujus seculi octavo vixi *Angermundæ*; urbs hæc est circuli Stolpensis in Marchia Brandenburgica: ante ædes in quibus habitabam, piscatori Petro Syracidi proprias, ad partem urbis Jägendorfium appellatam pertinentes, in platea publica *pyrus* erat *sylvestris* annorum fortasse quinquaginta, cujus radices, lapidibus, qualibus plateæ in urbibus sterni solent, circumcirca tegebantur, & rami ad fenestram cubiculi mei extendebantur, in qua hisce regionibus *circa festum S. Michaelis* insolitum hoc observavi: fructus scilicet ad maturitatem fere perductos &

novos simul *flores* primum clausos deinde apertos, quos hospiti meo aliisque urbis incolis & accolis ostendi, rem admiratione dignam judicantibus. An tale quid in vicinia contigerit equidem ignoro, *pestem* tamen *Prenzlaviæ* quæ Marchiæ Uckeranæ Metropolis est, *secutam*, & anno 1710. æstivis mensibus in summo vigore constitutam, optime adhuc recordor. Hæc ibidem ita sæviit, ut præter adhibitam singularem intra mœnia ejus diligentiam, Rex noster providus omnem in urbem istam ingressum & ex ea ultra limites destinatos egressum, ne

Dira per incautum serpant contagia vulgus,

circumductis insuper copiis prohibere coactus fuerit tamdiu, donec summus ille medicus, in altis habitans, infinita sua misericordia motus remediis mortalium non cedentem funditus eradicaverit morbum. Hac ratione ipsam *Angermundam* à Prenzlavia quinque tantum milliaribus remotam, per nunquam satis prædicandam Numinis divini gratiam *lues pestifera* non attigit.

(*Berolino Lipsiam missa, d. 27. April 1731.*)

OBSERVATIO LXI.

DN. D. PETRI ANTONII MICHELOTTI.

De

Ingenti sanguinis Vomitu, gelidissimis brumali tempore potionibus curato.

Quum Patritius Juvenis Præstantissimus *Ludovicus Maffetti*, rure, ubi venatione, & perequitando se vehementer exercuerat, in urbem reversus, *sanguinem*, decimo Calendas

lendas Januarias clɔ Iɔcc xxviii. *aduncias quinque, sexue matutinis temporibus vomeret*, hujuscemodi curationem instituí. Primum, quod cruoris in arterias, venasque vim eas distendere continenter nitentem insigniter, & præcipue ex superfluente sanguineæ materiæ copia adauctam animadverterem; minimeque ignorarem; ipsum nobilissimum Juvenem laborare schirrhoso lienis tumore, ob quem, & sanguinem vel hos ante quatuor annos evomuerat, & narium copiosis hæmorrhagiis à prima usque adolescentia, vere & autumno quotannis tentari consueverat; quæ, posteaquam fortuito à lusoribus follis capiti impactus fuerat, fere ex toto defecerant: quod hæc inquam, minime ignorarem, ad uncias circiter octo ex hæmorrhoidibus sanguinem per hirudines protinus mitti, ejus copiæ demendæ, atque à liene, & ventriculo avertendæ causa præcepi; tum aquam ex plantaginis succo, *corallato nitro* bene saturam, cyathi mensura sæpius eo die sorbendam præbui, ad sanguinis fervorem compescendum. *Sanguineo* vero *vomitu* circa secundam noctis vigiliam vehementius urgente, sub eoque, sanguine maximo impetu copiosissime ad os ruente, aquam ex lactucæ succo, *cydoniati J. B. Helmontii laudani* guttis duodecim, unciarum quatuor pondo commistam confestim potui dedi, & cruoris potissimum velocitatis minuendæ, & somni accersendi ergo: quod medicamentum quum æger, sanguine ex ventriculo tertium, quartumque ingenti copia erumpente, rejiceret, ad catapotia ex *Persici philonii* ʒij. ex aqua *succi sanguinalis herbæ* devoranda deveni. Sub item tempus gelidam aquam frigido aceto permistam ore contineri, spongiamque perfrigido aceto bene imbutam epigastricæ regioni admoveri jussi, ad sanguifera stomachi vasa, sive exesa, sive rupta, sive quocunque modo patefacta, constringenda: quem in finem, quandoquidem idem *cruentus Vomitus quintum, sextumque revertebatur*, atque æger exanimari videbatur, non modo ad confectionem ex contusis albi papave-

ris & hyoscyami seminibus, rosaceo saccharo, Armenia bolo, ac lapide hæmatite adjectis, semicochlearii pondere devorandam decurrebam; sed ad consolidantia quoque catapotia, quæ sub Autore *Helvetio* Patre feruntur, quorum terni scrupuli quarta quoque hora assumebantur ex aqua modo commemorata, in qua modica pollinis ex margaritis, & rubris coralliis in calcem redactis, itemque ex *magisterio* (ut Chymici loquuntur) oculorum cancrorum portio soluta erat. Per hæc auxilia consecutus sum, ut sanguis per aliquot horas conquieverit.

A sanguinis per sectas venas detractione ea nocte abstinui: primum, quod *sanguinem ad libras duodecim & amplius duarum circiter horarum spatio ex ore processisse*, jacentemque ob id in conclavi frigido, paucis vestimentis corpori injectis quietum, animo linqui perspicerem, tum, quod cordis, & arteriarum coagitatio, & quod consequebatur, residui cruoris pauciſſimi velocitas esset quam maxima; inde, quod ad avertendum tantæ sanguineæ materiæ à ventriculo cursum exiguam sanguinis emissionem, & parvo quidem tempore duraturam, sive ex parte ab ipso affecto ventriculo minus remota, sive ex vena quam longissime ab eo distante haud sufficere existimarem; postea, quod vel per modicam, hujuscemodi rebus circumstantibus, sanguinis detractionem, sulphurearum sanguineæ massæ particularum ad coccineas massulas pene ex toto deficientes proportionem jam notabiliter (uti ex magna siti, corporis calore, brachiorum, & crurum jactatione, insignique pulsus frequentia conjiciebam) increscentem, una cum sanguinis velocitate *cruentum vomitum* rursus excitare valente, summopere adaugeri posse, providerem.

Albente cœlo, *vomitu denuo reverso*, ad sanguinem, qui notabili tum quoque copia evomebatur, supprimendum, frigidum ex urenti urtica succum, cui tosti opii grana octo ad-

admiſta erant, ad uncias quatuor potandum obtuli; qui quum ex toto non reſponderet, ad extremum ratiocinando conſtitui, & ſanguinis ductus in ventriculi cavum pertinentes, ejus aërem condenſando comprimere, & ſanguinem ab iis ſupportatum reprimere *perquam gelidiſſimis potionibus*: quia vero cujusquemodi generis cibos, ſive ex contrito pane, ſive ex recentium ovorum vitellis in gallinaceorum pullorum juſculis, ſolutis, ſive ex ptiſana hordeacea, oryzæve cremore, æger morbo fuſus, ſtomacho maximopere languente reddebat, ſorbitiones virium imbecillitati ſuccurentes, neque onerantes delegi: & primum quidem ex *Chioccolatte*; tum ex vaccino lacte, & ſaccharo; inde ex hoc, & cremore ex dulcibus amygdalis, melonum, albique papaveris ſeminibus recens expreſſo: *cujusmodi liquores frigoribus ex glacie, & nitro conglaciati*, ſcilicet modo unus, modo alius quinta, ſextave quaque hora ad uncias circiter ſeptem *hauriebantur*, interpoſitis non multis quidem, ſed ſæpe nocte, ac die haud leviter ſitienti datis ex frigida nivaria aqua potionibus. Quæ curandi via maxime, quemadmodum ego arbitror, rationalis, mirifice quum conferret, in ea perſtiti usque ad Februarii menſis proxime inſequentis initium: quo tempore victum primis quidem diebus ex decocta in gallinaceo juſculo oryza, conſciſſove triticeo pane, eodem juſculo bene madente, aut recenti ovo; inſequentibus vero diebus ex carnibus quoque modo gallinaceis, modo vitulinis, & interdum ex avibus imperavi: prætereaque ad imbecillem ſtomachum confirmandum præſcripſi tincturæ ex abſinthio ſine vini ſpiritu extractæ guttas circiter ſexaginta quotidie paulo ante prandium ex pimpinellæ herbæ aquæ cochleario ſumendas.

Prætereo, me tertio, quartove morbi die vaccinum lac, butyro, ovi vitello, ac rubro ſaccharo admixtis, ad ultima inteſtina per clyſteres infundi curaſſe, ad atrum ſanguinem ex ventriculo ad inferiores partes defluentem educendum;

quem propterea quod crassi ex fuligine pulveris formam habere, animadverterem, à medicamentis ad cruoris in ventriculi caveam effusi concretionem prohibendam, tollendamve, in quocunque vomitu sanguinis ab aliis Medicis præscribi solitis abstinere, satius duxi, quam iis propinatis, ad effectum à *curatione per gelidissimas potiones* jam prospere inceptum perficiendum, vires adhibere videri, ejusmodi quam frigidissimarum cruorem cogentium sorbitionum viribus plane, atque omnino contrarias.

Atque hac quidem ratione medendi splendidissimum ægrotantem, ad desperationem redactum, ex gravissima & periculosissima, de qua hactenus reculi, valetudine, Oculatissimis, Clarissimisque Urbis Medicis, B. *Zendrino*, *& Jo. D. Santorino*, mihi testibus, liberavi: cui ne in eundem morbum deinceps relabatur, sanguinis uncias septem, octove, tertio quartove quoque mense mitti jubeo, plerumque ex brachiis, interdum ex hæmorrhoidibus. Istiusmodi autem præsidii genere ad sanguinis profusionem prohibendam utendi, causa hæc est. Splenis scirrho supra commemorato, sanguinis ad eum attinentes ductus magnopere obstructi eam sanguinis copiam, cui continendæ apti creati sunt, profecto capere nequeunt: reliqui igitur corporis, & quod consequitur, eo magis ventriculi ipsi lieni propinqui canales sanguinem ducentes quantitatem ejus naturali majorem contineant, necesse est; hique propterea sic extrorsum trudi, ac dilatari poterunt, ut sanguini continenter ex ipsis manare conanti patefiant: Sicuti plerumque contingit in maribus, fœminisque, quibus sanguinis sputa, vomitus, aut ejus ex naribus profluvia propter insignes vasorum vel infimi ventris obstructiones fiunt. Sed *in lienosis præsertim copiosas*, *& immodicas sanguinis*, *susque deque rejectiones* vidisse se, narrat *Jo. Riolanus*, historiasque ex *Hippocrate*, *& Valuerda* affert eorum, qui sanguinis vomitu turgente splene interiere. Id ergo malum ne accideret, præca-

ven-

vendum mihi existimabam repetita sanguineæ materiæ detractione. Et quoniam sanguinis in suos ductus impetus velocitatis quoque incremento augeri potest; ob hoc & aquæ frigidæ potum vini loco, & abstinentiam à venatione, cursu, aliisque ejuscemodi cruoris motum vehementer accelerare potentibus imperavi, & eventu sane ad ultimum usque mensem Anni CIↃ IↃCC XXX. prosperrimo.

Nam eo anno, postridie Calendas Decembres, in eundem Illustrissimus atque Excellentissimus, de quo retuli, Patritius *sanguinis Vomitum* noctu relabitur. Ad eum visendum protinus accitus, quandoquidem *libram unam* tantummodo, *alteramve sanguinis evomuerat*, & plenitudinem boni adesse cruoris videbam: quanquam cruenta vomitio continuabat, & arteriæ, sub ea pene ex toto submittebant sese, nihilominus tamen sanguinis uncias circiter decem, ad eum à ventriculi sanguiferis vasis avertendum ex vena in lævo brachio secta, nulla interposita mora, mitti jubeo; inde *liquidi Helmontiani Laudani* guttas quindecim, octodecimve ex pimpinellæ minoris aquæ unciis quatuor sumendas præscribo; atque hujusmodi remedium somni inducendi, & cruoris velocitatis retardandæ causa in usum vocatum, ter, quaterve, quod sanguinis vomitu redeunte rejiciebatur, ea nocte ad propositum mihi finem consequendum repetere coactus sum.

Vomitus vix horas duas sub hisce anxiliis conquievit: eo autem semel, iterumque reverso, ex hæmorrhoidibus quoque sanguinem ad uncias circiter quatuor educi, præcipio, eodemque tempore ad *quam gelidissimas*, quæ alias felicissime cesserant, optimeque nunc respondent in quadam virgine profusissimo cruoris ex uteri vasorum oppillationibus vomitu fere exinanita, *sorbitiones* devenio: & primum quidem ad *Chioccolatte*; tum horis circiter quatuor exactis ad *alios conglaciatos liquores*, quos *Sorbetti* ex *Spumiglia*, & *Pappina*, vernacula lingua hic appellant. Ex cujusmodi *artificiali gelu concretis liquidis*,

dis, nempe modo ex uno, modo altero ad coërcendū vomitum, viresque reficiendas non multum quidem, ne ventriculum morbo solutum oneraret, sed sæpe æger fermè exanimis degustabat. Hujusmodi per *summe gelidas sorbitiones* curandi ratione, cruoris, & maxime gastricis arteriis ac venis contenti motum valentissime refrenare potenter obtinui ut vomitus ad insequentem usque diem quieverit; in quo bis reversus iisdem *quam gelidissimis potionibus* pertinaciter tertia, quartave quaque hora repetitis iterum compressus est.

Tertio mali die, sanguinem quidem, at non in multa copia, Nobilissimo Ægrotanti denuo circa vesperam vomenti, catapotia auri bracteis obvoluta ad accersendum somnum, & ad cordis atq; arteriarum præternaturales coagitationes compescendas, devoranda ex aquæ tormentillæ herbæ succi unciis tribus dedi, quæ recipiebant *Persici philonii* grana triginta, tosti opii semiscrupulum. Hæc autem adeo responderunt, ut, & vomitus protinus sedatus sit, & longiusculus somnus noctu accesserit. Dum hæc adversus sanguinis Vomitum gerebantur, alvus lacte, butyro, saccharo, ac ovi vitellis commistis, & in inferiores partes infusis, secundo, tertiove quoque die ad nigrum sanguinem ex ventriculo ad intestina jam delapsum evacuandum ducebatur; *aquaque* præterea ex millefolii succo in quo cotoneum malum parumper ebullierat, *glacie, gelidissima reddita*, ad stomachum æstu suo, & inanitione languidum erigendum, & ad ductus sanguinem in eum importantes confirmandos, & ad sitim, quæ die tertio urgere cœpit, moderandam, sæpius die, ac nocte parce tamen, ne stomachus ipse tunc multum admodum infirmus ad resistendum obrueretur, *potui dabatur*.

Dies duodecim *frigidissimam hanc*, *tenuissimamque victus rationem*, sub qua flatus quamplurimi per inferiora maximo cum crepitu descendebant, satis feliciter adhibui: post quod tempus, quum de ventriculi distendente dolore ægrotus

(quod

(quod præmemorata *glaciali aqua ad depellendam*, qua continuo ardebat; *sitim abusus* esset) gravissime quereretur, illam dimisi; atque in ipsius locum substitui victum paulo plenriorem ex calidis gallinaceorum pullorum jusculis, in quibus recentis ovi vitellus cum permodica succi ex limonio malo portione solutus erat. Quæ jusculæ bis in die hauriebantur, interposita summis matutinis temporibus bene calida ex *Chioccolatte* sorbitione; cui *frigidæ aquæ potio*, tum ventriculi refrigerandi, tum importunæ sitis elidendæ ergo *præmittebatur*. Adversus autem istiusmodi permolestam stomachi distentionem, præter calentes sorbitiones, catapotia quoque modo proposita, inordinatos nervorum & animalium spirituum motus componendi virtute prædita propinavi.

Quartodecimo die dolor, & tumor pone sinistram aurem ad inferioris mandibulæ medium, amplius sese exporrigens, posteaquam caput proxime antecedentibus diebus leviter doluerat, extemplo suboritur; eodemque tempore febris, quæ alioqui continens quidem, sed nequaquam ingens erat, cum levi frigore, & aliqua mentis turbatione intenditur. Contra quem dolorem calida, humidaque fomenta ex vaccini lactis, & aquæ simplicis, in quibus sambuci flores decocti erant, partibus æqualibus, spongiis admotis sæpe repetenda præscribo, per quæ humoris parotidem efficientis coitus intra octo dies fere ex toto solutus est. Post quod tempus febricula circa noctem paulum increscens; mane se remittens continuabat; Æger siti non adeo cruciabatur, *frigidam Nucerinam aquam potabat*; interdiu vigilabat, noctu conquiescebat; calidis, quas dixi, sorbitionibus reficiebatur, & interdum ptisana quoque ex oryza utebatur. Natura vel dum bene valebat, ructuosus aliquando conquerebatur de quibusdam (ut ipse ajebat) acidis ventriculum irritantibus pituitæ, & nonnunquam alimentorum rejectum mouentibus, adversus quæ absinthii tinctura

semel die circa meridiem, *sæpius frigida aqua ex Nucerino Fonte* huc importata haud improspere pugnabam; atque interdum remedio *Persici philonii*, *& tosti opii*; interdum *quam gelidissima ex lacte*, *& saccharo*, *gelu artificiose concretis*, *sorbitione* ad crebro nutantem, calidisque fermentationibus (quod ut facile credam, haud leves sunt causæ) commotum stomachum componendum prospero successu noctu utebar.

Circa diem quadragesimum aquosi humoris vomitus decedebat; Arteriæ naturaliter ordinatæ erant; venter quotidie satis, copiosam vero urinam vesica reddebat; & vires, ac ciborum appetentia accedebant sic, ut valentiorem cibum, *frigidum* videlicet *ex cervino cornu*, *& vitulinis pedibus gluten* convalescenti, paulo antequam nutrientia jusculasupra commemorata forberet, quotidie ter oporteret offerre. Ab ejusmodi alimenti genere primum ad oryzam in capi jusculo coctam, & gallinacea jecinora elixa; inde ad tenerarum gallinarum, vitulorum, coturnicumque carnes transiit: edulio ex vaccino lacte, recentium ovorum vitellis, & tantilla sacchari portione ad cochlearium unum, aut alterum commanducato, alui movendæ gratia. Atque in præsentia sanus est, & bene valet.

D. Venetiis Quinto Calendas Februarias
clɔ Iɔcc XXXI.

SCHOLION.

PRopositum *Sanguinis Vomitum* per conglaciatas, quas recensui, sorbitiones supprimendi rationem, quam solidissimis ratiocinationibus esse innixam, demonstratu haud ita difficile est. Primum namque sanguiferi ductus cruorem in ventriculi cavum, sive ruptura, sive erosione, sive raritudine propriarum tunicarum, sive osculorum suorum apertura por-

profundentes, *glaciatis ejusmodi congelatarum* celeriter in stomachum defluentium *potionum frigoris vi*, nulla re interposita tacti, quasique perusti, quam citissime, validissimeque fieri potest, corrugantur; tum sanguis his ipsis ductibus contentus vehementissime cogitur, atque in majores canales repellitur; deinde toto corpore ob idem gelidissimum frigus inhorrescente, reliquum sanguinis in suis motibus lationis, & agitationis multum admodum retardatur, ac proin ejus impetus ex cordis, & arteriarum pulsus velocitate enascens, arteriosorum, venosorumque canalium extremis orificiis patefaciendis peropportunus notabiliter imminuitur; postea illæ ipsæ *quamgelidissimæ potiones* ex satis nutrientibus massulis coagmentatæ per notissimas chyli vias sanguinis alveos influentes, residui cruoris particulas congregando, absque ullo impetu reficiunt. Quum igitur, quod expono, adversus *Sanguinis Vomitum* pugnandi ratio, & ventriculi vomendi conatus cohibere, & sanguinem sistere pluribus de nominibus valeat; subveniendique insuper & prompte quidem, imbecillitati Ægrotantis sufficienti polleat virtute; ecquis saniorum saltem Medentium jam est, qui eam, *& maxime rationalem, & efficacissimarum in cruorem vomentibus virium esse*, non fateatur?

Pulcherrimam *Aretæi* ex Cappodocia græco-latinam editionem, *Oxonia* ad me transmissam, inspicienti mihi, Sanguinis rejectionis curatio, Acutorum Morborum Libro secundo, ab eo proposita sub aspectum venit. Quum autem hanc perlegerem, ad eum locum deveni, ubi *præsentiorem medicinam in iis, quæ bibuntur, & devorantur* esse, ait: quorum speciem triplicem existere, subjicit; *vel, ut vasa cogendo, comprimendoque fluxionis ductus quasi ligent; vel, ut effluentem humorem incrassent, atque congelent, quo minus effundatur, quanquam exitus pateat, vel, ut vias exiccent, sanguinem intra sedem*

antiquam retinendo, ne profluvio loci exinaniti maneant, & in eam partem exundent, ubi facta esse effusio.

Miles ille in Græcorum veterum Medica Disciplina gloriarum pleniſſimus, qui cujusdam *Georgii Schimidt*, Corcyræ Nigræ ficti Medici cognomine perſonatus, clamoſo libello ranæ adinſtar clamitans, ranunculorum vim maximam hos ante ſex annos in me commovit: *Miles*, inquam, ille *Glorioſus* (ut Plautina phraſi utar) *cujus ego Legiones* difflavi Spiritu, ex hiſce *Aretæi* verbis: *cogendo, comprimendoque; quaſi ligent, atque congelent:* colligi poſſe, quod ſanguinis vomitum, cujus hiſtoriam cum Medica Republica communico, curandi methodus ſola ratione hoc in caſu à me inventa, in ejusdem Cappadociæ Medicorum Principis de curatione ſanguinis rejectionis capite contineatur, procul dubio dicitabit. Verum enimvero, id à veritate omnino abhorrere, evidentiſſimum fiet, remedia, quæ *valida & ad concretionem efficacia* idemmet vocat *Aretæus* perpendenti. Non enim glaciem, nivem, aut, quos ego adhibui, conglaciatos liquores ad vaſorum compreſſionem, & ſanguinis, quam ceteroqui neceſſariam cognoſcit, concretionem inducendam proponit, ſed ſimplicem *poſcam, plantaginis, uvæ acerbæ, herbæ ſanguinalis, ſeridis, coriandrive ſuccum; aridam acaciam, leporis, hinnuli, aut hædi coagulum; terram Samiam, eretriam, ſigillatamque Lemniam; corallium, ſapam creticam; paſtillos ex Ægyptia ſpina*, atque hujus generis alia multa, quæ hic referre piget. Quod ad alimenta attinet: ea adſtringentia quidem, & facultate refrigerantia, vel actu frigida eſſe debere, ſcribit: at vero mentionem tantummodo iujicit *elotæ alicæ, oryzæ in poſca, palmularum decocti, toſti panis ſicci, contuſi in farinæ ſpeciem cribro trajecti:* ex quibus *ſorbitiones cum oleo (cui thymbra inſpergi poteſt ſale condita, cum rhoë)* faciendas eſſe præcipit. *Si ex profuſione mors timeri poſſit, injucunda etiam, & concoctu difficilia eſſe præbenda ex galla arida contrita, lenti ſiccæ, frigidaque inſper-*

sperſa, atque ova inter conquendum craſſa facta, tradit. Atque his utendum esse inculcat, si *adstringere*, & *refrigerare* in animo habeamus. *Sanguinem* autem, & *spiritum increſſantia* auxilia recensens: ad hoc præstandum, sorbitiones ex *lacte, amylo; aut ex alica modo cum amylo, modo cum lacte; alicamque* præterea *cum palmulis coctam & ad consistentiam optime perductam cum amylo, vel lacte, vel farre Thyrreno;* itemque *milium cum lacte*, atque horum similia maxime valere, perhibet.

Ut itaque leviori epilogo Militi nostro Gloriosissimo satisfaciamus: quum *Aretæi* neque alimenta, neque medicamenta adversus sanguinis vel à liene profusiones; conglaciatarum, quas inclyto meo ægrotanti, cum rejectus sanguinis supprimendi, tum virium levissimo, gratissimoque cibi genere sustinendarum causa dedi sorbitionum virtutibus, æquales, similesve obtineant facultates, hæque ab illis plurimum differunt: nemo deinceps suspicari poterit, meam, ante recensitum *sanguinis vomitum per quam gelidissimas summis frigoribus propinatas potiones edomandi, comprimendique methodum* ab *Aretæi* fontibus emanasse. Si in supra allegatis *Aretæi* verbis eam, de qua disputatur, curandi viam reipsa sub esse, idem Philo-Græculus Miles, ad Græcorum Medicæ Artis Principum (quas *Superum consiliis instructos* credit) scripta, tanquam ad Sibillinos libros adhærescens novisset: eam profecto quatuor circiter abhinc annis, nimirum dum Patritio nostro sanguinem copiosissime primum evomenti, una cum aliis Medicis assideret, adhibuisset. At sub ejus curandi forma per largas, repetitasque sanguinis detractiones, & medicamenta nitrum recipientia, ex Clariss. *Georg. Ernest. Stahlio* excerpta, æger longo vitæ curriculo dignissimus moriebatur: mea autem opera à mortis limine revocatus est. Sed Philogræculum dimittamus: ad *glaciali frigore curandi rationem* revertamur.

Viri eruditissimi, *Thomæ Bartholini* de Nivis usu Medico libellum nuperrimis diebus quum evoluerem, inveni non *Abensinam* modo, potionem nive refrigeratam in calidis ventriculi passionibus imperare, sed & *Galenum* Lib. VII. meth. med. cap. 4. Hic, eodem referente *Bartholino, Senecam: solutum, & æstu suo languidum stomachum perurente frigore erigendum esse*, in naturalibus quæstionibus scribentem fortasse secutus: in ventriculo curando refrigerationem sibi proponit per aquam, cibos, fructus nive refrigeratos. *Vidisti*, inquit, *& tu quosdam uno die, vel potius hora, frigida potione levatos; quorum aliis non aquam modo dedi fontanam recentem, sed etiam quæ nive esset refrigerata, veluti Romæ præparare solent: cibos præterea ad eundem modum refrigeratos identidem me illis permittere vidisti: iisdem dedi, & ptisanam probe coctam pari ratione refrigeratam, aliaque id genus sexcenta.*

Præter *Abensinam*, & *Galenum*, *Rhasem* quoque *Zacutum*, *Amatumque Lusitanos*, *Lud. Septalium*, *Laz. Riverium*, atque alios, qui ad percalidum ventriculum multum infrigidandum, colicosque ex calidis, ac biliosis humoribus coortos dolores depellendos cibo, & potu gelido, & frigida aqua in linteolis ventri imposita usi sunt, adducit idem *Bartholinus*. Qui autem sanguinis rejectiones, effluentiasve ex quacunque corporis nostri parte, potionibus, nive, vel glacie, quam frigidissimis redditis; aut alius generis gelidissimis sorbitionibus curarint, profert neminem. Quod ad me attinet: conglaciatos ex melonum seminum cremore, & modico saccharo liquores, parca manu circa primum vesperum oblatos, satis feliciter hisce frigidissimis diebus expertus sum in juvenilis ætatis, & fervidæ temperiei Monialiex Patritia *Ericciorum* Familia quam splendidissima; quæ ventriculi nervorum spasmo ab vehementi mœstitia ortum ducente, lævumque ejus orificium ita constringente, ut, & gravem, suspiriosamque respirationem efficeret, & cum esculentorum, tum potulen-

tulentorum vel parcissime assumptorum descensum pene ex toto prohiberet, graviter vexabatur.

Hippocrates, quanquam *frigida, veluti nivem, & glaciem, sanguinis eruptiones inducere* scribit Aphorism. Sect. V. Aph. XXIV. nihilo tamen secius Aphor. XXIII. asserit: *in his frigida uti oportere, unde sanguis erumpit, aut erupturus est; & quidem circa ipsas partes, unde fluit.* Memini, me sex circiter abhinc annis, *sanguinis ingens ex uteri profluvium* communibus medicamentis, & ne perfrigida quidem aqua, quicquam proficientibus, promptissime in meritissima Matrona, *media æstate suppressisse; perurente glacie genibus, & cruribus superimposita,* cruralibus, & quod consequitur iliacis, aliisque in uterum desinentibus arteriis, ac venis maximopere coarctatis repressoque propterea, ac veluti à consuetis viis intercluso sanguine.

Verum tamen, tametsi *quamgelidissimas,* quas sæpius commemoravi, *Sorbitiones* adversus cujusquemodi profluvia sanguinis, & maxime ex ventriculo, ab immodico sanguinei amnis fervore, & accelerato motu enata, aut cum his conjuncta, & juvenibus potissimum, quibus cruor, & stomachus exæstuat, magnopere collaudo: *non ideo tamen suadere ausim, ut illæ ipsæ conglaciatæ sorbitiones mulieribus sanguinem ex partu vomentibus, aut frigidis ventriculi, atque intestinorum fermentationibus obnoxiis, sine ullo discrimine propinentur.* In sanguinis ex partu vomitionibus, uti neque *multa calida aqua lavarem*, neque *tepefactoria* (quemadmodum *Hippocrates* tum in libro de Morbis Muliebribus, tum in eo, quem de Natura Muliebri inscripsit, indiscriminatim præcipit) tam facile adhiberem: Sic asininum, & vaccinum lac ab eodem *Hippocrate* iis in casibus præscriptum, haud quaquam plane damnarem. Sanguinem, inquam ex lochiorum suppressione, aut imminutione evomentibus; primum venas in pedibus secari, ad sanguinem à ventriculo revocandum; tum calidis fomentis

mentis ex aqua, & albo vino, in quibus emollientes, aperientesque herbæ ebullierint, hypogastricam regionem frequentissime foveri, cruraque, & pedes eodem tempore multa calida aqua lavari juberem, ad uteri vasa referanda; inde ad lac, humectandæ & reficiendæ sanguineæ massæ causa transirem. Sin vero mulieri sanguinem vomendo rejicienti, puerperii purgationes naturaliter fluerent, non calidis fotibus, & lavacris, sed remediis sanguinis impetum sedantibus, ejus calorem cogendo moderantibus, confirmantibusque vasa ventriculi, ad singulas circumstantes res respiciendo, cruentum vomitum supprimere, pertentarem. Eo autem compresso, ad lacteam diætam vel hac non conferente, ad reficientes potiones ex *Chioccolatte*, nutrientibus gallinaceorum pullorum, ranarum, terrestriumve testudinum jusculis, atque horum similibus devenirem.

(Venetiis Altorfium missa d. 23. Augusti, A. 1731.)

OBSERVATIO LXII.

DN. D. JO. FRIDERICI BAUERI.

De

Rara tactus idiosyncrasia.

SEnsus externos quædam objecta adeo interdum aversari, ut ea perferre nequeant, tanto minus indiget probatione, quanto frequentiora, cum in aliis libris, tum seorsim in *Ephemerid. Acad. N. C.* exempla occurrunt. Ita videre est D. I. A. I. p. 298. D. II. & V. p. 458. *auditum & visum* ejusmodi aversione laborasse, dum unus musicam, alter colorem rubrum perferre non potuit. De *olfactu* similis reperitur historia D. II. & IV. p. 121. ubi refertur, quendam menthæ odo-

odorem ſine animi deliquio tolerare non potuiſſe. De *guſtatu* non eſt, ut exempla proferam, quum ubique ea proſtent. De *tactu* liceat hiſtoriam recenſere paulo rariorem. Studioſus quidam Theologiæ nunquam ſine ſenſuum abalienatione *holoſericum* (vulgo den Sammet) nudis digitis tangere poteſt; ita, ut lipothymia corripiatur, quando holoſericum ejusmodi ad palpandum illi obtruditur. Utrum iſtius mollities nervis inimica ſit, an vero phantaſia matris, tempore geſtationis fœtui hujusmodi perverſam ideam implantaverit, difficile eſt decernere.

OBSERVATIO LXIII.

DN. D. JO. FRIDERICI BAUERI.

De

Subitanea Icteri curatione per narium hæmorrhagiam.

COntrovertitur in Medicorum ſcholis, utrum V. S. in Ictero ſit admittenda nec ne? *Galenus* de purgant. Facultat. C. II. negativam amplectitur opinionem, quando dicit: *ſi morbo regio laboranti ſanguinem detraxeris, in extremam perniciem egeris;* cui & plurimi recentiores ſubſcripſerunt. Licet Icterus non immerito inter morbos cacochymicos referatur, ubi ſanguinis miſſio minus conducere videtur, tamen V. S. *ubi plethora morbum regium acceleravit, prorſus non eſt rejicienda,*

Opifex horologiorum, cholerico-ſanguineus, poſt gravem iracundiam *febre bilioſa* afficiebatur, cui *Icterus* ſe adſociabat, qui totam corporis ſuperficiem adeo conſpurcabat, ut croco quaſi tincta conſpiceretur. *Die quinta larga hæmorrhagia narium ſuperveniebat, poſt quam omnis flavedo ſua ſponte ceſ-*

te cessabat, ita ut altero die nec in bulbis oculorum, nec cute ullum Icteri vestigium deprehendere potuerim. Reliqua symptomata pariter mitigabantur, ita ut ægrotus paucos post dies sanitatem recuperaverit. Quum ergo probabile sit, *in locum hæmorrhagiæ narium V. S commode succedere potuisse*, non video cur hinc & inde practici eam penitus rejiciant.

OBSERVATIO LXIV.

DN. D. JO. FRIDERICI BAUERI.

Singultus & Lipothymia certa graviditatis signa.

Ante medium gestationis tempus omnia signa graviditatis, quotquot huc usque pro veris sunt venditata, fallibilia & incerta esse, omnes cordati Medici uno fatentur ore. *Quemadmodum ergo difficile est de graviditate infallibilem ferre sententiam, ita multo difficilius est, insolito ac insueto symptomate superveniente, prægnationem ominari.* Quis ob *ptyalismum* graviditatem præsagiret? cujus tamen mentionem faciunt *Ephemerides Acad.* N. C. D. III. A. III. p. 57. Pari modo vix Medicus ex *epilepsia* imprægnationem judicabit, quæ cuidam mulieri signum fuit infallibile: conf. D. II. A. X. p. 160. Licet de *singultu* & *lipothymia* idem ferendum sit judicium, tamen *cuidam mulieri symptomata hæcce graviditatis signa sunt infallibilia.* Mulier hæc jam sexta vice uterum gerens, quoties est imprægnata, toties *à primo conceptionis die, ad medium gestationis tempus*, quotidie decies vel duodecies lipothymia vexatur, quam singultus, ad novum sæpe lipothymiæ regressum durans, sequitur. Multa ab initio adhibuit remedia, sed frustra omnia, dum nullo modo periculo-

culosa hæc symptomata compesci potuerunt, usque dum medio gestationis tempore sua sponte cessarunt, ita ut mulier pro signo infallibili novæ conceptionis agnoscat horum symptomatum recursum, nec etiam maritus, vel reliqui consanguinei de iis querelam moveant.

OBSERVATIO LXV.

DN. D. JO. FRIDERICI BAUERI.

Febris continua, Lipyriæ naturam æmulans, â corporis extensione violenta, lethalis.

PErnicioſa apud nos introducta eſt conſuetudo, ut ii, qui ſunt *perterriti*, aut ſua opinione *luxati* (da ſie meinen, ſie haben ſich wehe gethan) ſine omni diſcrimine, ab alio homine robuſto *ſe in ſublime attolli*, *trahique* curent, unde dislocationes aliaque pejora mala interdum oriuntur.

Vidua ſacerdotis in pago *Seyferdshayn*, poſt gravem terrorem, ab equiſone ſuo dicto modo trahebatur, quo facto intenſiſſimos dolores à ſcrobiculo cordis ad dorſum ſe extendentes ſentiebat, quibus *febris* ab initio cum horrore, poſtea *continuo externarum partium frigore, internarum vero calore intenſo*, reſpiratio anheloſa & difficilis, virium proſtratio, ſomnolentia, & ſudor copioſiſſimus ſe adſociarunt; donec die decimo ſingultus, ſenſuum abolitio & linguæ nigredo mortem inſtantem pronunciarent, quæ etiam ſequenti nocte ſequebatur.

SCHOLION.

Quum vulgus sibi persuadeat, in attrahendo ad articulorum crepaturam esse continuandum, non potest non hac importuna corporis extensione & diaphragmati & pulmonibus, aliisque infimi etiam ventris visceribus damnum inferri sæpius lethale. Nostro in casu Anatomica inspectio omnes has læsiones patefacere potuisset, ni denegata fuisset; interim arguere convenit, quod, cum defuncta hernia umbilicali laboraverit, pulmonum & diaphragmatis læsiones *inflammatoriam hanc febrem*, adeo diris symptomatibus stipatam, excitaverint.

OBSERVATIO LXVI.

DN. D. JO. FRIDERICI BAUERI.

Melancholiæ subitanea cessatio, sphacelo accedente.

Mulier viginti annorum, temperamenti sanguinei, quum *inordinato mensium fluxu* laboraret, *melancholica* fiebat. Ægra per duodecim dies omnium actionum erat inscia, usque dum *in Metacarpo sinistræ manus & gena ejusdem lateris maculæ rubræ*, ab initio peripheriam unius grossi æquantes, conspicerentur. Hoc symptoma ab initio parum attendebatur, dum adstantes externæ læsioni adscribebant: sequenti die ambæ hæ maculæ, sibi invicem incrementi ratione correspondentes, magis magisque se extendebant, ita, *ut intra duodecim horas manifesta inflammatio in conspectum veniret.* Chirurgus accersitus omni adhibita cura inflammationi resistebat, sed frustra, dum intra sequentem noctem tota ma-

nus

nus cum integro brachio, in facie vero tota gena cum naso inflammata & sphacelata inveniebantur; ubi prætereundum non est, quod eo tempore, ubi inflammatio oriebatur, ægra tranquillior reddita fuerit, eo saltem excepto, quod increscente inflammatione, dolorum, quos sentiebat, indicia quædam ederet, donec *inflammatione in sphacelum conversa, uno quasi momento omnia integræ rationis signa edebat*, qua etiam ad mortem usque gaudebat.

SCHOLION.

TRibutum lunare, quod sexus sequior solvere tenetur, non eum saltem in finem à provida natura ordinatum est, ut sanguinis abundantia imminuatur, sed, si quid maligni adest, insimul hac via expurgetur. Pauca ut adducam exempla, testantur *Ephemerid.* A. N. C. Dec. II. A. V. p. 11. App. *scabiem mammarum, mensium retardationem esse secutam.* Eadem Decuria A. VII. p. 145. prostat exemplum, ubi *menses suppressi cutim versicolorem & exulceratam reddiderunt*; alia ut taceam utrobique à practicis annotata. Meminit *Fabric. Hildanus, Observat. Chirurg.* C. II. nonnullorum exemplorum *Gangrænæ & Sphaceli à sola mensium emansione profectorum*, Simile confirmat *Gregor. Horstius* P. II. L. IX. Obs. 24. dum ob humorum impuritatem *dextram manum penitus sphacelatam* vidit; Quapropter, quod in nostro casu *sphacelus* se associaverit, haud adeo mirum esse debet, cum subjectum non modo plethoricum, sed etiam cacochymicum fuerit. Hanc opinionem *de sanguine impuro stagnante, melancholiam & sphacelum generante*, illud symptoma corroborare videtur, quod ægra, quæ antea meticulosa erat, & de fuga perpetuo meditabatur, accedente inflammatione tranquillior fuerit reddita, imo, ea increscente, integræ rationi restituta; non aliter, ac si natura Crisin aliquam fatali hoc symptomate intendisset.

OBSERVATIO LXVII.

DN. D. JO. FRIDERICI BAUERI.

Cucurbitularum operatio in Lippitudine inveterata.

PUella octo annorum, à tenera ætate *oculorum inflammatione & lacrymarum effusione* laborabat, ita ut nec videre nec apertis oculis incedere potuerit. Varia equidem parentes, tam à Medicis quam Medicastris adhibuerunt remedia, sed omnia incassum, ita ut plurium pertæsi, nil magis quam mortem lippientis puellæ exoptaverint.

Quum tandem meum auxilium implorarent, periculum feci, interne Mercurialia laxantia, externe vero *singulis decem diebus* à balneatore *sex cucurbitulas* duas scapulis, duas manibus & duas genibus imponendas, commendavi; quarum *tres sanguinem trahentes*, reliquas vero *tres ventosas* ordinavi, hac admonitione ut sequenti termino scarificatio variaretur, nimirum loco, qui antea erat scarificatus, ventosa adplicaretur, illo vero, cui ventosa fuit admota, scarificatio institueretur, sicque alternatim continuaretur; quo regimine & remediorum continuatione eo res devenit, *ut puella intra quatuor septimanas integræ sanitati fuerit restituta.*

SCHOLION.

USus cucurbitularum in Lippitudine diu cognitus fuit, quod probatur ex *Galeno*, qui Meth. Med. L. XIII. C. 19. istius mentionem facit, quando dicit: *cucurbitula in occipite defixa efficax est remedium ad oculorum fluxiones;* cui & non pauci recentiorum subscripserunt. Conf. *Valeriolæ* Enarrat. Med. L. IV.

L. IV. p. 295. *Foresti* Observat. Med T. II. p. 1. Sed necesse est, ut præter cucurbitularum adplicationem ager, monente itidem *Galeno* l. a. ab impuris & superfluis humoribus liberetur, quod in nostra puella singulis octo diebus, Mercurii dulcis usu factum est; *scarificatio vero reiteretur*, quod quovis decimo die fiebat. Nec illud negligendum est, quod etiamsi omnia voto nostro respondeant, & morbus penitus deletus videatur, *post convalescentiam adhuc ab initio singulis quatuordecim diebus, postea singulis mensibus, & denique post tres menses scarificatio administretur.* Morbus enim ejusmodi chronicus diuturnum remediorum exposcit usum, alias brevi recrudescit. Ratio, quod præter tres cucurbitulas sanguinem trahentes, totidem ventosas commendaverim, in eo consistit, quod crebrior cucurbitularum usus teneræ puellæ ætati, ob nimiam sanguinis effusionem, damnum inferre potuerit, quod hoc pacto avertebatur, eodem tamen revellendi effectu secuto. Cæterum laudabilem cucurbitularum usum pro scope revulsorio vid. *in Ephem. Acad.* N. C. D. I. A. IX. & X. p. 201.

OBSERVATIO LXVIII.

DN. D. JO. FRIDERICI BAUERI.

Lusus naturæ in conformatione organorum, alieno sexui propriorum.

NAtura sæpe in conformatione organorum ita aberrare solet, ut monstrosa, aut certe mirabilia hinc oriantur corpora. Nolo inquitere, utrum *hermaphroditi perfecti* unquam extiterint; de quibus tamen hinc inde leguntur exempla. Interim nemo litem movebit, aliquando sedulam nimis naturam in construendis membris organisque adeo defle-

deflectere, ut credula hominum gens facile decipiatur, sicque *marem pro femina & feminam pro mare* agnoscat. Quis nescit sexum sequiorem eatenus inter alia differre à sexu virili, quatenus ejus pectus *mammis* est exornatum, ut organum constituant recens natis, eorundem pabulo dicatum? Sed hinc & inde inveniuntur exempla, naturam sæpe & in hoc passu aberrare, *ut viris quibusdam non solum largiatur mammas protuberantes, sed etiam lacte turgidas*, quo nutricum munere optime fungi queant.

Barba licet viris tantummodo competat, tamen multi ea destituti videntur; contra vero mulieres inveniuntur, sæpe satis formosæ, quarum mentum barba est præditum. Quod in homine, id etiam *in bestiis* contingit. Testantur *Academiæ nostræ Ephemerides*, D. II. A. II. p. 247. *cervam cornutam* extitisse. De *gallo oviparo* D. II. A. V. quædam inveniuntur exempla, quæ licet incredibilia possint videri, multum tamen abest ut tantorum virorum fidei aliquid derogare audeam, ut potius scholio Viri Illustris b. m. DN. SCHROECKII calculum meum adjiciam; vid. p. 437. Ipse facile credidissem gallum oviparum vere existere, dum mihi erat *passer Canariensis, qui* ab omnibus, quoad rostrum & reliqua externa indicia, *pro masculo habebatur*, in cantando omnes antecellebat, ita ut, *cum ova excluderet pro miraculo haberetur*. Sed tempus docuit avem *veram femellam* fuisse, dum non solum coivit cum masculis, sed ova etiam debite maturavit, ita ut omnes, qui ab initio contrarium asserebant, suum errorem agnoverint. Notum porro est, regulariter *equas non hinnire*, dum hinnitus allectio est equorum admissariorum: interim contrarium observavi in meo caballo, qui, *licet feminei fuerit sexus, sæpius tamen instar masculi generosi hinniebat*. Simili ratione possibile est, *gallinam instar galli cantare* posse, ita ut omnes decipiantur, qui in pennatis cantum pro charactere masculini sexus ven-

venditant: *Natura enim iuterdum in organorum conformatione aberrat,* ita ut indolem alieni ſexus ſequatur.

OBSERVATIO LXIX.

DN. D. JO. FRIDERICI BAUERI.

Ventriculi ſpaſmus & vomitus crebriores à comeſtione alaudarum.

MAtrona, quoties tempore Feſti S. Michaelis *alaudas*, quas in deliciis habere ſolet, comedit, toties *dolore afficitur ventriculi ſpaſmodico, quem vomitus crebriores* ſequuntur. Memini alium *hæmorrhoidum dolores* ab hujus ferculi nimia comeſtione ſibi contraxiſſe, quæ cuncta ſymptomata à carne alaudarum veluti nociva, provenire vix mihi perſuadere poſſum, ſed potius *à mala eas comedendi conſuetudine*, dum utplurimum integras aves una cum oſſiculis manducare ſolemus, quorum cuſpides poſtea & ventriculi & hæmorrhoidalium vaſorum latera pungere & vellicare ſolent, cui opinioni binos eruditione & fama celebres Viros videlicet *Riedlinum* Lin. Med. A. 1707. p. 73. & *Valentinum* Act. Med. Acad. N. C. Vol. II. p. 278. patrocinari video.

OBSERVATIO LXX.

DN. D. JO. FRIDERICI BAUERI.

De

Colica convulsiva, post assumtum Febrifugum Chinatum.

Quum in observationem, quam DN. D. LIMPRECHT Volumine II. horum Actorum p. 287. de crudeli dolore abdominis, Corticis Peruviani usum secuto, recenset, inciderim, consimilis casus, quem superiori anno observavi, in memoriam redit. Vir 40. annos natus, temperamenti cholerici, per aliquot menses *febre quartana* laboraverat, cui, ut febrifugo remedio finem imponerem, precibus me fatigabat. Desiderio istius satisfaciens, *Electuarium cortice Peruviano mixtum*, pondere circiter ʒij. illi porrexi cum admonitione, ut diebus intercalaribus, singulis quatuor horis cuspidem cultri assumeret. Æger autem erronea opinione persuasus, medicamenti largiorem usum sequi faciliorem effectum, die noctequeque duplo majorem devorabat dosin, unde quidem sopita est febris; at loco istius *dolores colici atrocissimi* ægrum adeo exercuerunt, *cum omnimoda alvi obstructione & continuo vomitu*, ut dolorum vehementiam vix perferre potuerit, sed febrem, si potuisset magis revocasset. Interim adhibitis convenientibus auxiliis, spatio octo dierum dolores sensim sensimque imminuebantur, & æger sanitatem recuperabat. Hoc exemplo patet, *corticem Peruvianum immodice exhibitum, & justo avidius devoratum, in febribus sistendis adeo secure non adhiberi*; cum alias generosum hoc remedium, caute partita & moderata dosi adhibitum, sine omni metuenda noxa usurpari queat, seseque præ mille aliis commendet.

(Lipsiæ oblatæ d. 24. Augusti 1731.)

OBSER-

OBSERVATIO LXXI.

DN. Lic. JO. NICOLAI WEISSII.

De

Vulnere inteſtini Ilei, cum hiatu per inguen dextrum permanente, non lethali.

DUdum equidem devicta *vulnerum inteſtinorum abſoluta lethalitas*: raro tamen absque omni dirorum comitatu ſymptomatum prorſus devincitur. Ita uxor mercenarii Curienſis, nomine Winterſteinin, ſeptuagenaria, non ita pridem febre marasmode defuncta, ante hos 17. annos *in inguine dextro dolentem* ſentit *tumorem*, cujus inſpectionem vetulæ permittit, quæ ad illum *falſo putatum abſceſſum ſeu bubonem*, pro pure educendo, ferro perforandum ſeſe audacter & prono, ſed infelici conſilio accingit. *Pertuſa hernia inguinali*, qualis tumor reapſe fuerat, nihil puris, ſed nonnihil ſanguinis effluit per vulnuſculum inflictum, quod ad felicius ſuppurandum, turunda immiſſa, deligatur. Subſequuntur autem diri abdominis cruciatus, vomitus, febris vulneraria, lipothymiæ, ac denique crebri inſultus epileptici, quibus medendis opera medici prudentis utitur feliciter, absque tamen celati, præ pudore, vulneris cura præcipua, ita, ut ſuperato ſesquimeſtri ſpatio & ipſa ſymptomatum caterva ſuperaretur. At dum forte, more hactenus ſibi conſueto, priſtinum vulnus nova obturare intendit turunda, extractum prius operculum ſequuntur grana hordei excorticati, fruſtulaque panis ante comeſi, quæ cum cereviſia ante ſimul hauſta, è *fiſtula* ſucceſſive protuſa, non ſine ſtupore detergit. Turundas itaque removendas ſtatim eſſe, nec inique, judicat ipſa, ac ne per hiatum magis patentiorem alimenta impoſterum libere prorum-

pant, splenii fasciisque aperturam cooperit, futuram consolidationem, sed frustra, expectans, nescia, labia vulnerum antiqua, præcipue liquoribus biliosis fermentescentibus irrigata, difficulter, aut plane non coalescere posse. Vivit interea per reliquos 17. annos sana, atque, præter nonnullas ex frigore improvide admisso oriundas passiones colicas, incolumis, quo inter labores mercenarios non nimis duros, & quod mirabar, inter tabellariorum crebra itinera, superato tempore fatis demum cessit. In sectione invenimus *externe fistulam levissima crusta obductam, sed stylum crassiorem mox admittentem, atque cum laterali aliqua parte intestini Ilei, per annulum peritonæi protensi, continuam, interne salvum erat satisque amplum spatium intestino reliquum, per quod fæces, legitima via, in canali, præter latus agglutinatum, adhuc integro protrudi commode poterant.* Namque vel hæc vulneratæ benigna sors contigit, ut ab intrusa turunda pertusum Ilei latus undiquaque optime cum annulo peritonæi, quem ligamenta uteri rotunda, & p. n. bubonoceles penetrant, ita coaluerit, *ut nihil fæcum intestinalium ad abdominis cavitatem transcolari potuerit*, sed quicquid à spleniis non arcebatur, per foramen vulneris foras prorumperet; manifesto indicio, malum hoc ex vulnerata & male tractata hernia inguinali ortum duxisse, quæ adhibita mature Chirurgi prudentis opera (quale exemplum refert *Zodiacus Medico-Gallicus*, Ann. 1680. mens. Jan. Obs. V. pag. 6. *de vulnere jejuni latiori, sola pulveris terebinthinæ cocta adspersione, & strictiori diæta sanato*) æque bene consolidari, ac contra lethalis fieri potuisset, si in subjecto biliosо, delicatiori, deliciis, gulæ, otio, vino generosiori & iracundiæ nimis indulgente, eadem cum incauta administratione, forte contigisset. Nam simplicissimum vitæ genus, laboribusque assiduis firmata corpora, hanc præ delicate & laute viventibus habent prærogativam conditionem, ut atrociores morbos & vulnera felicius plerumque superent. Adeo

etiam

etiam docemur inde, vulnera, ſuccis bilioſis & chymoſis irrigata, à coalitu & ſanioſa colluvie arceri, ita, ut nec glutinentur ſponte, nec fiſtuloſas, calloſas & mali moris excreſcentias admittant. Quid non & ipſa bilis balſamica atque ſaponacea virtus in ulceribus antiquis cacoëthicis eſſet effectura?

OBSERVATIO LXXII.

DN. Lic. JO. NICOLAI WEISSII.

De

Oedematis pedum periodici topica Cura.

CLericus, corpulentus, 52. annorum, *periodico* per annos aliquot affectus *crurum Oedemate*, diu præmiſſis fruſtra evacuantibus digeſtivis, tonicis & hydragogis, per aliquos inde annos à morbo contumaci impune liberatus eſt mediante *fotu ſtraminis carvi, mox ſicci, mox aqua fervente irrorati, & lateribus coctis probe calefactis ſuperſtrati.* Pedes ita linteis bene tectos aliquoties fovebat, atque hac ratione *miram ſeri ſtagnatis illuviem proliciens,* maxima cum euphoria naturalem artubus reddidit formam.

OBSERVATIO LXXIII.

DN. Lic. JO. NICOLAI WEISSII.

De

Ventriculo, Liene atque Omento, in unum ſteatomaticum glomum conglomeratis.

Vidua 53. annorum, obſtetrix, melancholica, macilenta, curis & penuria exagitata, ſentit anorexiam, laſſitudines

dines, dolorem ventriculi gravativum, alvi segnitiem & tormina ad lipothymias usque, suasuque civis nasutuli consilium à pristino Chirurgo castrensi, nunc pseudo-medico, expetit, à quo, prodigo plerumque Mercurialium dispensatore, pulverem, nescio qualem, 6. dosibus sumendum accipit. Hujus tertia parte intus assumta, tantis anxietatibus, siti, vomitu, ventriculi doloribus rodentibus, ardentibus & quasi inflammatoriis affligitur, ut pene animam crebris sub lipothymiis efflare videatur. Redit demum ad se, quibus nescio medelis familiaribus adhibitis, & iracunda vindictam pulveribus lethiferis, in cloacam rejectis, infert. Ex illo autem tempore tam variis & ferme prodigiosis afficitur symptomatibus, quævis scite opposita remedia omni pene effectu frustrantibus, ut misera, necromanticorum præcipue suffragiis suffulta ex incantamenti, ab alia obstetrice invida sibi illati, suspicione eripi vix potuerit. Fungitur interim, misere licet, aliquandiu officio suo, inter frequentes assumtorum vomitus, inter dolores ventriculi, ac si vermibus roderetur, solennes, inter nauseam & interdum acerbissimos dolores colicosos, crebris lipothymiis & vomitu bilioso comitatos, & inter suffocationes, spasmos & abdominis contractiones, absque tamen eminenti febris exitialis indicio, ubi indies *durum globum internum* p. n. *increscere sentit in lienis regione situm*, quem tumorem dein pro malorum principio semper, nec inique, accusat. Tandem dum extenuati pedes, post miserrime tractos 8. menses, corpori emaciato gressuque succiduo vacillanti sustinendo non amplius sufficiunt, per tres adhuc menses lecto, seu potius cruci, affixa incumbit vivum tanquam sceleton, quod inter hos cruciatus, vomitus, agrypnias, alvi pertinaces obstructiones, in tam diuturna inedia, (siquidem ultimis diebus vix aquam gula admisit,) animam tam diu spirare, non exspirare posse, satis & non sine commiseratione mirabar. Sæpius interea summis efflagitat precibus, ut corporis sui aliquando demum exanima-

animati sectionem in me susciperem, præcipue autem, ut glomeris durioris, tactu indolentis, in hypochondrio sinistro, ad quod contrectandum manum mihi duxerat, & quod in viva rescindere hactenus ipsi denegassem, curatum examen instituerem.

Cui etiam voto, & promissis meis, secundo à morte die satisfacturus, cum aliis arte peritis curiosus abdomen resecavi, ubi *globum illum nihil aliud esse deprehendimus, nisi ventriculum totum, cum omento & ipso liene, in unum glomum steatomaticum, pugni virilis duplicati magnitudinem excedentem, variis quidem intertextis carnosis particulis interstinctum, communi tamen involucro conglomeratum coaluisse, intus vix superstite duarum capaci unciarum cavitate, & cum æsophago adhuc quidem continua, sed obliteratis ferme omnibus fibrarum ventriculi musculosarum vestigiis, atra, cadaverosa fæculenta & biliosa sentina obducta.* Hepar erat quidem sanum & exsangue, sed justo majus, ac vesica fellea itidem majori, atræque bilis copia turgida, dotatum; reliqua viscera pariter exsanguia, nulla præcipua labe erant affecta, præter *intestina, quorum aliqua ab infarctis diu putridisque duris excrementis gangrænam sibi induxerant.*

En pronam melancholicorum in abscessus dispositionem! En deplorabilem iræ ac mœroris affectuum effectum! En triste iniquæ medelæ specimen! En inflammationis, nec discussæ, nec suppuratæ immedicabilem catastrophen! En lipothymias respondentes ventriculi spasmis, vicinas partes ad sui sympathicam internecionem rapientibus! En contracti à spasmis doloros omenti fatalem pinguedinis depositionem; En abditam vomitus incompescibilis & prodigiosorum symptomatum causam! En diras viscerum transmutationes! En benigna hepatis officia, lienis vices aliquandiu supplentis! En diuturnam vitæ in summa inedia, absque febris suppliciis, protractionem possibilem! En chronicam morbi torturam! En scandalum æque ac scholam medicorum! En fata mortalium!

OBSER-

OBSERVATIO LXXIV.

DN. Lic. JOH. NICOLAI WEISSII.

De

Noxa aluminis plumosi, in asthmate senili intus assumti.

Vir septuagenarius, lanio, *asthmate cachectico senili* per tres inde conflictabatur annos. Hic tædiosus officinalium medicamentorum amator, suasu rustici, de felici medicaminis in simili morbo usu mira prædicantis, *quotidie per duas hobdomadas pulverem aluminis plumosi*, vulgo Federweiß, ad 3ß. vel 3j. *assumebat*. Hinc tussis, antea molesta satis, nunc parum sedata, viscositas tenacior attenuata, & respiratio paulo liberior facta felicem simulabant eventum. At inter ipsam pristinæ sanitatis recuperandæ spem lætam, *lethalis noctu irruit semissem sanguinis floridi libram effundens hæmoptysis, quæ post tertium aut quartum quemqae diem tristem repetebat fabulam, atque post duas demum septimanas, incassum adhibitis medicamentis debitis, è vivis senem sustulerant*. Alumen plumosum, quod nonnullis & *Amiantus* audit, hactenus ferme innoxium, multo minus corrosivum creditum est, dum quidam practicorum illud interne cum aqua vitæ & saccharo, modica quidem dosi, contra fluorem album muliebrem sumendum suadent. Neque repugno, virtutem aliquam absorbentem & incidentem, quin imo emmenagogam inesse *alumini plumoso*, atque in modica dosi albo fluori & chlorosi mederi posse. Experientia tamen ipsa disuadet largam ejus assumere intus copiam, quippe, quod *simul scindentem*, *nimis attenuantem*, *imo* (nisi hæc supra à lanione assumta mineræ portio alienam ab aliis ejus speciebus insontibus, atque præcipuam venenosam in se recondiderit conditionem,) *corrosivam*

vam quasi ac depascentem exercet virulentiam, quam etiam illud, *præcipue calcinatum*, in ulceribus, antepulotici segnioris loco exserit, adeoque scite unguentis quibusdam admiscetur.

OBSERVATIO LXXV.

DN. Lic. JO. NICOLAI WEISSII.

De

Singultu Epileptico.

Non una, proh dolor! *convulsionum* in mortalibus visenda tantum species, sed plures hodie lugendæ earundem Tragœdiæ. Mox universum corpus, mox hæc illave pars convellitur, qui motus involuntarii, si sensuum actiones simul intercipiunt, tristi *epilepsiæ*, eoque vel totalis vel particularis, designantur vocabulo. *Particularis exemplum* recens vidi in virgine robusta, vegeta, sanguinea, 23. annos nata, molitoris Curiensis filia. Hæc optima fruens valetudine, ipso menstruali tempore à rota molari, aquarum flumine versata, arripitur, è qua vix extricata, & summo perculsa terrore, ex alia subinde causa ad iram, alteram epilepsiæ in fœmellis matrem fœcundam, subito lacessitur. Menses illico sistuntur, totumque corpus enormi superfunditur lassitudine, inflatur & dolet ventriculus, & post triduum immani caput afficitur dolore tensivo, alvusque per 5. dies obstipatur, salva tamen ciborum appetentia, & absque sitis aut caloris febrilis eminenti vexa, noctes insuper trahuntur aut insomnes aut turbulentæ, ac vertigo demum cum cephalalgia jungitur. Octavo itaque à terrore die, è consilio Chirurgi vicini V. S. in pede admittit, post aliquas autem inde horas inopinato in humum decidit, oculis bene clausis

capite supino, *singultu corripitur citatiori convulsivo*, aërem prorsus absorbente, *spumescente tunc quidem ore, artubus autem genisque plane immotis*. Elapsa hora dimidia sponte resipiscit, & quasi somno expergefecta, & præteriti affectus plane nescia, de magna corporis lassitudine & siti intensiore, epilepticorum more, conqueritur. Hora subsequente egomet ipse accersitus vidi inopinato iterum corrumpi illam *singultu epileptico*, & pristinis, *sola spuma* excepta nunc remanente, mactari symptomatibus, ita ut vel *levi opisthotono* laborare videretur. Volatilibus non excitabatur odoramentis, quia à prima nativitate olfactus sensu carebat. Ideoque non nisi cataplasmatibus stomachalibus & carminativis ventriculo calide applicatis, plantisque pedum lapidi calefacto superimpositis ad se redibat. Quo facto hanc potiunculam cochleatim sæpe sumendam exhibui: ℞. Aqu. meliss. ℥ij. hirund. c. cast. lilior. convall. s. v. antepil. Langii ana ℥ß. Ess. gran. chermes, carminat. Wed, theriacal. ana ℈ij. Ess. Castor. ℈j. Spir. carminat de tribus, Liq. C. C. succinat. ana ʒß. pulv. epilept. March. ℈iß. specif. Cephal. Michael. pulv. antispasm. Hall. ana ℈j. Syr. acetosit. citri ʒj. M. Hoc medicamine insultus *epilepsiæ singultientis hysericæ* ita feliciter divinis sub auspiciis debellati sunt, ut non nisi gradu longe mitiori ac unica tantum vice recurrerent. Tam sensile autem erat adhuc corpus, ut *à minimo aëris frigidi afflatu singultus, non tamen epileptici & sensus turbantes, sed insontes ac benigni excitarentur*, qui tamen ipsi, adhibito per biduum curato diætæ regimine, & hausto laxante appropriato, non amplius redibant, sed omnibus cum antedictis symptomatibus prorsus evanescebant. Debito quoque instante menstruali periodo tributum solvebat Lunæ ordinarium, illæsa tenus hac fruens valetudine. Non levem interim capio conjecturam, hunc affectum prorsus declinari potuisse, si venæsectioni potiuncula analeptica fuisset præmissa, qua prohiberetur,

retur, quo minus nervorum genus ſenſile, ab ira & terrore ad ſpaſmos ante diſpoſitum, ad motus epilepticos laceſſeretur à vaſorum, ſanguinis regurgitati atque inordinate circulantis quantitate extenſorum, ſubitanea depletione. Nam ſanguis in vaſis gaſtricis & vicinis, pondere & turgeſcentia ventriculum afficiens, absque intenſa diaphragmatis & muſculorum intercoſtalium concuſſione violenta ſympathica eventilari felicius absque dubio potuiſſet, ſi ante venæſectionem inſtitutam vibrantes fibrarum irritatarum motus à compeſcente & mitigante medicamine prius fuiſſent refrænati. Caute itaque procedendum, ſi in ſubjectis, præcipue ſexus ſequioris, bilioſis, iracundis & ſanguineis, menſtruantibus, à terrore aliisve affectibus latentes ordiuntur ſpaſmi, ne per ſenſilem irritationem majorem foras prorumpendi & per totum ſeſe diffundendi corpus, laceſſans majoribus motibus præbeatur anſa.

(*Curia Variſc. Altorfium miſſæ d. 7. Octobr. 1731.*)

OBSERVATIO LXXVI.

DN. D. JOH. HIERON. KNIP-HOFII.

De

Præparatione Anatomica organorum auditus.

Auris internæ partes, quia in osse latitant, difficillime in uno subjecto simul omnes demonstrari possunt; separata autem singularum partium consideratio impedit, quo minus anatomiæ studiosus *situm* omnium ad invicem & *connexionem accuratam*, per imaginem concipere possit. Multum quidem laboris impendit *artifex Hallensis, imitando auris structuram ex ebore*, cum vero sit organon in minimis maxima arte compositum, artifex inter elaborandum minime respectum habet ad omnes sinus, processus, apophyses &c. inventas, ne dicam inveniendas, exprimendum; quæ illæsa manent, si ossea compages auditui inserviens, ex animali corpore desumta, sic præparatur, ut serra, lima, cultro dividantur, abradantur & abscindantur, quæ nihil ad demonstrationem faciunt, hanc vero demum illa dempta, facillimam reddunt.

Hujusmodi præparationem, secundum quam omnes hactenus inventæ, & in subsequenti tabula recensitæ partes in sua naturali connexione considerari possunt, sequentem in modum peragendam præscribo.

Ex *capite vituli os petrosum, tubam Eustachianam, processum mastoideum, cum parte ossis temporum*, quæ à meatu auditorio perforatur, exime, & à reliquis ossibus forcipe mediante libera.

Carnem adjacentem & periostium separa, in quantum fieri potest. Stylum ex ligno acuminatum torna, qui intrusus

sus *tubam Eustachianam* repleat, ut, quando calore fornacis ossa exsiccantur, tuba à corrugatione libera aperta maneat. Cultro fortiori oblique aperi *processum mastoideum, & partem superiorem, quæ os petrosum spectat* aufer, incipiendo à tuba Eustachiana usque ad *fissuram Glaseri*, sic statim *totum tympanum* in apricum venit.

Retinaculo sive *carchebo* includatur os temporum, ita ut os petrosum superius & processus mastoideus inferius dirigantur. Hinc serra transversim bis inscindatur, eo loco, ubi *nervus acusticus* exit & cerebrum intrat, sic frusto ossis inter utramque scissuram exemto, *vestibulum* undique apertum conspicitur. Longitudine $\frac{1}{8}$ digiti à serræ scissura, versus os temporum, lima oblique ducta abradatur in utraque parte os petrosum donec *duo semicirculi labyrinthi* perforentur.

Pars ossis petrosi inferior, adjacens tubæ Eustachianæ, apice fortioris cultri aperiatur, quo oculos incurrere possit *cochlea*, cavendo ne principium fenestræ rotundæ cum *tympano* istæ superexpanso pereat. Denique *processus mastoidei pars meatum auditorium constituens*, sub osse petroso abscindatur, ut exigua tantum portio meatus auditorii cum *fissura Glaseri* remaneat, sic in osse petroso *tertius labyrinthi semicirculus* lima facile detegitur: Ceterum tres labyrinthi semicirculos, immissis setis porcinis, haud difficulter distinguere licebit.

* * *

Ad pleniorem *Schematis* (*Tab.* III. *Fig.* 4.) propositi cognitionem, haud parum conducet auris internæ, omniumque ipsius partium accurata, sequens divisio ac distributio. Literæ vero singulæ, sparsim ad marginem appositæ, *figuram* respiciunt *aeri insculptam*, eidemque ad explicandum, tanquam signa respondent.

Interna auris
- sita est in
  - processu mastoidæo &
  - osse petroso
- dividitur secundnm VALSALVAM in 3. cavitates
  - prima continet
    - meatum auditorium
    - cavitatem ellypticam
    - semicirculum osseum
      - tympano tectum, in quo
        - hiatus RIVINI situs
          - sub chorda tympani
          - g — in fissura GLASERI
  - c — secunda sistit
    - chordam tympani
    - d — tubam EVSTACHIANAM
    - ossa 7
      - majora
        - malleum JAC. CARPI, cujus partes
          - caput in quo
            - sinus major pro recipienda incude
              - limbo cinctus, in quo
                - sinus pro rec. ossis lentic. TEICHM.
            - sinus medius supra apophysin
          - cervix præditus 2 apophysibus
            - longiori RAUJANA, recipiente
              - musculum EUSTACHII
            - brevi tenuiori
          - f — manubrium offert
            - tria latera
            - globum
        - incudem JAC. CARPI, cujus partes
          - b — corpus ubi
            - sinus pro receptione mallei
            - crura 2. quorum
              - connexio
                - recurvi c. stapede mediante oss. SYLVII
                - recti c. petroso interven. osse triangul.

stape-

stapedem COLUMBI, EUSTACHII, INGRASSIÆ, cujus partes
caput, crura 2, basis } sulcata
foramen inter hæc obductum
tympano duplici DRAKII
minora
ovale VESLINGII
lenticulare TEICHMEYERI
seminulare SYLVII
triangulare Teichmeyerus Exc. à me præparatum conservat.
c canalem osseum cui incluſus
musculus CASSERII
tertia gaudet
fenestris 2
b ovali
tunica s. tympano clauditur & stapedis basi repletur.
a rotunda
tympano tecta tendit p. ad cochleam p. ad vestibulum
vestibulo in quo
aperturæ 2. ramis nervosis transitum ad cerebrum præbentes
foramina 5. ad labyrinthum 1. pro transitu vas. sanguifert.
i.k.l semicirculis 3 osseis suffultis
columna ossea TEICHMEIERI
c cochlea, quæ considerandæ præbet
ductum ellypticum
lamina spirali divisum
modiolum s. oculum cochleæ.

(*Erfurto Altorfium missa d. 31. Octob. A. 1731.*)

OBSER-

OBSERVATIO LXXVII.

DN. JO. GODOFREDI BÜCHNERI,

De

Morbillis, Illuſtriſſimæ cuidam familiæ admodum fatalibus & exitioſis.

MUltorum ingenia diu exercuit communis quidem alias ac epidemius ſæpe morbus, qui ſeorſim illuſtriſſimæ cuidam familiæ, inſolitam ferme cladem intulit. Quare hiſtoriam illius Eruditorum ſubjicere examini, & hac ratione ipſorum expiſcari ſententiam placuit, præſertim cum haud minima per ejus enodationem retundare poſſit in praxin medicam utilitas, quam publico neutiquam invidere convenit. Potiora autem illius hiſtoriæ momenta fere ſunt ſequentia.

Cum A. 1698. Illuſtriſſimus N. N. *maculis* (quas Latine *Morbillos*. & vulgo apud nos die Maſern, nuncupant) graviter decumberet, amice eum viſitabat illuſtriſſima quædam ex cognatis perſona, ſexus ſequioris, quæ deinceps cum filia N N. ad ſororem N. N. iter parabat, ubi ſtatim poſt acceſſum ſuum iisdem maculis cum filia & ſorore modo dictis pariter corripiebatur, ac die quinto Aprilis, morbo ingraveſcente vitam finiebat, quod idem etiam die 18. Aprilis ſorori ejus, & die 22. Aprilis Filiæ ſimiliter accidit.

Interea illuſtriſſimus N. N. ibidem advenerat, ut matrem ægrotantem videret, poſt cujus mortem N. N. petebat, ac de adminiſtrandis bonis ſuis diſponebat. Sed duarum intervallo dierum in eundem incidit morbum, & die 24. Aprilis pariter vitam cum morte commutavit. Hinc porro duæ, ſoro-

sorores ejus eodem conflictabantur morbo, qui etiam die 4. Maji unam, & die 6. Maji alteram necabat. Tandem vero ex eodem matrimonio unica adhuc restabat filia, quæ alias firmiori corporis gaudebat constitutione, quare spem omnes concipiebant, fore, ut ista saltem superstes atque sospes maneret: Ast quam inanis ea spes fuerit, septimus Maji aperuit dies, quo nimirum eodem ista morbo debitum naturæ persolvit, atque hoc modo numerum septenarium inter personas sanguine sibi junctas, uno eodemque morbo unius mensis intervallo extinctas, clausit.

Hoc vero memoria quoque dignum est, duas adhuc sorores ex altero natas matrimonio, salvas & incolumes tunc temporis mansisse, nec alias quoque personas quotidie eis assistentes fuisse infectas. Imo ægrotantes sæpius ab omni tutæ videbantur periculo, sed statim, præter spem, & nemine putante, vis augebatur morbi, & hoc modo subita interierunt morte.

SCHOLION.

Historiarum monumenta perscrutanti plura facile ejusmodi sese offerent exempla. Ita *Johannem, Seniorem, Saxoniæ Ducem* A. 1646. Cadomi in Gallia, variolis afflictum fuisse legimus, quo nimirum tempore idem morbus consanguineos ejus Vinariæ in lecto pariter tenebat. (*) Nec minori attentione dignum est, quod, cum circa finem Seculi præcedentis, *Franciscus Henricus de Montmorenci, Dux Luxemburgicus*, fuerit mortuus, quatuor hinc septimanarum intervallo, unica ejus soror *Isabella Angelica*, & tandem quoque amborum mater, *Elisabetha de Vienne*, præeuntem fuerint secutæ. Id quoque de duobus gemellis rarissimum est exem-

(*) Sächs. Merckwürdigkeit. p. 592. Müllers Sächs. Annales.

plum, quod celebris inter Gallos refert Hiſtoricus *Pasquierius*, (*) *Nicolaum* nempe & *Claudium de Rouſſy*, ex antiquo gere *Comitum de Sarbruck*, ſibi tam fuiſſe ſimiles, ut ovum ovo, imo quoad ſermonem, geſtus, induſtriam, fata denique & *morbos*, eodem tempore, & iisdem corporis locis, quamvis longiſſime ab invicem fuerint diſſiti, ſemper tamen æquales fuiſſe. Et de aliis quibusdam gemellis fratribus, *Medardo* nempe & *Childado*, *Fulgoſus* *) tradit quod eodem die nati, Epiſcopi creati, ac è numero quoque viventium fuerint ſublati. Imo ex ore cujusdam Perſonæ illuſtris, & fide admodum dignæ habeo, duos ſibi in Saxonia inferiore cognitos fuiſſe fratres, quorum uterque verrucam in naſo habuerit, cumque alter inſcio fratre abſcindi eam ſibi curaverit, brevi temporis ſpatio maxima cum admiratione ab altero literas accepiſſe, in quibus lætabundus ipſi nuntiaverit, verrucam ſuam ſponte ſibi decidiſſe, idque eodem temporis ſecum accidiſſe momento, ex iisdem literis pariter ipſum cognoviſſe. Sic quoque *Johannes Dietericus*, *Liber Baro de Taube*, Altorfii A. 1647. eodem menſe, die ac hora, quibus Pater ejus ante è vivorum numero ereptus erat, pariter ipſe quoque è vita deceſſit. Longe major autem & vitæ & mortis erat parallelismus inter illuſtriſſimum Dn. *Henricum X.* Junioris lineæ *Ruthenum Comitem*, ac parentem ejus dilectiſſimum. Ambo enim cognomento Decimi utebantur: Ambo ſeniorum & Directorum Familiæ, & quidem per unicum annum officio fungebantur: Ambo quoque anno ætatis 49. die Mercurii, hora tertia pomeridiana, morbo plane eodem, vitam finiebant; præeunte utrumque anni ſpatio, Fratre eorum Seniore, ambobus etiam parente in tenera adhuc ætate orbatis, & pupillum quoque filium relinquentibus.

Im-

(*) *Recherches de la France*, ad A. 1548.
(**) in memor. lib. I, cap. ult.

Imprimis vero memorabile accidit, ut conjuges tenerrime sese amantes, plerumque etiam socii sint mortis, cujus rei luculentum sane exemplum *Albertus* præbet *Marchio Brandenburgicus*. Is enim die 20. Mart. A. 1508 in arce Tapiau diem obiit supremum, & eodem quoque die conjux ejus *Anna Maria Ducissa Brunsvicensis* nata, Regiomonti vitam pariter finivit. Similiter de marito quodam, cui nomen erat *Johannes Schmidt*, *Valerius* refert *Herberger*, quod is eodem die cum uxore *Catharina* natus, ægrotus, mortuus, denique etiam A. 1613. sepultus fuerit. Sic notum quoque inter eruditos satis esse puto, *Casparem Mauritium*, *Johannem Jacobum Dæbelium*, *Johannem Adolphi*, & *Stosselium*, unumquemque cum Conjuge sua uno sepultum esse die.

Sed diutius recensioni talium exemplorum immorari nimis prolixum ac fere supervacaneum foret.

Ut vero casuum ejusmodi aliqua etiam reddatur ratio, ista mihi petenda esse videtur ab *æqualitate complexionis naturalis sive temperamenti* personarum. Talis autem exquisita æqualitas & similitudo, cum propemodum albo corvo rarior existat, mirum non est, ejusmodi quoque contingentia paulo rarius occurrere; quamvis ob innumeros in orbe terrarum simul viventes homines, quædam observari interdum queant. Nimirum, quamvis humanorum corporum materialis compositio, & organica conformatio, in infinitum variet, propterea quæ exacta plurium inter se convenientia haud facile contingat; ad eosdem tamen morbos recipiendos, & physica (ut ita dicam) fata sustinenda, quædam intrinseca æqualis dispositio sufficere poterit, etiamsi omnibus numeris absoluta illa non adsit. Quo magis autem vicina sibi sunt ejusmodi consimilia inter se mortalium corpora, eo facilior fieri potest morborum unius cum altero communicatio, scilicet per insensibilem transpirationem, qua atomi per aerem disperguntur, & in alterum sese insinuant, atque ita consequenter

unius qualitas corporis in alterum transfertur. Poterunt vero etiam locorum intervallo disjuncta corpora eodem morbo affici, eodem tempore, si quando causa externa, v. g. aëris mala constitutio, in distantibus illis locis æqualiter dominetur, & æqualem in corporibus cognatorum dispositionem ad recipiendum invenerit. Quod autem consanguinei, licet diverso tempore & loco geniti, ut alias affectiones communes habere, ita seorsum dispositionem ad eosdem morbos recipiendos, à nativitate nanciscí queant, & rationi consentaneum est, & morborum complurium hæreditariorum exemplis opido frequentibus comprobatur.

Cæterum dubitare vix licet, multos in civitatibus præcipue amplioribus, (etsi nemo id animadvertat) eandem ob causam sæpe simul mori; siquidem plerumque earum incolæ eodem aëre ac alimentis fruuntur, ac inter tot millia hominum facile aliqua contingere potest temperamentorum æqualitas. Sed quis quæso ejusmodi observat exempla, quando homines tam arcto cognationis vinculo non sunt conjuncti? Ast cum naturæ istud mysterium, quod inani aliis vocabulo, *Sympathia* audit, inter consanguineos aliquando sese prodit, tunc id hominum primo excitat attentionem, & Physicis hujus rei vix alia relinquitur ratio, quam peculiaris ista ac mutua naturarum consensio, quæ ab aliis, ob dissimiles eorum Parentes tanta similitudine non gaudentibus, tam facile haud erit expectanda.

(Erfurto Altorfium missa d. 31. Octobr. A. 1731.)

OBSER-

OBSERVATIO LXXVIII.

DN. D. GEORG. FRIDER. GUTERMANNI,

De

Matrona, iterato abortu molisque uteri laborante, expoſita per epiſtolam

ad

Præſidem Academiæ DN. D. JO. JACOBUM BAIERUM.

QUanquam nimis quam frequenter contingant *Abortus Molarumque Excluſiones*, adeoque rarioribus, inopinatis, reſervatis, majorique conſideratione dignis obſervationibus accenſeri vix mereantur: Ea tamen immaturi Embryonis molarumque diverſarum partus hiſtoria, quam in ſcenam producturus jam ſum, meo quidem tenui judicio, talis eſt, ut jure ſuo meritoque ob peculiares ipſis circumſtantias, egregiosque, qui ex eadem decerpi colligique facile poſſunt, porismatum atque axiomatum floſculos, tam artis Medicæ certitudinem illuſtrantium, quam proximi commodum reſpicientium, oblivionis velo ſubducendam eſſe exiſtimaverim, eandemque plenius conſcriptam acutiſſimo, quo polles, VIR meis laudibus longe major! Tuo Judicio ſubmittendam eo, quo par eſt, demiſſo animi cultu decreverim, rudique calamo exaratam commemorare venerabundus jam ſuſtineam.

Videlicet honeſtæ dignitatis h. l. fœmina, annorum nunc XXXV. temperamenti melancholico-cholerici, ab adoleſcentia ſua nil morborum perpeſſa, niſi quod intempeſtiva pedum refrigeratione menſes tunc prima vice fluentes ſti-

cerit, post biennium demum, multa adhibita medicamentorum farragine, redeuntes, ita, ut ab illo tempore ordinarie statisque periodis in larga quantitate per octo dies fluxerint, vegeto nupta marito, primo post initum conjugium biennio, duorum successive mater facta est liberorum, per DEI gratiam felicissime. Aderat in utraque graviditate appetitus corruptio insolita. cum continua cardialgia plus minus tolerabili, speciatim carnium vinique nausea, & assumtorum rejectio per superiora. Minuebantur hæc symptomata, quo diutius uterus embryonem gestabat, & post quintum mensem saltem præcordiorum coarctatio pressiva restabat ad usque partus terminum. Cum tertia vice gravidam se esse, ob emansionem catameniorum, & cardialgiæ cum vomitu præsentiam reputaret, larga correpta est simul & semel, hebdomade computi sui decima, uteri hæmorrhagia, sub qua accedentibus parturiendi conatibus multos sanguinis grumosi imo inter hos, si suspicioni de inadvertentia obstetricis locum dare licet, *vel molam*, *vel fœtum trimestrem*, membranis suis involutum exclusit. Haud ita longe post vere concepit, easdem experta molestias, justoque tempore enixa est infantem tertium perfectum, filiolum adhuc superstitem. In ea, quæ partum hunc sesquiennio exacto sub ipsis novi anni MDCCXIX. primordiis excepit, graviditate longe vehementiores, quam in præcessis, atque nunquam plene desinentes præcordiorum pressuras cardialgicas, ad crebriores vomitus quorumvis assumtorum perpessa fuit, medicamentis quæ huic, non tam à ventriculi & primarum viarum saburra, aliave causa, quam potius à sanguinis menstrui retentione, atque ad primas vias collectione, fibrarumque nervearum. plexusque illius coronarii tensione ac renitentia spasmodica, oborto symptomati oppositi, antispasmodicis, stomachumque leniter corroborantibus, nonnisi breves conciliantibus dolorum nauseæque induciis; Donec à facto sub cœli temperie algidissima

sima Ulmam itinere, eandem ob dolorum causam tanto magis molesto, cum redux fuisset, mense Februario elapso spasmi ventriculi orificia infestantes in tam atrocem affectum totius corporis spasmodico-hystericum fuerint exaltati, ut vitæ immineret periculum, è quo tamen adjuvante DEO, sat cito & sat bene est liberata, ut non modo abortus, sub tam diro morbo utique metuendus, fuerit præcautus, sed vires quoque quodammodo colligerit ægra, utut relicta adhuc satis insigni cardialgiæ molestia.

Res igitur ita se habentes detuli ad spectabilem illum Physicorum, qui liberæ S. R. Imp. Urbis Memmingæ Civium saluti invigilant, Seniorem, Dn. D. *Düttelium*, edita de virulenta purgantium indole bene exasciata tractatione dudum jam Celebrem, cujus benevolentiam commercio epistolico medico-practico mihi comprobatam non possum non hic gratiis efferre ac laudibus. Tales enim omnino merentur Medici Veterani longa rerum experientia usi, clinicenque feliciter exercentes, qui non dedignantur junioribus practicis, proximo bene inserviendi cupidis, liberum concedere aditum, aut cum absentibus commercium inire litterarium, forsan utrinque fructuosum. Ille, inquam, continuandum antispasmodicorum & nervinorum, præprimis hujus Elixirii, usum commendavit: ℞. essent. cort. aurant. chacarill. card. bened. tinctur. tartar. aa. ʒij. liquor. anodyn. Hoffmann. ʒiij. essent. castor. ʒj. ol. chamomill. destillat. ver. gutt. iiij. M. Summantur ante prandium & cœnam xxx. guttæ.

Attamen prima post Paschatis festum septimana abortum ipsam est summo mane uteri profluvium sanguinolentum, cum fixo in lumbis dolore, quod quidem sumtis temperantibus atque subadstringentibus mitioribus successive, postquam vix duodecim duraverat horas, acquievit. Nocte autem appetente, ex improviso sineque prævio lumborum aut inguinum ullo spasmo, hic enim à meridie & citius jam desierat,

rat, inter mingendi levem conatum proruebat vesica, & propendebat paulo per orificium uteri externum, liquorem & funiculum quendam digitum tangentem leniſſimo pulſu percellentem continens, h. e. membranæ fœtus liquorem amnii & funiculum umbilicalem includentes prolapſæ fuerant ſponte, Fruſtra ob orificii uteri interni, quamvis declivioris, anguſtiam reſiſtentem attentata retorſione plenaria, nam vim adhibere non licuit, ne tenues membranæ rumperentur, impoſita ſunt abdomini epithemata vinoſa & hiſce membranis ſicca, ut cum ſanguinis per funiculum ab uteri orificio interiori leviter compreſſum circuitus, tum embryonis ipſius vita in utero conſervaretur. Nyctheme-ron inde otioſe quaſi tranſegit & natura, & hujus miniſter, abſentibus quoque & vel leviſſimis ad partum abſolvendum niſibus. Poſt ſubſequæ noctis medium capto placido ſomno, verſus diluculum matutinum expergefacta, virium magis compos, leves ſenſit dolores partus eliſorios, quibus dato pulvere leniter pellente auctis ac redeunte ſanguinis rivulo, productus tandem hoc tertio die adſpirante Divini Numinis Gratia, me manus præbente, eſt *fœtus maſculus, quintum jam à conceptione agens menſem*, ſpithamam longitudine excedens, vivus, adſperſo balſamo vitæ liquido Sachſiano, reſpirans, tenellosque artus pauliſper movens, atque é mundo, ſacri baptiſmatis lavacro mundatus, decem circiter minutas poſt iterum emigrans. Cum lochia primis puerperii diebus parcius fluerent, pilulæ balſamicæ fluxum expediverunt, ſimulque *molam*, à muliere clinica in linteis ſubſtratis repertam expulerunt; quarum uſus poſt puerperii medium ad octo dies repetitus fuit.

Non primus erat hic immaturus embryo, quem in hac circiter ætate conſtitutum ego teſtis αὐτόπτης vidi viventem & baptizatum. Namq; ante quadriennium, cum in patria mea, Bibraci Suevorum, praxin exercerem, accidit, ut poſt mediam

noctem

noctem accersitus fuerim ad fœminam quandam Catholicam, vix supra quintum mensem gravidam, tunc agonizantem. Hæc ante annum ipsa prima puerperii septimana lectum deseruerat, & pedibus iter ad duo milliaria peregerat, inde lochiorum fluxu admodum intempestive suppresso, brevi post succesſit gravis & sequens hæmoptysis, quæ debita non excepta medicatione transierat in Phthisin lethalem.

Non postulaverant meam præsentiam ea intentione, ut moribundæ suppetias ferrem, sed ut fœtum, cujus motum ægra à paucis demum hebdomadibus persentiscere cœperat, mature ex uterinis carceribus clave anatomica solverem, & forsan superstitem baptismo offerre possem. Neque fefellit spes, siquidem horula elapsa mater phthisica animam efflavit, fœtumque exscindendum reliquit. Iste igitur Cæsar itidem *spiritu* fragrantissimo *Balsamico* Exc. Dn. D. *Sachsii*, in alma Argentoratensi Phys. Profess. P. excitatus, non solum ab adstante Parocho undis baptismalibus rite perfusus fuit, sed & balneo vinoso impositus ultra semiquadrantem horæ manifesta vitæ actionumque vitalium subinde edidit signa. Optimo ergo jure Clarissimus Dn. D. *Heisterus* in Act. Acad. Nat. Curios. Vol. I. Obs. CLXXV. p. 395. *Legem Regiam ff.* L. XI. T. VIII. sanctius servandam, & curæ cordique habendam omnibus & Theologis & Jure Consultis, & Medicis tam serio dataque opera inculcavit.

Nondum, quem recensere animus est, legisti *abortum*, VIR PERILLUSTRIS *atque* MAGNIFICE! sed ad complendum antecedentium cum subsecutis nexum, hæc tantum præmittenda fuere. Bene itaque ad finem perducto tristi hocce puerperio, matrona nostra, insequenti tempore mensium reditum habuit ordinatum, rursusque singulis vicibus per octiduum genitalia permanantium, quorum periodum dein circa medium Septembris, dicto anno MDCCXXIX. frustra exspectarat. Ex quo eo majori verisimilitudine con-

cepisse se credidit, cum alia quoque caput extollerent, talem suum statum more consueto concomitantia eumque tacite indicantia symptomata, superius jam notata. Mitigabantur quidem, non autem penitus unquam remittebant molestiæ à pulveribus absorbentibus nitrosis, cinnabarinis, supra descripta mixtura concentrata stomachica atque sedativa, cui substitui postmodum præstans laudati Dn. D. *Düttelii* Elixir confortans, quod è corticibus aurantiorum recentibus cum sale tartari fixo tritis atque parca quantitate extracti cardui benedicti & centaurei min. in vino malvatico maceratis atque digestis paratum esse opinor. Præbueram etiam, spasmis nimium sævientibus, haud absque efficacia liquorem bezoardico-antispasmodicum ex tribus partibus liquoris anodyni mineralis ex oleo vitrioli, & spiritu vini rectificatissimo conflati cum spiritus bezoardici Bussiani correcti parte una remixtis, constantem, cui interdum aliquid essentiæ croci atque castorei addideram.

De malo autem, simulac graviditatem ejus rescieram, eventu anxius, ad præoccupanda *abortus molimina* curas maxime adhibui; quo fine versus tertii mensis initia sex sanguinis uncias venæsectione ventilatoria in brachio detrahi jussi, quibus inopinata pertusæ venæ hæmorrhagia eodem die tres fere aliæ accesserunt. Hoc non obstante, octiduo post, scilicet sub finem Octobris, prægressa animi commotione iracunda, fluxum é sinu muliebri aquæ subcruentæ observare & varios sentire cœpit motus per ventrem infimum spasticos, lancinationes in lumbis & inguinibus, ut lectum petere coacta fuerit, quæ quidem intra primum triduum medicamentis utcunque auscultabant, fluxu autem perseverante & non nisi admodum inconstanter cessante, appetitus sensim sensimque magis prostratus, & vires dejectæ sunt, ut ægre extra lectum commorari potuerit, correpta, quoties surrexit, animi deliquio. Abhinc cardialgia etiam dolorum augmenta intulit, atque invaluit

luit passio hysterico--spasmodica universalis, quæ paroxysmos formare cœpit creberrimos, ita ut ægra singulos præsenserit ex abdominis motibus internis, namque vaga hæc ventris dorsique tormina simul in consensum traxerunt primo ventriculi confinia, ubi vehementiorem constrictionem cardialgicam & quandoque cum levamine fientes eructationes flatulentas; deinde pectus, ubi angustiam pressivam, cordis, diaphragmatis suspensionem, respirationis interceptionem, gulæ ac faucium compressionem; porro cervicem, ubi dolorificam tractionem; Insuper caput, ubi in genarum una pallorem in altera ruborem, in oculis conniventiam & distorsiones, in temporibus dolores pungentes & pulsantes, in auribus tinnitum, in vertice glaciei incumbenris & doloris terebrantis sensum; ac denique artus, ubi in superioribus vel tendinum subsultus, pollicum impressionem, rigorem, vel stuporem & movendi impotentiam, pulsumque debilissimum, in inferioribus frigoris sensum & attractionem ad superiora, concitarunt. Duravit talis paroxysmus ad quindecim & plures, vel etiam pauciores horarum minutas, reversus intra nycthemeron sæpius, eoque remittente vires tanto magis oppressæ erant. Inter hæc somnus raro fuit tranquillus, neque reficiens, quin potius delassans. Utero lintea substrata madore cruento rursus perfundente, longe rariores & breviores fuerunt paroxysmi spasmodici, subsistente illo stillicidio, citius & crebrius redeuntes diutiusque affligentes. Destitissetomnino ægra, tanta cruciata afflictionum syndrome, & à medicamentorum usu & ab assumtione juscul orum, quæ stomachus nauseabundus abhorrere cœperat, nisi Domini mariti monitis aures ac locum dare, & liberorum gratia vitam suam, quantum in viribus esset, prorogare satius duxisset.

Nec sine adstantium ædificatione spirituali tam pientissime, sicubi paroxysmi inducias tulere, sese gessit, ut dici vix possit, quanta cum abnegatione sui virgam hancce DEI pater-

nam, licet acerbissimam, exosculata sit; quam creberrimis iisque ardentissimis suspiriis patientiam tanto oneri ferendo parem exoptaverit; quam tranquille divinæ voluntati se totam subjecerit; quam flagrantissime, ubi tentationes spirituales divinæ gratiæ præsentiam obvelare videbantur, ut eadem in anima sua evidens semper esset atque indubia, expetierit; quam cupidissime ac devotissime unionem cum DEO mediante sacra synaxi ambierit atque inierit; quanta cum fiducia DEI auxilio, quamvis diu retardato, attamen certissime tandem, opportuno, eoque in divino consilio jam præstituto tempore, apparituro fuerit freta; paucis, quam sancte mentem suam, morbi decursum & exitum, embryonis custodiam, mariti ac bigæ liberorum sortem; & amicorum pariter ac inimicorum salutem DEO commendaverit. Non possum præ intimo pectoris affectu mihi temperare, quo minus hic paulisper digrediar, duplicique ex capite felices prædicem Medicos, quibus ægros vere patientes, pios atque fideles, Deoque deditos tractare contingit. Namque unum idque insigne commodum exinde proficiscitur in ipsumet ægrotum necessaria ista contra Satanæ & carnis tela munitum παναοπλία, siquidem πληροφορία hæcce à DEO data, promissumque habens & hujus & futuræ vitæ, non potest non spiritum hominis tanta afficere analepsi, ut ingens istud gaudium de DEO placato atque propitio, ob intimum mentis & corporis commercium, etiam per totum labefactatum corpus perfundatur, adeoque actiones ægroti vitales omnes longe convenientius, tranquillius, imo alacrius peragantur, medicamenta oblata tanto certius ac citius ex voto operentur, & pernicioſa causa morbifica è corpore relegetur aut expugnetur. Alterum emolumentum redundat in Medicum, quippe cujus anima de sapientissima DEI fidelium suorum etiam per maximas ærumnas calamitates atque angustias manuductione ad uberrimos, & tunc demum ex æquo æstimandos

dos beneficiorum divinorum ac thesaurorum spiritualium fructus, adeo plenissime convicta usque magis perficitur in fide & jubilat in DEO Optimo Maximo, id quod nil aliud, quam in æternum beatissimæ vitæ omnium suavissimus prægustus est. O! quam bene igitur piis Medicis ad lectos piorum ægrorum atque agonizantium! Utinam nemo adstantium optimam hancce occasionem, suam animam in pietate vera confirmandi, cum benignissimo Numine uniendi, idemque magnificandi prætermitteret!

Quæ ad Pathologiam pathematum istorum hystericorum cruentique fluxus uterini spectant, eam ita animo concepi: Cum, quotiescunque utero gestavit, exacte eo tempore, quo mensium fluxus redire debuisset, cardialgia comparuerit, causam primordialem in emansione tributi lunaris, extra graviditatem alias tam largissimi quæsivi, atque persuasus sum, sanguinem, cujus insignem molem huic subjecto naturam subministrasse, prodigæ illæ octiduanæ excretiones menstruæ testantur, revertente mense Septembri periodo adsuetum molitum fuisse exitum, hoc autem excluſum, quoniam intermedio tempore uterus conceperat, à locis uterinis per venas vaginæ atque spermaticas, atque ex his per alias juxta circulationis leges revectum fuisse in venam cavam inferiorem, quæ hocce modo tanto sanguinis ab utero reflui onere farta, deinde omnem illum sanguinem, quem alias ex vena portæ recipere solet, capere utique non potuit, hinc sanguinis motus per truncum & proximos venæ portæ ramos retardatus, ibidem nimium infarctum effecit, tam in ipsa vena portæ, quam in reliquis ei connexis, quæ sanguinem à partium nutritione, animatione, atque secretionibus superstitem ipsi infundunt. Ex hisce ramis venæ gastricæ dextræ hic præcipue mihi notandæ veniunt, in specie vena coronaria stomachica, quæ coronæ instar ventriculum ambit, atque vena pylorica, quarum utriusque surculi versus suam origi-

rum in tam minutissimas ramificationes per totius ventriculi compagem distributi sunt, ut tacta ex vena portæ in eas vel solutionis ichtycollæ tinctæ, vel præmisso spiritu vini massæ ceraceæ subtilioris injectione, ventriculum dein luci obversum cum suis orificiis innumera venularum tandem capillis tenuiorum congerie turgere, clarissime pateat. Istæ ergo venæ, nimio sanguine onustæ atque expansæ, non potuerunt non adjacentem plexum coronarium stomachicum ejusque ultimas propagines gravare, comprimere, distendere, adeoque ventriculum ejusque utrumque orificium summo dolore contractorio afficere. Cumque ulterius perpenderem, quam exquisitissima nervorum & partium, quæ ex ipsis conflantur, membranosarum sit sensibilitas ac mutuus inter sese consensus ita, ut uno nervoso plexu male affecto sympathiam quoque suspiciant ejusdem funiculi & rami aliorsum extensi, nec non cætera, quæ cum his artificiosissima structura & sapientissimo fine cohærent, paria, eorumque plexus visceribus etiam remotioribus implantati; in proclivi mihi fuit cognoscere ætiologiam omnium reliquorum symptomatum spasmodicorum. Siquidem insignis illa in ventriculo & præcipue circa ejus orificium superius, quod nerveis fibris tanquam reticulo ita cinctum est, ut totum fere ex iis constare videatur, congeries nervorum à tertio, eoque duplici, ramo paris octavi, sive, quia nullum aliud, par ex iis, quæ é cranio egrediuntur, tam longe lateque evagatur, Vagi dicti, proficiscatur; Vagum autem hoc par atque intercostale evidentissime atque creberrime tam in infimo ventre, ubi plexum solarem præcipue, quam in medio, ubi plexum cardiacum, & pulmonarem, nec non ex parte phrenicum, conjunctim efformant, item in collo & prope cranium, secum invicem communicent plurimos fasciculos; præterea par intercostale originem suam debeat quinto & sexto pari, quorum utrumque in capitis partibus potissimum suo defungitur munere, atque à ramis duobus vertebralibus pri-

primis; furculos etiam recipiat à medulla spinali, & vicissim totidem vertebris reddat. De quo consensu partium nervosarum, generatim, & sigillatim cum ventriculo, præcipua passionum & symptomatum origine, pro more suo solide ac dilucide egit, eumque citra omnem exceptionem vere demonstravit Illustris Dn. D. *Fr. Hoffmannus* in Medic. Systemat. Tom. III. Sect. I. Cap. V, præsertim §. III. VI. XV. & XIX. Accessit huic nervorum consensui, alia spasmorum causa, nimirum iracunda animi excandescentia, cujus tam in solidas, quam in fluidas corporis humani partes ingentem vim, in peculiari, sub præsidio Celeb. Dn. D. *Alexandri Camerarii*, Tubingæ habita disputatione, de Efficatia animi Pathematum in negotio sanitatis ac morborum, quondam exposui. Ut taceam, ipsius temperamenti & sexus conditionem, ad spasmos pronam, tanto magis eorum ferociæ favisse. Duplici hacce ratione tenti tractique nervorum funiculi longe magis confusum ac inæqualem sanguinis circulum reddiderunt, spasmisque continuatis per nervum intercostalem ad illos, qui ex inferiori medulla spinali prodeunt, uterum ipsum sanguine turgidum lacessiverunt, ut à pariete suo interno ex parte id, quod ipsi adhæsit, dimiserit, adeoque ruptis vasculis sanguiferis, serum sanguineum per orificium suum interius, pro transmittenda simul spissiori ac fibrosa sanguinis parte nondum satis hians ploraverit.

Huic itaque pathologiæ conformem quoque adornare therapiam, atque tum spasmos, sanguinem in effrænes motus cientes, & in specie ad uteri confinia urgentes, lenire, sanguinisque cursum impetuosum refrænare, ac aliorsum deflectere, tum partibus ad resistendum necessarium robur, ne immaturum embryonem decidere paterentur, conciliare studui. Iterabatur hunc in finem, quamprimum ex utero sanguis profluere cœperat, venæsectio in metacarpo revulsoria ad uncias quinque, & præscribebantur temperantia tonicis innicta, nempe: ℞. corall. r. ppt. nitr. puriff. unicorn. ver. aa. 3j. spec.

℥j. spec. de hyacinth. incompl. ℥ß. cinnab. nat. Rf. ℈j. M. f. pulv. div. in vij. partes æquales, quarum una singulis 12ex horiis data in sequenti vehiculo: ℞. aq. meliss. ℥ij. ceras. nigr. flor. til. lil. convall. aa. ℥j. cinamom. bugloss. syrup. acetos. citr. papav. err. aa. ℥ij. M. Pro potu ordinario decoctæ sunt species è rasur. corn. cervi, rad. scorzon. cichor. c. sem. fœniculi. Crusta item panis tosta vino malvatico ebria & aromatibus consperſa abdomini imponebatur, & corporis quieta, cruribus decussatim positis, injungebatur in lecto continentia, & manuluvium tepidum aqueo-vinosum. Cum per primum triduum parum remitteret fluxus sanguinolentus, justissimam omnino de abortu vix avertendo incussit suspicionem; communis enim suffragatur experientia, fœminis, quo sæpius abortum aut largas uteri hæmorrhagias passæ sunt, eo magis de abortu esse metuendum, quoniam uterus à tono suo dejectus, sanguini paulo impetuosius irruente obsistere, fœtumque incrementa capessentem continere nequit, sed levi data occasione, à commoto sanguinis orgasmo vel spasmis eundem illic, tanquam ad partem debiliorem urgentibus, placentæ pars, aut, si quæ subsit, mola, ab utero avellitur, & tunc ex patulis vasculis sanguineis pars serosa, cum succedente fibrosa, in forma grumorum sanguineorum, elabitur; Quin imo turbæ tales abortum minitantes, in istiusmodi debilioribus subjectis non prius esse desinunt, quam eliminato embryone aut mola, id quod in ipsa hacce ægrota ante sesquiennium haud aliter observatum fuit. Quamobrem haud reformidavi offerre pilulas balsamicas ex aloës succotr. lot. myrrh. elect. ppt. & correct. extract. hellebori nigr. correct. gumm. junip. heder. ammoniac. succin. extract. cochlear. card. bened. centaur. min. fumar. millefol. cascarill. rhabarb. flor. sal. ammon. martial. antimon. diaph. croc. & nitr. concinnatis, quæ in restituendo viscerum tono, sanguinis dyscrasia corrigenda, tarda alvo laxanda, & forsan utero ad

cor-

corpus heterogeneum excutiendum modeſte invitando commodam locare operam videbantur. Eodemque tempore cochleatim aſſumebantur ſingulis quadrihoriis mixtura antiſpaſmodico-analeptica ex aq. ceraſ. nigr. meliſſ. ſ. v. fl. til. cinamom. bugloſſ. pulv. epil. marchion. matr. perlar. ppt. corn. cerv. phil. calc. nitro puriſſ. cinnab. nat. Rf. confect. d. hyacinth. inc. & ſyrup. acetos. citri. Et ventriculo inungebatur balſamum: ℞. ol. nuc. moſchat. expreſſ. ℥ij. deſt. menth. gutt. viij. maſtich. chamomill. aa. gutta iiij. caryophyll. gutt. iij. balſam Peruv. ℈j. M. Hiſce fluxus, qui hactenus ſatis largus fuerat, minuebatur, & verſus veſperam plane ſiſtebatur. Cum bis mihi peregre abeundum eſſet, uſum ſuaſi horum medicamentorum continuandum, itemque gelatinæ ex corn. cerv. & ebore ex juſculis ſorbillandæ, nec non ad immunenda doloris præcordialis augmenta ſanguinisque magis æqualem circulationem expediendam, ſuperius allegati liquoris antiſpaſmodico-bezoardici bis de die ad guttas xxxv. ſumendi, & deſuper bibendi infuſi ſequentis: ℞. ſummit. millefol. flor. chamomill. Rom. ſambuc. hyperic. aa. mj. pap av. err. m ß. cort. citr. recent. ℥ß. cinam. acr. nitr. antimoniat. aa. ℈j. M. f Spec. Theif. Reducem me poſt aliquot dies Dn. maritus non celavit, ſe cum uxore crebris affinium & agnatarum exhortationibus eo perductum eſſe, ut affinem ſuum, Dn. Conſulem ac Pharmacopœum Schm. pridie adſciſceret, qui graviditatem abnuens, morbum eſſe tympaniticum (abdomen enim tumidum & alvus tarda erat cum borborygmis frequentibus) cum nimio menſium fluxu conjunctum, imo iliacam paſſionem brevi ſuperventuram, ipſis perſuadere allaboravit, & præbuit pulveres ex nitro, arcano duplic. & cinnabari, mixturam quandam à me ordinatam, & ſpiritum carminativum Dorncrellii, à quibus tamen mox deſtitit ægra, debili ventriculo pulverem ſalinum nimis refrigerantem non ferente, & ſanguine à ſpiritu Dorncrellianio in æſtum acto.

Alius ipsam visitans harum rerum sciolus, cæteroquin egregius Vir, reprobato remediorum usu impense laudabat vinum Tyrolense rubellum, tanquam optimum confortans & & blande adstringens sine pari, diu & liberaliter potandum, &, ne jocari modo videretur, experimentum, quod bene cessisse prætendit, allegabat. Sed missis his alienis consiliis, mihi ulterior cura demandata fuit.

Ego rebus sic stantibus, & morbum & adhibitam medendi methodum mente revolvens, vera utique esse agnovi, quæ Celeberr. *Stahlius* passim clare enunciavit, præsertim in Diss. de Abortu & Fœtu mortuo, Cap. V. §. 4. nec non in Praxis Stahlianæ, quam publici juris fecit Clariss. *Pelargus*, Sect. I. membr. II. §. 104. sq. scilicet, omnia fere tali in casu incassum fieri, & præstare abortum promovere. Nihilo tamen minus id consilii exsequi ideo ausus nondum fueram, ne ego junior Practicus fœtum nimis præcipitanter emovisse ac veluti necasse, arguerer; è contrario potius ad tentandam ulterius diversionem sanguinis ab utero ejusque impetuosæ commotionis attemperationem insequi constitui methodum Viri, nunquam sine encomio appellandi, Dn. D. *Frid. Hoffmanni*, qua impetuosissimam uteri hæmorrhagiam similibus fere, quamvis citra graviditatis statum, stipatam symptomatibus percurasse legitur in Medic. Consultat. Part. VI. Dec. IV. Cas. VII. & præter infusi Theiformis superioris usum ordinavi mixturam intra nychihemeron consumendam : ℞. aq. flor. sambuc. til. meliss. lil. convall. ceras. nigr. aa. ℥j. cinnamomi bugloss. ℥ß. theriacal. ℥ij. lapid. cancr. ℥iß. pulv. epilept. March. ℥j. antimon. diaphor. ℈ij. aceti vini destill. ℥v. syrup. acetos. citr. ℥ß. spirit. nitr. dulc. guttas xv. M. Insimul sacculum, per diem crebrius vino calefacto rubro Scaphusano intingendum, noctu vero similem modo siccum, in fimo ventri imponendum curavi : ℞. herb. meliss. origan. ror. marin. c. florib. menth. aa. miij. flor. rosar. rubr. mij. cort.

casca-

caſcarill. ʒj. M. haud omiſſo ſupra dicto manuluvio, & pro lubitu aſſumenda mixtura analeptico-antiſpaſmodica ex aqu. meliſſ. fl. til. ceraſ. nigr. aa. ʒjſs. margarit. Or. præp. unicorn. ver. a. ʒſs. confect. de hyac. inc. ʒſs. ſyrupi acetos. citr. ʒij. M.

Quum autem horum quoque remediorum effectum perciperem fruſtraneum, & fere magis adverſum, ægraque usque magis & animi & corporis viribus exueretur; haud vane auguratus, impoſſibile fore, ut ſub tanta paſſionum ſpaſmodicarum, quæ totum fere corpus occupabant, ferocia, tamque diuturna hæmorrhagia, maxime cum priſtina conceptio idem triſte experta fuerit fatum, conſervari poſſit embryonis ad ſtatum partus terminum in utero concluſio; ante omnia huic negotio incubui, ut per ſigna characteriſtica explorarem, an revera utero geſtet ægrota, utpote, quæ, tot medicamentis nil proficientibus, & ipſamet & omnes mulierculæ, non excepta obſtetrice, de ſtatu gravido aut præſentia alius corporis heterogenei in utero, valde dubitabant, eo potiſſimum inductæ ratiocinio, quod nulli poſt primum triduum hactenus ad edendum adfuerint dolores à lumbis ad inguina exporrecti, imo fœtus aut mola ſub hac excedente ſanguinis effluxione jam prodiiſſet. Conſentiente igitur hac in rerum anguſtia ægra pudica, orificium uteri internum brevius & nimium hians, ut facili negotio bigam digitorum adigere potuerim ad extremam phalangem, ſanguinem fundens, atque deorſum verſus os ſacrum reclinatum, circumferentiam ejusdem latiorem ac molliorem, quoad interiora vero, uterum verſus pro ſolito duriuſculum & grumulo ſanguinis compacto obſeſſum, atque circa confinia uteri ipſius collum plus, quam extra graviditatem fieri conſuevit, dilatatum & mollius, abdomen tumidum, & ad latus pubis dextrum præ reliquis regionibus magis durum tangere licuit. Quibus cognitis, quanquam ventris intumeſcentia modo

major modo minor, & durities eundem locum non tenens, ab inteſtinis potius, flatibus diſtentis, orta viderentur, confidenter tamen *renunciavi, ineſſe utero corpus, quodcunque demum ſit, ſive fœtus, ſive mola, ſive utrumque ſimul*, eoque non excluſo oleum & operam perdi, & ſanguinis jacturam nunquam poſſe prohiberi, quin metum eſſe, ut natura, viribus tandem funditus peſſundatis, excluſionem contentorum eniti haud amplius valeat. Transeo Auctores, quos hoc in rerum ſtatu eandem tuentes ſententiam poſſem citare, pergendo potius in recenſione actorum, ob ſuam prolixitatem multum jam temporis conſumente, imo vero Patientia Tua *Mecœnas perquam Gratioſe!* abutente, refero, præcipuam tunc mihi viſam fuiſſe indicationem, ut, quicquid uteri ergaſtulo incluſum ſit, id, quam cito & commode fieri poſſet, eliminaretur, vel medicamentorum vel manuum opera. Itaque audacter redinchoavi pilularum balſamicarum num. xv. uſum matutinum ac veſpertinum, quas ſimul indicabat alvus, quæ in ſtatu ſanitatis ſemel tantum per ſeptimanam deponi adſueta, inter decubitum nunc tardior, officii ſui ſæpe hactenus monenda fuerat clyſteribus emollientibus, oleoſis ac carminativis. Vertici, clavo hyſterico dolenti, imponi petiam è ſyndone, in qua ligata erat ſcob. caſtor. ℥ij. & camphor. ℈j. Cervici juxta tractum ſpinæ dorſi illini linimentum antiſpaſmodicum: ℞. ſpirit. vin. camphorat. ℥ß. ſal. ammoniac. corn. cerv. aa. ℥j. ol. deſt. rut. anthos, aa. ℈ß. axung. caſtor. ℥j. M. naribusque, imminente ſuffocatione hyſterica admoveri eſſentiam caſtorei cum dimidia ſpiritus ſalis ammoniaci urinoſi portione remixtam, curavi. Viribus conſervandis dicavi emulſionem: ℞. amygdal. dulc. excort. ℥iß. f. c. aq. violar. ceraſ. nigr. lil. convall. meliſſ. aa. ℥iiß. cinamom. bugl. confortat. uſ. aa, ℥j. flor. naph. ℥vj. Emulſ. c. add, ſachar. perlat. q. ſ. pro leni dulced. His per tertium diem interpoſui duas doſes pulveris pellentis ex Commentario *Pelargi* ad

gi ad Praxin Stahlian. p. 496. mutuati, continentis borrac. Venet. atque elæosacchar. cinamom. aa. gr. xv. At vero ne minimum quidem conatus exclusivi inde concitatum, sed effluxus tantummodo paulo copiosior sanguinis serosi, interdum grumosi & pene membranacei, cum fœtore plusquam puerperali, promotus fuit.

Nemo hactenus quicquam desideraverat de mea promtitudine, industria, & circumspecta sollicitudine. Ne vero in tam ancipiti facileque funesto malo aliquid humanæ opis intermissum fuisse videri posset, egomet ipse Dominum maritum excitavi, ut rem, me interprete, ad vicinum quoddam Collegium Medicum, vel A. vel M. deferri curaret. Equidem renuerat, majoremque potius in meam qualemcunque artis peritiam collocaverat fiduciam, sed cum proxima septimana celebrandarum mearum nuptiarum causa non potuerim non peregre proficisci, ante meum discessum ipsemet consilium petiit ab amplissimo Collegio Medicorum, A. Id quod ipsi citissime latum, propriaque manu d. 22. Novembr. scriptum ab Exc. Dn. D. K. t. t. Spectabili Decano, huc transmissum est. Verum vix audeo illud recensere, nam sententia Experientissimorum Dominorum Medicorum, qui illud consilium junctis votis collegerunt, (interfuerunt autem non omnes, sed plerique seniorum, & alii quidam ex junioribus, sicuti relatum mihi est, aut adversa valetudine impediti, aut negotiorum diversorum causa, tunc aberant) à vera status, qui tamen quoad præcipua & cuncta notabilia phœnomena antecedentia, & concomitantia fuerat integre descriptus, diagnosi, prognosi & congruarum indicationum inventione, multis parasangis aberraverat. Posthabito enim signo [characteristico, quod ego à conditione uteri hujusque orificii desumseram, graviditatem aut præsentiam alius corporis p. n. in utero negarunt, methodum medendi abs me adhibitam, in specie sanguinis missio-

nem repetitam in tam tenero ac hecticode subjecto rejecerunt, multo magis pellentia usurpata damnarunt, & quæ non? Dixerunt, (ex autographo hæc in Latinum verso describo) præcipuam causam morbi partim in dyscrasia sanguinis bilioſa acri, partim in frequentia motuum hysterico-spasmodicorum concentrari, quippe à quibus ordinatus atque æqualis sanguinis & reliquorum humorum circuitus manifesto mutetur atque impediatur, unde postmodum pleræque in historia commemoratæ inconvenientiæ oriri soleant. Regulæ proinde duæ ab ipsis indicatæ sunt, quarum una fuit: Dyscrasia bilioſa acris successive corrigenda per blanda temperantia, gelatinoſa, nitrosis mixta. Altera sic sonuit: Vires restaurandæ per analeptica temperatiora. Eum in finem præscripserunt pulverem sequentem: ℞. corn. cerv. s. ign. ppt. ʒij. crystall. mont, ppt. pulv. cachet. Ludov. unicorn, marin. aa. ℈ij. nitr. crud. crystall. ʒß. medull. castor. gr. iiij. M. f. l. a. pulv. divid. in viij. part. æqu. D. ad totid. ch. S. Temperir-Pülverlein täglich 1. oder 2. zu nehmen. Atque potiunculam confortantem: ℞. aq. borag. ʒiiij. cinamom. simpl. ʒß. spec. de hyacinth. matr. perlat. ppt. corall. ppt. aa. ℈ij. syrup. d. limon. ʒij. M. D. S. Stärckungs Tränklein. Nec non hasce non potu ordinario species: ℞. rad. scorzoner. chin. or. aa. ʒj. rasur. ebor. ʒij. M. D. S. Stück zum täglichen Tranck auf 8. Maaß Wasser, cujus decocti singulis mensuris instillentur tincturæ florum bellidis guttæ quadraginta. Uti jussa est ægra primo hisce pulvisculis & mixtura, dein iis consumtis singulis mane ac vesperis deglutire per sex vel octo dies decem pilulas Stahlianas, quibus refertam scatulam authenticam una miserunt. Deinde iterum per aliquot dies pulverem assumere, & per octiduum pilulas, atque hoc pacto continuare, donec malum superatum fuerit.

Non dubito, PRÆSES PERILLUSTRIS atque MAGNIFICE! quin sponte conjicias facillime, quam iniquum & gra-

grave mihi intulerit consilium hocce (utpote meæ, quam certe non sine speciosorum argumentorum robore fovi, sententiæ è diametro contrarium) existimationis, quam prudenti ac circumspecto de morbis, eorumque causis atque eventu judicio, ægrorumque singulorum solicita tractatione tueri primum ac ultimum cujusvis Medici γνησίως talis esse decet, detrimentum & opprobrium haud vilipendendum, ita, ut plerorumque perfrictæ frontis hujus loci inquilinorum detrahendi pruritum invidiosissimum atque illusionem falsissimam reipsa ad usque illum diem perperpeti coactus fuerim, quo tandem divino Numini placuit veritatem meæ diagnoseos & prognoseos, adeoque convenientis medicationis meæ confirmationem in apricum atque extra omnem absonam contradictionem ponere, eo cum eventu, ut ægra à sarcinis suis uterinis, quæ totius morbi fundamentum, non illa putatitia humorum dyscrasia, constituebant, fuerit liberata & exonerata. Interim utique ad angustias me compulit illud consilium, ut animus meditabundus remque, cujus certa cognitio ad conservandem ægrotæ vitam maxime necessaria erat, strictiori mentis indagine reputans, noctem proximam duxerit insomnem, nam seposita omni Φιλαυτία, à qua ceu Christiano decenti sui abnegationi prorsus adversa ac peccaminosa diu jam abhorrere didici, id animo, cum consilium legerem relegeremque, præjudicii loco ex destinato infixi tritum proverbium, oculos plus videre quam oculum, adeoque plures Medicos eosque Practicos veteranos magis subacto valere judicio practico, quam unum eundemque juniorem. Re vero æqua lance ultro citroque pensitata, probe perspexi, contrarium sentientes meorum ratiociniorum robur minime infregisse; suis assertis nulla addidisse; quin potius ipsorum sententiam indeque deductas indicationes lubrica saltem inniti pila; me jam à principio morbi eadem fere, si non valentiora, frustra adhibuisse medicamenta; sanguinis

guinis missionem, huic subjecto, quod æque ac sorores ipsius fluxum menstruum experiri solitum fuerat tam copiosum & ad octo dies extensum, & tunc exacte quarta hebdomade, qua frustra ejus reditum expectarat, pati cœperat, graviditatis incommoda atque indicia alias sibi solemnia, manifesto indicio, sanguinis abundantis ad venam cavam & portæ vicinias regurgitantis, omnino fuisse necessariam, utramque, tam ventilatoriam ad præoccupandos conatus abortivos institutam, qui ob prægressum ante paucos menses abortum, indeque utero affricatam labem, fœtui ad terminum gestando vix ac ne vix quidem parem, extimescendi fuerant, quam dein accedente sanguinis profluvio repetitam illam revulsoriam & derivatoriam. Et nihil sane obstitisse, ratus sum, quo minus, tamdiu irritis remediis conservationi prolis dicatis, uteri a contentis depletionem moliri ac pellentibus uti fas fuerit. Namque orificium uteri internum, quale fuit, adeo luculenter graviditatem prodiit, ceu ex ungue lupum cognoscere facile est, atque ipsa hac tam diu protracta hæmorrhagia incompescibilis congruum dedit suspicioni locum, forsan tantum *moliforme* adfore *concrementum*. Equidem complures sunt, qui prius, quam fœtus motu suo vivido se prodiderit ac graviditatem manifestavit, ingravidationem ex aliis signis augurari ac certo & indubitanter asserere ne vix quidem audent, ita ut de facta conceptione apertum testimonium, quantum ego quidem novi, apud nullum Medicinæ Legalis scriptorem reperiundum sit. Enimvero Artis Obstetriciæ, quæ hodiernum pro dignitate atque utilitate sua plus, quam ante hominis ætatem excoli cœpit à Gallis, & nunc etiam à Germanis diligentius addiscitur & exercetur, præcepta hisce in casibus dubiis in subsidium veniant, necesse est, utpote, quæ & sanæ rationi & constanti superstructa observationi clare edocent, qua ratione veritatem, an, & quamdiu uterus sit gravidus, expiscari atque pro diversis statibus ac tem-

temporibus discrepante ex orificii interni conditione hariolari calleat artifex. His ego insistens, quod alii facere consueti non sunt, fortasse etiam nunquam curarunt, non solum in casu substrato, sed & antehac in casu quodam Medico-Forensi, ubi duæ fœminæ ultimi supplicii jam condemnatæ, utero se ab aliquo tempore gerere, confessionario primum, dein etiam ipsi Judici atque in Buchlöensi à diversis Illustrissimis atque Inclytis S.R. Imperii statibus in Circulo Suevico, in territorio Episcopali Augustano exstructo Diorthoterio, Commissario criminali confessæ fuerant, ego dicti Diorthorterii atque ædium criminalium Medicus responsum affirmativum dare non titubavi, testimonium de veritate prædicta supererogans perhibente utriusque partu post exactum sex & septem mensium spatium revera subsecuto. Interim nefas utique foret difficeri, eam huic nostræ nobilissimæ Artis parti lucem nondum affusam esse, quibus signis facta fœtus conceptio intra primos menses à gestatione molæ discerni queat & debeat, si unum illud, quod Dn. *de la Motte*, Chirurgus Valonienſis, vir in arte obstetricandi versatissimus, in opere suo pereleganti cui titulus: *Traité complet des Accouchemens Naturels, nonnaturels & contre Nature*, Lib. I. Cap. VII. adducit, atque subjunctis, etiam in capite sequenti, observationibns & epicrisibus comprobare annititur, excipiamus, scilicet in falsa aut spuria graviditate ventrem ab ipso primi diei termino incipere intumescere, id quod in vera accidat secus, juxta Gallorum, quod *Mauricæus* recitat, dicterium; *En ventre plat enfant y a.* Interim vero satis mihi fuerat nosse doctaque, quæ à veritate proxima est, conjectura assecutum fuisse, quod immensæ huic sanguinis ex utero profusioni subsit corpus uteri ergastulo incarceratum, sed vinculis, quibus matrici alligatum tenetur, liberum, consequenter sanguini portam, per quam evaderet, pandens. Ecquis dubitasset, quin aptum molas generandi atque alendi Nostra fuerit subjectum, sive molarum generationis mo-

dum & natales ex sanguineis se applicante, sive ex ovulo nondum fœcundato per tubas Fallopianas in uterum devoluto, ibidemque petiolum suum ac membranulam agglutinante atque innidulante, mente concipere placeat.

Fretus itaque conscientia coram Supremo Rerum Justissimo Judice ac Vindice intaminata, causæque bonitate tandem triumphante, binorumque aliorum adagiarum memor, quibus errantium multitudo errori non parere patrocinium, atque sapientia sæpe sub contemtim habito latere palliolo dicitur, pari audacia, salvo tamen Tantis Viris debito respectu, meam obfirmavi sententiam, fato rei decisionem relinquens, & spectatorem nunc ad lectum ægrotæ agens, quamvis minus diu mihi licuerit esse otioso. Etenim illo ipso quidem die, quo hæc Collegii A. præscripta medicamina in usum trahi cœpta sunt, ægra mirum quantum præsentia sororis suæ præ cæteris carissimæ, Augusta huc venientis, refecta insigniter & paulo melius valere per nycthemeron visa fuerat; at vero paroxysmi hysterico-spasmodici pristino more altero statim die ipsam denuo divexarunt, Et quia secessum meum Memmingam procrastinare diutius non in potestate mea erat, insistere iisdem DDnorum A. medicamentis, quippe quæ meæ intentioni non æstimabam contraria, imo æque, licet diverso respectu, convenientia, simulque continuari jussi usum liniments antispasmodici, cujus inunctionem nuchæ & dorso frequentius factam jamdum ab aliquot diebus experta fuerat proficuam, & spasmorum vehementiam pariter mitigantem & abbreviantem, ac frequentiam eorundem moderantem. Injuncti quoque magis liberalem, & numero & tempore pilularum Stahlianarum dosin, potissimum, sicubi dolores lumbares elisorii ingruerent, iterumque reliqui, si spasmi increbescerent, urgente necessitate guttatim porrigendum liquorem antispasmodico-bezoardicum Hoffmannianum.

Et

Et vel absens Nostræ tam periculosissime decumbentis ægrotæ nequaquam fui oblitus, quippe aptissimam captans occasionem de ejus statu colloquendi cum biga Præcellentissimorum Medicorum Memmingensium; Dnum D. *Düttelium* in superiobus jam honorifice allegatum, & D. D. *Wogavum*, Naturæ Curiosorum Spendidissimo Ordini Agnomine Antyli adscriptum, itidem Fautorem meum æstimatissimum, innuo: Quorum uterque admodum probabile esse, quod subsit in corpore heterogeneum quid, quod Natura mediante ista tam diu extracta hæmorrhagia expellere conetur, affirmavit, miratus, quid DNN. A. ad diversa sentienda commoverit, & omnino continuandam meam methodum, præsertim analepticorum, antispasmodicorum & visceralium usum, approbavit. Interea pristinam & motus spastici & ipse fluxus cruentus, quanquam interjectis aliqualis remissionis intervallis, ludit fabulam jugiter, uti transmissæ me docuerunt duæ litteræ, hisque tam acerbe exagitata ægrota parum alimenti assumens, admodum extenuata viribusque attrita jacuit miserrime, ut l pideo cordi commiserationem extorqueret. Quamvis igitur redux compertus fuerim, Ægrotæ affinem litteris significasse Dno Marito quendam DNN. A. Medicorum, qui ad compilandum sæpius jam dictum consilium symbolam suam quoque contulerat, falsæ me deridere, quod tam pertinaciter falsæ meæ de graviditate opinioni adhærere, tamque frivole communi tot Medicorum consilio contradicere haud erubescam, eundemque ob imminentem usque magis tympanitem, suadere clysmata, & mitia carminativa ac balneationes. Attamen hoc non obstante, ego è re fore arbitratus sum, ut vires vacillantes erigerentur, natura ad excutiendum molestum & excernenda uteri onera sensim atque modeste invitaretur, & symptomatum urgentium cohorti obviam iretur. Reassumens ergo nonis mensis Decembris curam, præter pilulas balsamicas, ordinavi sequentes pulviculos: ℞. pulv.

epilept. March. corn. cerv. phil. calcinat. aa. gr. viij. bezoard. mart. corall. rubr. ppt. aa gr. vij. spec. d. hyacinth. inc. gr. v. nitr. purifi. gr. iiij. cinnab. nat. ppt. gr. ij. extract. castor. liquid. gutt. j. M. binos quotidie sumendos in vehiculo mixturæ sæpius cochleatim præbendæ: ℞. aq. cerasor. nigr. flor. til. millefol. fl. chamomill. aa. ℥iß. melisi. c. vin. cinamom. bugl. aa. ℥j. flor. aurant. 3vj. confect. d. hyacinth. & alkerm. inc. aa. ℥ß. M. Iteratum quoque Linimentum antispasticum superius. Ventriculi inflationi atque intestinorum borborygmis opposui tam Elixir aurantiorum c. Spir. Vini paratum & cum liquore anodyno min. maritatum, quam litum alium spirituoso-balsamicum: ℞. aq. Anhaltin. ℥iß. ol. destill. menth. chamomill. aa. gutt. x. express. nucist. 3ij. balsam. Peruv. ℥j. M. probe agitatum & leniter calefactum ventriculi regioni applicandum, desuper tegendo chartam tenuiorem, itemque clysmata carminantia, v. gr. ℞. decoct. carminativ. & emollient. aa. ℥iiij. nitr. antimoniat. 3j. ol. chamomill. aneth. coctor. aa. ℥iß. vitell. ovi num. 1. balsam. Peruv. n. 3ß. ol. dest. anis. ℈ß. M. alio tempore simile fere cum liquore volat. oleoso Sylvii. Pro potu ordinario decoctæ sunt cum tribus aquæ fontanæ mensuris nostratibus, quarum una ℥xxxvj. continet, species è rad. scorzoner. ℥j. sarsæparill. ℥ß. sem. fœniculi 3j. cui, uti & jusculis gelatinosis, ut fastidio ægræ, ad cujus palatum nil fere erat amplius, aliquid darem, succi citr. q. s. ad grat. addi permisi.

Paucis diebus post dolor emicare cœpit in inguinibus ac pube, & sub largiori sanguinis profluvio *molecula carneo-membranosa, serum cruentum & thrombum includens* excreta fuit. Noctu magis quiete dormire poterat, atque flatulentiæ tam graves facessere molestias desinebant. Missa tum essentia cort. aurant. spirituosa, ventriculum, ne jusculo aut medicamenta adeo fastidiret, languoremque totius corporis aleret, consolatus sum Elixirio temperatiori cortic. aurantiorum leviter amaro D. D.

Düt-

Düttelii, de quo supra dictum jam fuit, singulis fere horis ad cochlear unum sumendo, adjecta tincturæ dulcis coralliorum perlatæ quarta parte, utrumque enim hoc remedium certe alias jam magnas reconciliato vigore naturæ, & restituto viscerum ad rite obeunda munia robore, promeruit laudes. Hisce deinceps die Decembr. XII, cum ægram haud imparem ferendo judicarem, balnei domestici usum interposui, quod Augustanus ille Medicus iterum adeo operose urgebat ea intentione, ut ventri flatibus distento prodesset, ego autem eum in finem, ut forsan, DEO volente conamina ad enitendum id, quod utero inhæreret, alliceret, concessi. Et tulit quoque per biduum insessus ultra horam cum euphoria. Parata vero fuerant balnea ex aqua fluviali, cui, ut cruda corrigeretur, incoctæ sunt rad. althæ. herb. V. emollientes, flores chamomillæ ac malvæ. Et ægrota tepefactis iis insidens abdomini imposuit sacculum herb. meliss. menth. crisp. salv. hyperic. origan. flor. chamomill. sem. aneth. bacc. junip & laur. refertum.

Nunc demum tertio balneationis die, qui fuit decimus quartus Decembris, id contigit, quod piis gemitibus hactenus à Summo Numine fueramus deprecati. Nempe dolores in dorso sunt oborti à lumbis ad inguina & sinum pudoris vergentes. De quibus accepto circa ipsum meridiei punctum nuntio, protinus advolavi, atque orificium uterinum non secus, quam ad pariendum comparatum inveni, corpusque quod ei jam immorabatur, molle tactuique recedens molam esse judicavi, sed nimis lubricum & longe adhuc in orificio interno, nondum sufficienter dilatato remotum erat, quam ut digitis apprehendere potuissem atque extrahere. Ea propter animum parturienti ejusque marito de malo omine sibi metuentibus addidi, ut illa jamjam instante, tam crebro anhelata liberatione, à malo per tot septimanas perpesso, omnes suas colligeret vires ad juvandum, quod Deus largitus est, naturæ conamen molestias uterinas deponendi, quod & egomet quanto-

cyus promovere ſtudui pulvere tonico pellente: ℞. pulv. epilept. March. ℈j. corall. rubr. ppt. gr. xvj. ſpec. d. hyacinth. inc. ℈ß. borrac. Venet. gr. xvj. ol. d. cinnamom. gutt. ij. M. f. p. pro 2. doſibus, quarum alteram accepit ex mixtura confortante jamdum ad manus ſtante. Et brevi interjecta mora intra bihorium concomitante exceſſiva ſanguinis jactura & intenſiſſimis doloribus, excluſa eſt primo *Mola membranoſo-informis ſolida, pugni duplicati magnitudinem longe excedens*, ultra duas libras ponderans: Deinde *alia Veſicularis* plus quam altero tanto major priore, ſed non ponderoſior, *referens quaſi ſperma ranarum*, aut, ſi mavis, *uvam*. Veſicula veſiculæ mediante intertexto tenero fibroſo adhærebat; erant, quæ avellanas magnitudine ſuperabant; aliæ vix piſa æquabant; pleræque magnitudinem inter has mediam obtinebant; facile ab invicem ſecedebant, quippe & ante & ſub partu cum ſanguinis flumine tantum non centum prodierunt ſigillatim & fruſtulatim; numerus præ copia earum non erat æſtimandus; ruptæ lympham limpidam ab admoto igne inſtar albuminis ovorum incraſſeſcentem fundebant. Maculas etiam rubellas in quibusdam majoribus animadverti, quales conſpectæ ſunt à D. D. *Dechiappa*, juxta Obſ. CLXVI. Act. Acad. Nat. Cur. Vol. I. Penitius autem easdem perluſtrari vetuit ægrotæ debilitas, cui adeſſe oportuit, atque negotium cum aliis ægris. Hanc molarum bigam haud interrupto labore ſequutus eſt *Fœtus maſculus integer*, nullibique per totum corpuſculum, ne vel minimam corruptionis labem oſtendens, ſed ſingulari naturæ à DEO benedictæ beneficio & medicamentorum præſtabili virtute vivus conſervatus, & breviſſime, quod credo, demum ante partum mortuus, ſuccedente denique placenta pariter integra.

Exantlato vel tandem feliciter tam arduo labore, puerperam noſtram, quæ hucusque tam graviſſime conflictata cum morbo, tantumque paſſa jam fuerat ſanguinis dispendium, ut adſtan-

adſtantes ad aſpectum ingentis ejus ſub partu demum amiſſi copiæ, quam corpori adhuc ineſſe nemo facile crediderit, prorſus ſtuperent, animo defeciſſe, & cum ſanguine arterioſo tantum non animam efflaſſe, mirum videbitur nemini, maxime cum parturiendi niſus & ſanguis profluere non deſinerent. In hocce igitur rerum periculo & vitæ cum morte lucta, communem illam cautelam, quod talia ſubjecta analepticis vulgaribus, calidis, atque ſpirituoſis, ad tumulum magis promoveantur, neutiquam refocillentur, quantum potui, obſervare curæ habui. Quieti itaque agonizantem commiſi, & ab eminus admoto naribus ſupra deſcripto ſpiritu anthyſterico excitatæ præbui, ob ſymptoma urgens, effluxum ſcilicet ſanguinis arterioſi, quem è floridiſſimo ejus colore ac impetu etiam mulierculis facile fuit cognitu, pulviſculum è corall. rubr. ppt. ℈ß. ſpec. d. hyacinth. inc. gr. viij. nitr. puriſſ. gr. iij. cinnab. nat. Rectif. gr. ij. M. Pilul. d. cynogloſſ. gr. j. M. cum emulſione etiam alias cochleatim haurienda: ℞. amygdal. dulc. excort. ℥iij. ſem. citr. card. mar. IV. frigid. min. aa. ℥j. contuſ. ſenſ. affund. aq. plantag. ceraſ. nigr. violar. fl. til. aa. ℥ij. meliſſ. ſ. v. flor. aurant. aa. ℥j. f. l. a. Emulſ. c. add. margarit. Or. ppt. unicorn. ver. corall. r. ppt. aa. ℈ij. ſpec. d. hyacinth. ℈j. ſachar. perlat. ℥ß. M. D. Equidem verſus noctem paulo longiores inducias nexerunt deliquia, ut animo magis conſtans divinum exorare auxilium, atque adſtantes languidiſſima ſyllabarum disjunctiva connexione alloqui compos eſſet, ſed ipſa ſymptomata ſpaſtica nondum plane remiſerant, hæmorrhagiæ uterinæ fluxus tranquille continuabat, facies vere erat ſic dicta *Hippocratica*, artuum extrema pallida & frigida cum unguibus lividis, ita ut Marito manum oſculandi ſuccenſuerit ipſa, annon horror ipſum ſubeat oſcula infigentem manui jamdum emortuali, quam ipſamet locomovere aut digitum attollere ob univerſalem virium defectum non valeat. Præter hæc autem ſanguinis pauperiem abunde teſtatus eſt pulſus præ exili-

exilitate nimia ac debilitate vix tangendus, & ad illam pulsus speciem, quæ myurus dicitur, atque apud moribundos res conclamatas esse, alias indicare solet, referendus. Cor autem dolorificentissime palpitavit, pectus suspirando aerem anhelavit, & quod me in admirationem rapuit, flatus aperte sonori erumpebant per loca prorsus insolita, scilicet tam per urethram, quam per orificium uteri, id quod ægra probe ab invicem distinguere noverat, & per plures dies experta fuerat invita. Et nescio, an symptoma hocce satis declaretur, dicendo, per pulmones inspiratum aërem nimia in quantitate penetrasse in vasa sanguine tum vacuefacta, atque ad cor appulisse, quo distento palpitatio orta, à corde deinde ulterius missum fuisse ad partes, ubi dato spatio ex utero partim, partim ex vesica per brevem urethram fœmineam dilapsus fuerit cum crepitu. Nam plurium quidem recordor fœmellarum, quæ de frequenti flatuum sonororum è vagina elisione querelas mihi moverunt, non item ex urethra, atque apud has quidem sanguinis penuria accusari nequibat, non ergo semper huic adscribenda, sed potius utero debili, impuritatibus in vapores halituosos à calore resolutis scatenti. Cum noctu sanguinis effluxio augesceret, dorsique dolores recrudescerent, non titubavi axioma illud verissimum obsequi, quod ubicunque adsunt dolores ad partum, & perpetuum sanguinis ex aperto orificio uteri interno profluvium, ibi subsit corpus ex utero expellendum. Qua de causa ad expurgandas ex utero quascunque reliquias dedi versus medium noctis duodecim pilulas balsamicas cum grano æquiponderantes, quæ non solum inter somnum puerperæ utcunque placidum, qualem intra longum tempus vix ceperat, plurimas vesiculas à superius descripta mola vesiculari feceſſas, sed & circa horam matutinam *sextam, molam eliminaverunt aliam carnosam, pugnum æquiparantem,* quo facto & hæmorrhagia & dolores sponte penitus cessarunt, & posthac ne unica quidem per totum puerperium sanguinis lochia-

lochialis sinceri uncia, sed humidi, quandoque subcruenti, putidissimi qualiscunque quantitas fuit excreta,

Atque hæc sunt, quæ destinata opera de *Ægra hacce molis tribus, fœtusque gravida*, morbo ejus, qui & ipsi & mihi crucem fixerat, dirissimo, atque ereptione è mortis faucibus, assistente Divini Numinis Clementia fauste peracta, dicere attinuit. Calamum proinde, VIR PERILLUSTRIS atque MAGNIFICE! ne Tuam perlegendi patientiam ulterius fatigem, lubens abjicerem, nisi phænomena subsequentia haud minorem postularent attentionem ac recensionem. Obiter tantum hic annoto, providam atque in administranda corporis oeconomia constantem naturam etiam in hocce subjecto post partum, aut potius abortum, congessisse humores ad mammas, quarum molesta tensio indicaverat discussionem & supervacaneorum spasmorum mitigationem, ope sacculorum ex herb. chærefol. menth. petrosel. flor. chamomill. sem. apii. petrosel. fœnic. cito expeditam. Cæteroquin in vado rem constitutam, & fundamentum successive futuræ convalescentiæ optime jactum esse jamjam putaveram, ejectis quippe uteri sarcinis. Verum enim vero febris tum temporis universam pergrassata Europam, nec nostræ, utut viribus atque humoribus fere ex toto privatæ pepercit, sed altero statim puerperii die ipsam corripuit, contagium ad ipsius lectum apportante amica, quæ ipsam invisserat. Ita malum malum excepit, & adeo nulla calamitas sola, ut simul uterque etiam liberorum variolis, hac in urbe tum epidemiis, decumberet. Status iste catarrhalis reliquis simultaneis causis sociatus, caput dolore, pectus violentissima compressione, pulmones vehementissima tussi ferina, respirationem sæpe suspendente, cor palpitatione, universum corpus majori languore, adeo male habuit, ut hæc centies plus, quam prægressa spasmodico-hysterica pathemata semet torquere ægra prætenderit, parumque abfuerit, quin ad incitas fuisset re-

dacta. Extorserunt hæ querelæ multa medicamenta antica-tarrhalia & pectoralia, quorum enarrationi locum dare prolixitas vetat. Id tamen mihi fuit primarium momentum, ut blanda analepsi & diæta restaurativa viscerum redintegrarem tonum & sanguinis deperditionem compensarem, hecticamque instantem mature præscinderem. Quo consilio frequentissime ipsi porrigebantur jusculæ, quibus admiscendas radices ac herbas recentes tempus hybernum non subministravit, atque alimenta substantifica, atque medicamentorum censu sæpius jam recitatum Elixir & Tinctura Coralliorum confortans, atque Emulsio: ℞. amygdal. dulc. exc. ℥vj. sem. card. mar. violar. aa. ℥ij. c. decoct. hord. & corn. cerv. ℥x. f. Emulsi. c. add. aq. cinamom. bugl. ℥j. fl. auranr. ℥vj. matr. perlar. ppt. ℥j℈. sacchar. perlat. ℥℈. M. D.

Ita sub his molestiis decursum suum absolvit mensis December, dubiam semper relinquens salutis spem. Novo anno MDCCXXX. ineunte magis quoque secunda læti animadvertebamus convalescentiæ auspicia. Viribus enim tam animi quam corporis quodammodo vegetior, extra lectum sine obrepentibus deliquiis diutius commorari; spasmorum ferocia ac frequentia multo remissior & rarior esse; pectusque ac caput magis liberum atque serenum; noctes tranquilliorem somnum concedere; ventriculus cibos appetere, parceque sumtos solidos absque notabili difficultate digerere cœperat. Interim adhuc latitabat febris lenta tabifica, cujus indicia fuere, marcor & macies corporis totius, ut cutis vix ossa tegeret, pulsus parvus debilis, celer tamen & frequens, sitis, calor lentus totius, præcipue spinæ dorsi, & sudor sub somno erumpens frigidus, maxime in fronte, volis manuum & plantis pedum. Ecquid mirum est, post tam diuturnum, immensumque sanguinis profluvium, gravissimum affectum hysterico-spasmodicum & suffocativum, ventriculi anorexiam & ciborum concoctionem debilissimam, nutri-

men-

mentique debiti inopiam chronicam, tonum viscerum fuisse destructum, vasa viscerum sanguificationi velificantium vacuefacta & collapsa, hecticoque reliquum sanguinem accensum fuisse calore. In specie nervorum robur exinde fuisse quam maxime attritum, fluidumque eorum subtilissimum non minus, quam cæteri succi roscidi, exhaustum, & animæ facultatum, ingenii puta, judicii atque memoriæ imbecillitas, cerebrique nebulosa gravatio, & pedum tremor, standique vel ambulandi impotentia satis superque testabantur. Quibus ut obviam iretur, iis ad tertium mensem continuatum est medicamentis, incendium hecticum, sitim, sudoremque colliquefactivum restinguere, blande nutriendo succos corpori amicos reddere, acrimoniam obtundere, vires erigere, visceribusque innatum tonum confirmare, apta erant. Hisce scopis proficua fore censui & revera talia expertus sum remedia: ℞. matr. perlar. ppt. ʒij. lap. cancr. ppt. ℈ij. specif. antihectic, Poter. rit. parat. ℈j. nitr. purissim. ℈ß. m. f. pulv. divid. in vj. part. æqual. quarum unam capiat mane hora decima ante & quarta pomeridiana, nec non noctu hora nona vel decima in sequentis emulsionis sexta parte: ℞. amygd. dulc. exc, ʒß. pinear. mundat. ʒij. sem. citr. ʒj. Contus. affund. sens. decoct, corn. cerv. ℥vj. aq. cinam cyd. flor. aurant. aa. ʒß. f. l. a. Emulsi. edulc. tabul. man. Christ. perlat. ʒß. M. D. ℞. rasur. corn. cerv. ebor. aa. ʒij. rad. scorzoner. cichor. taraxac. aa. ʒiij. herb. chærefol. spinach. endiv. flor. scabios. bellid. min. hyperic. aa. mß. M. incis. concis. D. Species hæ in vase probe tecto diu coctæ cum aqua simpl. præbuere jusculum gelatinosum, de quo calefacto & dissoluto scutellam sumsit mane hora septima vel octava atque vesperi paulo ante cœnam. Carnis jusculo quoque gelatina domestica grata, item vitellis ovorum non coctis imbuta sorbillavit. Ad clausulam pastus, pro quo cibos levis concoctionis & bene nutrientes commendavi, non intermisit elixiris stomachici

temperati paulo magis amariuſculi & cum tinctura dulci coralliorum perlata nupti uſum. Potui ordinario inſerviit decoctum paratum ex aquæ menſuris tribus & hiſce ſpeciebus: ℞. raſur. corn. cerv. rad ſcorzoner. aa. ℥ß. hord. mund. ℥iij. ſem. fœnicul. ℥j. Ad confortandum cerebrum, tempora, vertex & nucha illita ſubinde ſunt balſamo: ℞. ol. nuc. moſchat. expreſſ. ℥iij. ol. deſt. lavendul. gutt. xx caryophyll. cinamom. ror. marin. ruth. aa. gutt. x. balſam. Peruv. ℥iß. M. Dorſi ſpina autem ac poplites, pedumque inferiorum juncturæ alio linimento nervino: ℞. axung. human. ℥iß. ol. deſt. lavend. ror. marin. caryophyll. aa. ℥ß. balſam. Peruv. n. ℥iij. M. Ab his bene proficienti conceſſi loco Elixiris ſenſim ſenſimque moderatum vini Neccarini melioris notæ uſum ad paſtum, dein etiam vini Hungarici genuini, quod Illuſtr. atque Generoſiſſ. L. B. de G. dono dederat.

Poſtea menſe Martio menſtruæ ſanguinis jamdum abundantis, quamvis limpidi ac pallidi exonerationis aliquale comparuit veſtigium. Succeſſu temporis tributum lunare usque majori perſolvit in copia, non tamen amplius tanta, qua olim. Ipſaque orthoſtadiis annumerata in publicum prima iterum vice prodiit Palmarum feſto. Auctiori vere ut adiret balneas Zellenſes, ad affectus muliebres adeo decantatas, ſæpiſſime quidem ſuaſor fui, ſed tam longe abhinc diſſitum locum adire & à penatibus abeſſe renuit. Illarum ergo loco balneis domeſticis ex aqua fluviali cum herbis uterinis ac nervinis paratis uſa eſt, & anno ſuperiori & eo, quem agimus. Aſſumſit etiam intentidem pilulas balſamicas, potiſſimum, ubi ſanitas animi commotionibus perturbata vacillare videbatur.

Nunc ultima vice menſtruus ipſi promanavit ſanguis poſt medium menſis Auguſti, abhinc exactis quatuor ſeptimanis inſtante ejus periodo rediit cardialgica ſtomachi affectio, nauſea vini, præſertim cereviſiæ, & ciborum imo aſſumtorum,

torum quorumvis intolerantia, excepto decocto Caffeé, dolor cervicis, capitis & laſſitudo totius. Unde nupero Auguſto ſe concepiſſe ominatur. Nec male, nam, uti variæ varias affligunt ſenſibiliores fœmellas moleſtiæ, è quibus conceptionem facile hariolari norunt, ita Noſtra à crebro tali graviditatis principio ſimiliter de certitudine denuo factæ conceptionis edocta eſſe videtur. Quo minus priſtinus invaleſcat ſtatus morbidus, cui perferendo atque eluctando forſan minus parem ipſam nunc judicarem, animus eſt ſuppetias ferendi tempeſtivis ſanguinis miſſionibus ventilatoriis, qualem jam celebrari curavi poſt Octobris initia, & cum nihiloſecius vehementius increſcere ſpaſmos & corporis torporem perſentiſceret, obtuli pulviſculos temperantes & tonicos ex corall. rubr. ppt. unicorn. ver. nitr. puriſſ. aa. gr. viij. ſpec. de hyacinth. inc. gr. vj. cinnab. nat. Rf. gr. ij. ſcob. medull. caſtor. gr. j. conflatos cum xxv. guttis liquoris anodyn. mineral. ſumendos. Cervix, dorſum, imo & regio præcordialis inuncta ſunt linimento ad componendos ſpasmos præſtantiſſimo: ℞. axung. human. ol. lumbricor. coct. aa. ℥ij. nuc. moſch. expr. ʒiß. pingued. caſtor. ʒß. balſam. Peruvian. ℈j. camphor. in ſpiritus ſal. ammoniac. aniſat. gutt. xij. diſſolut. gr. xv. M. Hiſce in uſum vocatis ventriculi & reliquarum partium ſpaſmi brevi evanuerunt. Cum cereviſiam ferre nequeat, aquam potat incocto cinamomi cortice corretam, & vinum, juncto ad promovendam ventriculi concoctionem & chylificationem elixire amaro balſamico è ſpeciebus, quas annotavit Illuſtr. Dn. D. Hoffmann in not. ad Poter. p. 186. c. vino malvatico alcaliſato concinnato. Poſt Octobris medium ex improviſo dolores lumborum & inguinum adorti ſunt, ſub quibus cum ſeri cruenti profuſione ſubitanea molecula mucoſa compacta rejecta fuit è locis uterinis. Atque iſthæc dubio procul nil aliud, quam rudimentum molæ iterum futuræ fuit, bono ergo fato tam cito ex

utero relegatum. Hoc nunc tempore optime valet, &, quod olim nunquam contigit, bene ingerit, digerit & egerit, nullas nisi & vel ab odore cerevisiæ, sentiente stomacho molestias, & regione hypogastrica jam pedetentim intumescente. Benedicat ergo DEus O. M. porro matronæ istius graviditati, arceat cuncta pericula & ab ipsa & à fœtu, huncque suo tempore vivum, salvum ac incolumen ex uterino jubeat prodire ergastulo, sicque gaudiis in posterum demulceat olim perpessos dolores, pro quorum exoptata mitigatione plenariaque ablatione, sanitatisque reddito beneficio Illi gloria sit in Ecclesia, quæ est in Christo JEsu, in omnes generationes seculi seculorum, Amen!

(*Kausbyræ missa d. 17. Nov. 1731.*)

OBSERVATIO LXXIX.

DN. D. JO. PHILIPPI WOLFFII.

De

Muliere vetula, maculis atro purpureis in toto corpore, hinc hæmorrhagiis vehementibus correpta.

Anno 1726. mense Septembri, mulieri septuagenariæ, temperamenti plethorici, habitus corporis gracilioris, dolore capitis laboranti, die tertio, per *universum corporis habitum maculæ violaceæ* diversæ magnitudinis, ut nonnullæ duodenarium nostratem nummum superaverint, *subito eruperunt;* unde quidem cephalalgia illico cessavit, ast subsecuta est *vehemens narium hæmorrhagia,* prostrationem virium summam inducens; siquidem non guttatim, sed rivuli adinstar sanguis emanavit; paulo post *per alvum quoque stupendam*

dam quantitatem grumoſi primum, hinc floridi ſanguinis excrevit; Hæmorrhagiæ itaque tam vehementi ſyncope ſupervenit. Ego tunc in auxilium vocatus, ſtatim magnam monetam argenteam, frigidiſſimam, fronti fortiter imprimendam ſuaſi, & potiunculam adſtringentem, liquoremque ſtypticum per nares attrahendum ordinavi, quo facto hæmorrhagia non ſolum remiſit, ſed & ſyncope ceſſavit, pulſusque antea debilis nunc fortior deprehenſus eſt; die ſubſequente eſſentiam diſcutientem, & diætam convenientem præſcripſi, unde vires redierunt, maculæque maximam partem diminutæ, violaceum colorem in rubrum mutarunt, donec paulatim omnes evanuerunt; Anus vero hæc in ſextum nunc annum exoptata ſanitate fruitur.

OBSERVATIO LXXX.

DN. D. JO. PHILIPPI WOLFFII.

De

Polypoſis concretionibus per vomitum rejectis.

Anno 1727. dies 20. Julii Vietori 50. annorum, iræ, vini ejusque ſpiritus potui admodum dedito, & à longo jam tempore *epilepſia* ſæpius correpto, medicaſter venæſectionem, ſanguinisque emiſſi calidi adhuc potum commendavit, quo facto, ipſa die illa *epilepſiam* paſſus eſt, die 28. menſ. ejusdem *inſultus epileptici*, prioribus longe vehementiores eum invaſerunt, imo *vomitus* ſubſecutus eſt *cruentus atque grumoſus*; fruſta vero admodum grandia tenaciaque fuerunt, aqua ſimplici elota, *concretiones polypoſas*, albicantes oculis objecerunt, quæ proculdubio à ſanguine viſcido largiter hauſto, quem nimius ſpiritus vini potus coagulavit, ortum duxerunt,

runt. Hoc vero facilius accidere potuit, quo debiliores laxioresque fibræ ventriculi fuerunt. Patiens equidem tunc restitutus videbatur, sed epilepsia propter iracundiam & Bacchum indies increvit, ut anno secuto animam in ipso paroxysmo efflaverit.

OBSERVATIO LXXXII.

DN. D. JO. PHILIPPI WOLFFII.

De

Puero, per tres menses aphonia laborante.

Anno 1728. die 24. Augusti puer decem annos natus, & mense April. a. c. *morbillis* laborans, morbo decrescente, morbillisque evanescentibus, *sudores frequentes* habuit, sed aëri liberiori frigido humidoque se se negligenter vestitum exposuit, unde sudores repulsos *raucedo*, hanc *loquelæ privatio* excepit, ita, ut per tres integros menses ne verbum quidem auditu percipiendum proferre potuerit, conquestus de incommodo, globuli instar in faucibus hærente, tum & de siccitate oris; sudor antea frequens in totum cessavit; quamobrem, ut glandulæ obstructæ abstergerentur, & reserarentur, sæpius pilulas è succino Cratonis & polychrest. Beccheri cum Mercurio dulci paratas præscripsi, quas aliquot dies sumsit: deinde vero ut transpiratio promoveretur, tincturam Antimonii tartarisatam cum essentia pimpinellæ albæ, & scordii ordinavi, potumque Theé commendavi; & hæc quidem usque ad 24. Septembris continuata fuerunt, quo tempore vocem claram ad votum patiens recuperavit.

OBSER-

OBSERVATIO LXXXII.

DN. D. JO. PHILIPPI WOLFFII.

De

Calculis per alvum excretis.

Anno 1730. menſe Februarii, Literati cujusdam Viri officio publico hic loci fungentis, uxor 33. annorum, antehac ſanguineo temperamento prædita, quinque abhinc menſibus febri quartana laborans, eam ope corticis Chinæ ſuppreſſit, ex quo non ſolum mœror animi continuus cum metu mortis conjunctus, ſed & anguſtiæ præcordiorum, tenſiones vagæ thoracis, dorſi artuumque, cum ructibus nidoroſis & flatibus ſæpe retentis, ſubſecutæ ſunt, ita quidem, ut per multas noctes plane inquietas, in conclavi decurrens, transegerit, os continue per 18. menſes viſcido ſalſoque ſero repletum fuit; ita vero tandem malum increvit, ut fere in deſperationem degenerare viſum fuerit, præſertim cum de rebus certiſſimis, in lacrymas effuſa dubitaverit; fluxus menſtruus per aliquot menſes neutiquam ſucceſſit; Quibus ita conſtitutis, *magnam copiam calculorum figura lapidibus carpionum ſimili*, *per alvum*, absque ullis doloribus *excrevit*; quorum aliquot aëri liberiori expoſiti in exiguas collapſi ſunt particulas, alii flavéſcentes, alii albi, uno eodemque tempore tamen excreti fuerunt, centrum fuſcum, pars intermedia flava, peripheria in quibusdam alba, in aliis flava, ubique tamen eboris inſtar polita fuit; Præter me alios etiam in hoc moleſto gravique malo conſuluit Medicos, inter quos unus quidam eos eſſe ſuppoſitos contendit; hunc vero erraſſe, paulo poſt de novo excluſi *lapides*, eorum textura, materia haud facile imitabilis demonſtraverunt; Patiens tandem ab omnibus ſymptomatibus liberata, utero concepit, & nunc bene ſatis ſe habet.

(*Suinfurto Altorfium miſſæ, d. 12. Nov. 1731.*)

OBSERVATIO LXXXIII.

DN. D. J. G. G.

De

Colore quodam coccineo, ex ligno Fernambuci elicito.

Duo imprimis sunt, quæ ad justa sua desideria referunt pictores: Ut nempe primo colores habeant, quibus ea quæ depingere student, optime exprimere valeant, secundo ut colores isti caro non nimis constent pretio. Junctas vero ambas hasce conditiones intelligunt: De priori enim vix eos queri audias, sed posterior sæpe molestiam affert.

Caritas *Ultramarini*, auro fere pretiosioris, & *Carmini*, argentum pretio longe superantis, non paucos deterret à coemtione horum pigmentorum; cum tamen ii principes sui generis facile in arte pictoria habeantur: Unde iisdem destitutæ negliguntur picturæ, quæ alias elegantia sua ipsæ sibi splendorem & pictori gloriam comparare potuissent.

Sed, quod ad *Ultramarinum* attinet, omnis ademta est querendi materia per nuperum *Ill. Societatis Regiæ Berolinensis* inventum *coloris* cujusdam *cærulei*, anno 1710. in Miscellaneis ejus divulgati, qui pretio multum viliori ac Ultramarinum comparari potest, ususque hactenus præstitit egregios; quod vel ex eo patet, quia nullum fere pictorem eo nunc carere videas. *Coccinei* vero *colores* similem fortunam non experti sunt. *Carmino* ii semper exprimi debebant & unice poterant. *Lacca Florentina* & *Viennensis*, uti vocantur, ad violaceum tendunt, at *Cinnabaris* & *Minium*, licet magis ad coccineum vergant, cum oleo solum, non vero cum aqua commode permisceri queunt.

Hisce

Hiſce vero cauſis permotus, ut de ſupplendo paulisper tanto cogitarem defectu, combinandas eſſe credidi *Laccarum* ſupradictarum & *Carmini* præparationes, videndumque, annon ex proba conſideratione eorum *tertius quidam* produci poſſet *color*, laccis iſtis pretio non multum ſuperior, à *Carmini* vero colore coccineo parum abludens, ſpe, uti exiſtimo, non omnino fruſtranea.

Laccas ordinarias parandi modus hic eſt: Fit *Decoctum ligni Fernambuci* cum aqua ſimplici, adjiciendo aluminis crudi plus minus, prout color plus vel minus ſaturatus deſideratur, *plerumque tamen dimidia pars aluminis ad unam partem ligni inſumitur.* Ex hoc decocto pro diverſa præcipitantium indole elegantia ſua diverſi prodeunt colores. Cum lixiviis alcalium fixorum, vel coagulo illo pultaceo, ex aluminis quinque & ſalis alcali fixi octo partibus in aqua ſimplici ſolutis prodeunte, *Lacca Florentina* oritur. Cum volatili quodam alcalino ſpiritu, aut ſubſtituto in ejus locum lixivio quodam volatili, ex calcis vivæ unc. xvj. ciner. clavellat. unc. iv. ſal. ammoniac. unc. iij. cum aquæ ſimplicis ſufficienti quantitate excoctis parato, *Lacca Viennenſis* prodit. Elegantem quoque Laccam parare docet *Antonius Neri* ex lana, ligno Fernambuci tincta & lixivio cuidam alcalico incocta, ope aluminis præcipitandam, qualis modus & *Jo. Kunckelio* probatur. Reliqui modi, quos eodem loco *Kunckelius* memorat *Laccarum* conficiendarum, ex *Cochenilla* prodeunt; Pulcri ſunt ſed & pretioſi.

Pro *Carmino* acquirendo aquæ cujusdam mollis, per filtrum in infundibulo vitreo trajectæ, libræ decem cum dimidia p. c. in vaſe ſtanneo coquuntur, fervidæque aquæ properanter injicitur *Cochenillæ* unc. j. diligenti agitatione cum ſpatha ex abietino ligno conſtructa, aquæ probe intingenda. Poſt tria circiter ab injectione *Cochenillæ* minuta adduntur *aluminis rubri gr. xvj.* (ſed aliquando cum gr. XL. idem etiam

succesſiſſe novi) agitando feſtinanter & continue. Poſt duo prope ab injecto alumine minuta, vaſculum ab igne removeatur. Ubi frigefacta fuerit materia, faciemque præ ſe tulerit coaguli lactis ſuper ſero natantis, certa ſpes eſt *Carmini* accipiendi. Materia ita conſtituta cum cochleari ſtanneo in plures pateras ex porcellana conſtructas hauriatur, ubi ſepoſitis pateris *Carminum* in earum fundo & lateribus poſt aliquot dies adhærere obſervabitur, quod poſteaquam aqua reſtitans effuſa ſit, linteo quodam ex aqua recenti madefacto abſtergatur & moderato calore exſiccetur. Præcipua cautela eſt, ut *vaſa* ad excoctionem hujus coloris neceſſaria adhibeantur *ſtannea pura*, nec ullo alieno corpore imbuta. Sunt certe adhuc multæ cautelæ obſervandæ & plures, quam quæ hic deſcribi queunt. Sin vero aliquas evitare quis cupit, adhibeat eam præparationem, quam ex *Hombergo* tradit *du Hamelius* Hiſt. Acad. Reg. Sc. ed. Paris 1701. L. IV. S. VI. C. II. §. 5. ſed ſplendidiorem exhibet noſtra deſcriptio colorem.

Ex hiſce, quæ de *Laccis* & *Carmino* memoravi, conſtat, diverſos pro diverſitate præcipitantium elici colores. *Alumen* in quavis præparatione adhiberi ſolet, quia ejus terra colorem rubrum vel ex *Fernambuco* vel *Cochenilla* extrahens, in *Laccarum* productione cum liquoribus alcalicis, in *Carmini* vero confectione, ope ſtanni præcipitata baſin quaſi præbet coloribus iſtis. Id & in Neriana præparatione evidens eſt. Lana colore *Fernambuci* tincta, & lixivio alcalino ſoluta, per acidum aluminis, alumini inexiſtens, cum terra aluminis ſimul præceps datur.

Cum vero liquores alcalini violaceum ſemper produxerint colorem, ſtanni effectus hic maxime conſiderandos eſſe credidi. Ut autem ſumptibus parcerem, *ſubſtituendum judicavi Cochenillæ idem lignum Fernambuci, præcipitandum ſaltem non cum alcalino quodam, ſed ſtanneo corpore.*

Varia

Varia igitur experimenta inſtitui, ob prolixitatem hic non recenſenda, quibus meo potiri propoſito ſtudui: Sed diu eventu non adeo proſpero. Palmarium erat, digerere *decoctum Fernambuci*, cum alumine factum, cum ſtanno; Speravi enim fore, ut acidum aluminis ſoluturum ſit ſtannum, (præter id enim, quod in *Carmini* præparatione manifeſta contingat ſtanni ſolutio ab acido aluminis, aliis etiam mihi notum eſt experimentis, acida vitriolica non exiguam in ſtannum potentiam habere) indeque præcipitatum iri terram aluminis cum rubro, quo tincta eſt, *Fernambuci* colore. Sed vix tale quid obſervare potui, ut tandem opus eſſe judicaverim, ſtanno aliquid addere, per quod majorem acidum aluminis virtutem illud ſolvendi acquirat, ut talis præcipitatio contingat, qualis e. g. cupri à ferro. Acida nitroſa in promtu erant. Inde hoc prodiit experimentum, facile ei comparandum, quod *Jo. Kunckelius* l. c. cum *Cochenilla* inſtituendum expreſſis verbis innuit.

Ligni Fernambuci libram unam cum aquæ fontanæ quantitate ſufficienti excoquebam, addendo ſub initium coctionis *aluminis* unc. quinque. Solvebam porro *Stanni* quantitatem pro lubitu aſſumtam in ſufficienti quantitate aquæ fortis, ea encheireſi, ut ſolutio tranquille, non vehementer contingeret, ne ſcilicet ſtannum vix ſolutum ſponte ſua rurſus calcis forma præcipitaretur. *Decocto Fernambuci paucas inſtillabam ſolutionis Stanni guttas, hac nimirum quantitate, donec turbidum plane decoctum, quod antea pellucidum erat, deprehenderem. Et in quiete aliquantum relicto vitro præcipitatum rubrum elegantiſſimum, coccineo ſuperbiens colore, ſubſedi ſſe animadverti, quod multa aqua edulcoratum exſiccavi. Siccatum illud (ne quid ſileam) pauxillum ſplendoris ſui amiſit, attamen in coccineum magis, quam violaceum tendebat colorem, uti nimirum in votis erat.*

Illud ergo pictoribus tradere consultum duxi, ut tentamina cum eo instituendo de usu ejus certi quid pronunciarent. Prædicata hæc fuere: *Præstantissima Lacca est, idque præ aliis peculiare habet, quod Carmino variis occasionibus substitui possit. Oleo & aquæ permisceri se patitur.* Picturæ illi, quæ *miniatura* audit, optime inservit. Et quæ plura sunt.

Jam innui quædam de productione hujus coloris theoretice, hæcque specialius saltem dicenda erunt: stannum acido nitroso solutum, accedente acido vitriolico præcipitatur, sique acidum vitriolicum prædominetur, præcipitati aliqua pars iterum solvitur. Ubi acidum vitriolicum terram quandam solutam tenet, hoc post actionem ejus in acidum nitrosum præcipitatur; Sique acidi nitrosi pars superfit, solvet ea terram acidi vitriolici jam præcipitatam. *Quodsi ergo stanni solutio, aqua forti facta, cum decocto Fernambuci aluminoso confundatur, acidum aluminis huic decocto inexistens præcipitem dabit Jovem & terra aluminis colore Fernambuci tincta simul præcipitabitur.*

Fluunt exinde quædam, quæ attentionem merentur. *Si alumen abundet, multa sed vilis Lacca producitur; Si nitrosum acidum, ea in admodum exigua quantitate obtinetur.* Utrumque experientia comprobatum est. In priori enim casu, etsi pauxillum stanni iterum solvatur, omnis tamen terra aluminis præcipitabitur, hæc vero ad colorem coccineum producendum non tam valet ac stanni corpus. In posteriori casu, nitrosum acidum solvet terram aluminis & colorem ei adhærentem, & omne id decedet quantitati Laccæ speratæ. *Hinc egregia cautela est, ut post factam præcipitationem, quæ turbido se prodit calore, mox multum aquæ communis affundatur. quæ filtratione mox separetur, addita subinde alia, ut salibus residuis omnis in colorem adimatur potentia.* Hac cautela observata, non contemnenda quantitas *Laccæ* modo descriptæ obtinebitur, *major* tamen adhuc, *nec multum vilior, si ad libram* j. *Fernambuci aluminis unc.* xij. *sumantur.*

Con-

Constat ergo *Lacca* nostra *Terra aluminis, colore Fernambuci tincta & calce stanni.* Placuit aliorum metallorum solutiones stanni solutioni substituere, sed licet præcipitatio successerit, eo tamen colore præcipitatum non tinctum erat, quali à stanno. Sola *plumbi solutio* non multo alium visa est præcipitato induxisse *colorem*, sed *paulo* tamen *obscuriorem.* Ea vero æquali portione cum stanni solutione mixta eundem ad sensum procreavit colorem, quem stanni solutio sola. Si post injectam *decocto Fernambuci* aluminoso solutionem stanni, alcalia volatilia instillata sunt, præcipitatum ad violaceum inclinans cernebatur. Hæc omnia conjecturam meam egregie confirmant.

Percepi à peritis quibusdam pictoribus, *Carminum* etiam sine alumine, modo quodam artificioso obtineri posse. Hinc id applicare studui in *Laccam nostram.* Præcipitavi etiam ex *decocto Fernambuci* sine alumine facto, ope liquoris stanni sine ulla encheiresi Laccam omnium elegantissimam, sed quantitate satis exigua. Mallem fere ut spe mea frustratus fuissem, cum qui hæc præcipitatio contingat, difficilioris sit indaginis. Lux tamen aliqua accenditur ex observatione, quam ipsa hæc præcipitatio suggessit. Si solutio stanni multa aqua diluatur, vix fere magna quantumvis quantitate *decocto Fernambuci* instillata præcipitationem efficiet. Sola dilutio solutionis stanni, hujus phœnomeni causa manifesta est. Salia inde magis distributa & dispersa fuere. Sed si ea, ut salina corpora alias in aliis casibus, præcipitationem *coccinei coloris* efficerent, hæc dispersio nil impediret: Probabile ergo mihi videtur, aquam, quæ subtiles Fernambuci coloratas particulas aliquo modo solvit, affusa stanni solutione lubentius salibus se associare eoque ipso dimittere particulas suas coloratas.

(Petriburgo Altorfium missa d. 16. Nov. A. 1731.)

OBSER-

OBSERVATIO LXXXIV.

DN. D. JO. GEORGII HASENESTII.

De

Singulari & saluberrimo Vesicatoriorum usu.

Vesicatoria in morbis, ab acri lympha & sero oriundis, egregii & sæpe stupendi effectus esse, nemo, testantibus idem innumeris Medicorum observationibus, negabit. Inprimis *convulsiones infantum* pertinaces diuque durantes *vesicatorium umbilico adplicatum*, ad miraculum sedasse, non solum ex illustris & nunc beati *Joh. Maur. Hoffm.* Colleg. Practici MSti Cap. XXI. de morbis puerorum supremi ventris agente, didici, quando ait: „ Mirandæ insuper efficaciæ est „Emplast. vesicator. parte anatica aut dupla theriacæ mix„tum, & umbilico, quousque rubedo exterius adpareat, vel „vesiculæ emergant, impositum; sed & propria iterataque experientia veritatem dicti amplius mihi, cum in filiola mea, viginti circiter tunc septimanarum, ante 14. annos, tum etiam in alio puerulo ¾. annorum, ante 5. annos, confirmavit. Filiola statim à partu, continuo sub clamore vehementibus laborabat torminibus, per plures septimanas, nullo remedio externo vel interno sopiendis, potius in *convulsiones* denique degenerantibus, adeo atrocibus, & indesinenter per ttes integros dies noctesque urgentibus, ut vix tempus respirationi reliquerint ipsi, & externis, licet nonnunquam quiete concessa, artubus, internæ tamen partes continuo agitatæ fuere. Sic ego frustra omnibus adhibitis, incidi in supra dictum *Experimentum Hoffmannianum*, quo mox, quam primum cuticula in altum fuit sublata, *convulsiones ad miraculum usque cessarunt*, & filiola pristinæ sanitati, Deo sint laudes! fuit restituta,

stituta, & nunquam amplius convulsionibus, licet variolis, morbillis & febre miliari laboraverit, tentata.

Pari modo puerulus supra dictus sæpissime agitabatur clamoribus, nec non *convulsionibus* ultra duos menses alternantibus, & quidem ultimis, paroxysmis juncta una *asthmate convulsivo* tanto, ut parentes mortem nullo modo evasurum crediderint puerulum; sed ecce! *vesicatorium umbilico adplicatum* inopinato ex orci faucibus, Deo favente, illum redemit, & ita immunem hujus morbi reddidit, ut nunquam amplius illo ad hunc usque diem tentatus fuerit, unica excepta eaque salutari vice, ante variolarum scilicet eruptionem, anno præterito.

Quas hic protuli observationes, confirmat etiam supra laudatus Dn. D. *Hoffmannus*, B. Dn. Parentis sui experientia, in Mantissa observationum selectiorum, *Ephem.* A, N. C. *Cent.* IX. & X. Appendici inserta, pag. 465.

Quantum usum præstiterint in *Variolis*, vel ex materiæ morbificæ nimia abundantia, vel ex naturæ segnitie difficulter erumpentibus, *vesicatoria* ad suras adplicata, multiplici habeo comprobatum experimento; & quidem A. 1723. Nobilis quidam adolescentulus IX. annorum, ultra 5. dies jam variolis adparentibus saltem laborare incepit, sub his autem ulterius progredi recusantibus, *convulsiones & furor* adeo urgebant per tres dies, ut rigidus semel factus, à duobus immo tribus viris adstantibus vix lecto rursum imponi aut flecti potuerit; quamprimum autem *vesicæ in pedibus fuere excitatæ*, en! ægrotans tranquillus factus ad se rediit, & *Variolæ* affatim quasi uno impetu explosæ in conspectum magis venire, increscere & ordinate feliciterque procedere inceperunt, Nobili adhuc superstite & integra sanitate fruente. Hanc meam curandi rationem postea comprobatam reperii in *Actor. Medic. Berolin.* Dec. II. Vol. III. N. 7. pag. 94. & seqq. & adhuc magis confirmatam anno præterito, mense septem-

bris habui, postquam in pago **Marckt burgbernheim** balneatoris filiolum VI. annorum, *variolis* gravissime laborantem curandum accepi: hic tribus continuis diebus *convulsionibus* agitabatur, *Variolis* quidem instar purpuræ rubicundæ minimæ conspectui se offerentibus, nullo modo autem increscentibus; Has *vesicatoria pedibus adplicata* mox provocarunt, & licet quarto & quinto die larga hæmorrhagia narium accesserit, nec non duodecimo die purpura alba totum corpus occuparit; attamen in integrum fuit restitutus; quam restitutionem, divina favente & dirigente gratia, *vesicatoriis* plus quam ulli alii remedio adscribendam credo, ceu quibus nimiæ veneni copiæ exitus quasi paratus, & puerulus ab interna gangræna liberatus fuit.

In retrocessione *aliorum exanthematum*, præsertim in *febre maligna petechizante*, nostræ urbi præterita æstate admodum *epidemica*, quam salutares *Vesicatoria* præstiterint usus, alia forsan occasione referam.

OBSERVATIO LXXXV.

DN. D. JO. GEORGII HASENESTII.

De

Baccarum solani furiosi, seu Belladonnæ effectu, vehementi quidem, ast fere ridiculo.

Anno MDCCVII. die XVI. Aug. cum *Wilhermsdorffii* apud *Illustrissimum Comitem de Hohenlohe-Schillingsfurst*, Archiatri munere fungerer, hora VI. pomeridiana offertur mihi uxor mercenarii Windsheimensis, viginti aliquot annorum, mente capta, & primo intuitu affectu soporoso quodam laborare visa; adstantes apoplexiam timentes celerrimum auxilium urgebant per venæsectionem & medicamenta;

ta; itaque interea, usque dum melius de circumstantiis morbi informarer, propinavi liqu. C. C. succin. cum aquis cephalicis; venæsectionem autem, ob pulsum adeo debilem & tardum intermisi, præcipue cum magis magisque *signa veneni accepti soporosi* mihi innotescerent: Concionator nempe Aulicus loci, in hortum vesperi extra pagum exspatians, in rivo hanc mulierem invenit stantem ad dimidium jam vestibus madidam, & manibus in margine rivi, quasi aliquid quæreret, hinc inde palpantem; hanc concionator ex rivo protrahens secum in pagum duxit, ubi inter eundum torpida hæc ne verbulum ad interrogata respondit, potius instar mutæ & cœcæ caligans, mox concionatoris faciem mox pedes palpavit, & sic etiam in domo valde ridiculos edidit gestus; nunc circumeundo caligavit, nunc sedit, nunc instar lotricis mensæ adstitit, manusque ita formavit, quasi è labro aliquid lavandam acciperet; nunc videbatur manu supra mensam pecuniam numeratam colligere; nunc gestus formabat edentis, nunc bibentis, & quando ipsi quid medicamenti porrigeretur, maxillas adeo firmiter conclusas tenuit, ut vix stylo cochlearis ligneo aperiri potuerint; videbatur insimul omnibus sensibus præcipue externis privata; Ex hisce mox *venenum* & quidem *soporiferum*, phantasiam turbans latere declaravi, & ideo è momento *vomitorium* ex Tartari emet. gr. ij. & sacch. alb. gr. vj. propinavi; hoc vomitorio infuso, meque adstantes interrogante, an nemo illam adhuc sanam in itinere comitatus fuerit, & fortean in agris aliquid incongrui forte forfortuna inventi edentem viderit; accedit hospita loci & refert: mulierem hanc à meridie advenientem, de cardialgia conquestam fuisse, culpamque in *baccas nigricantes*, in sylva Lindensi ultra X. numero comestas conjecisse, vinumque ustum bibisse, ac mox iter Noribergam versus fuisse prosecutam. Interim vomitorium effectum edere incepit contrarium, per alvum scilicet largiter binis vicibus operando; non minus

autem ægrotans, dum usus liqu. C. C. succin. cum aqua cephalica, post hanc alvi solutionem fuit continuatus, hora nona noctis obdormire, & versus mane sensim sensimque per intervalla ad se redire, nec non loqui incepit, ita ut sequenti die me invisentem non solum noverit, sed etiam interrogata (aliena licet sæpe intermiscendo, & quasi somnolenta murmurando respondent, simul æstum internum præsentem accusans; quem in finem ipsi etiam mixturam absorbentem nitrosam præscripsi, & jussi largiter decoctum scorzoneræ, interposito usu cerevisiæ calidæ butyro permistæ, oxygalæque bibere; quo, post meridiem mente in totum serenata, locum comestarum *baccarum* designavit, quem é momento petii & *fruticem* reperii *solani furiosi*, vel ut alii nominant, *melanoceraſi*, seu *Belladonnæ*, *baccis*, profecto instar ceraſorum majorum nigricantibus & splendore suo appetitum avidissime allicientibus; quem fruticem, una cum baccis allatum, ægra statim agnovit & asseveravit esse illum fructum detestabilem, quo delectata, morbum, immo fere mortem sibi contraxerit. Die XVIII. Augusti ipsa ad me accessit & de convalescentia me certiorem fecit, saltim aciem oculorum adhuc adeo obtusam, ut typis expressa nondum legere possit, nec non magnum ardorem circa regionem ventriculi præsentem querens, quem in finem ego ante ordinata potulenta continuare, & decocto scorzoneræ, rasuram C. C. addere jussi, unde in totum, divina assistente gratia, restituta, adhuc vivit, & ante paucos annos denuo mihi, quod tunc temporis illam morti imminenti eripuerim, persolvit gratiam. Ex hisce circumstantiis autem satis superque elucescit, *Venenum Solani furiosi plus sulphuris possidere expansivi, soporiferi, phantasiam turbantis, quam salis corrosivi, gangrænam excitantis, & multum, quoad effectum, convenire cum virtute seminis Daturæ.*

(Neostadio ad Aysum missa Norimbergam d. 18. Nov. 1731.)

OBSER-

OBSERVATIO LXXXVI.

DN. D. GEORGII ERHARDI HAMBERGERI.

De

Singulari impedimento respirationis, â vulnusculo mylo- & genio-hyoidei musculorum.

PUer, circiter sex annorum, stans post sellam, ab alio ita *globulis plumbeis* transfoditur, ut brachia tantum & manus læderentur, & *unicus in medio maxillæ inferioris sinistræ proxime infra, in fauces penetraret;* penetrasse vero globulum in fauces, sanguis arteriosus ex ore profluens manifestabat. Ipse tunc ægrotum nondum videram, nec hic læsionis locus mihi destincte satis relatus erat. Referebant altero die adstantes, calorem majorem cum *respiratione difficili* adesse, cujus respirationis difficilis rationem tunc ex calore majore derivandam putabam. Tertio die refertur, calorem mitiorem quidem factum esse, difficilem respirationem perdurare, imo graviorem fieri. Quarto die *ronchum* audiri perhibent, suffocationemque semper metuendam esse, præcipue si puer ploraret, imo interdum animi deliquia accedere. Cum igitur *ronchi*, & suffocationis imminentis causam invenire haud possem, ipse quinto die in pagum, ubi erat ægrotus, abii, ibique annotavi, 1) *non ronchum, sed sibilum audiri, quoties inspiratio fiebat;* 2) *cartilaginem thyroideam multum, durante respiratione qualibet, descendere*, 3) cumque puer me chirurgum crederet, qui globulos plumbeos extrahere vellet, hincque ploraret, durante ploratu, quoties inspirabat, cartilaginem thyroideam *ad sternum fere usque* descendere, & simul *versus dextram trahi,* cum summo respirationis impedi-

mento, & suffocationis metu: 4) *Musculos abdominis constanter strictos*, & abdomen quasi compressum, apparere, ita *ut, nullo tempore inspirationis, abdomen vel tantillum intumesceret*, costas vero vehementer moveri: 5) Vulnera fere omnia jam consolidata esse.

Locus vulneris manifeste monstrat *musculum mylohyoideum perforatum esse*, sed ex hujus tantum læsione tantum cartilaginis descensum intelligere nequeo, *hinc & geniohyoideum læsum fuisse credo, tanto lubentius, cum globulus plumbeus in cavitatem oris penetraverit, nec tamen in ore vulnus observari potuerit*, hinc ut profundum fuerit & in parte linguæ posteriore hæserit, necesse est; mylohyoideo vero una cum geniohyoideo abscissis, tametsi per integras fibras cum osse hyoideo adhuc cohæserint, facile conceditur, *musculos sterno-thyroideos, sterno-& coraco hyoideos, semper magis deprimere debuisse cartilaginem thyroideam, &, mylohyoideum dextri lateris, eandem magis versus dextram traxisse, hinc glottidem magis coarctatam fuisse, quam pro sufficenti aeris immissione necessarium erat, unde respiratio difficilis & cum sibilo.* Imo tam ille aer qui in pulmones penetravit, quia pulmonum descensui musculi læsi decenter resistere non possunt, descensum laryngis promovebat, quam iste, qui in glottidem angustiorem penetrare non potuit, tametsi spatium in pectore ab aere fuerit vacuum: premit enim aer versus istud spatium pectoris vacuum, hinc laryngem quoque deorsum pellere debuit: maxime quoque rationale est, si pectus in hoc ægroto tantum qualibet inspiratione dilatatum fuisset, quantum ordinarie fieri solet, depressionem laryngis tantam sequuturam fuisse, quam proxime suffocatio excipere debuerit: Quo major enim dilatatio pectoris, eo minor resistentia circa pulmones, ergo eo major impetus aeris externi, tam in pulmones non sufficienter sustentatos, (hinc eo major depressio & angustatio glottidis) quam versus ipsas laryngis car-

cartilagines, quia per glottidem non sufficienter admittitur, intus vero nihil, & à parte superiori musculi læsi parum, resistunt. Hinc quoque fieri solebat, quod, ad ploratum suffocatio fere instaret; in ploratu enim respiratio quasi convulsiva esse solet, hinc, cum pectus breviori tempore & ad majus spatium expanderetur, quam extra ploratum, aër vero, ob angustiam glottidis tanta quantitate in pulmones & tam brevi tempore penetrare haud potuerit, ipsos pulmones & cartilagines laryngis majori gradu deorsum pellere debuit. Sed non potuit in hoc ægroto tantum, vel tanta celeritate, expandi pectoris cavitas ac in statu naturali, quia expansio thoracis naturalis quoque fit per diaphragmatis descensum, hujus vero descensum abdominis motus versus exteriora sequitur, cui aër resistere potest, & in hoc ægroto resistere debuit, quia pulmones non sufficienter expansi, descendentis diaphragmatis spatium derelictum occupare non potuerunt, vis vero diaphragmatis tanta non est, ut sola totum pondus aëris abdominis incumbentis, superare posset. Musculi igitur abdominis, ab aëre externo, perpetuo introrsum, & diaphragma sursum, premebantur, quo ad spasmum sunt concitati, qui *respirationem* adhuc magis reddidit *difficilem*. Adfuisse vero *spasmum*, tam minor difficultas respirationis in principio morbi & quod quinto die demum concitata facta sit, quam celer & salutalutaris eventus, post adplicatum abdomini ol. paregor. Wed. & faucibus electuarium, ex syrupis & conservis traumaticis & temperantibus compositum, suadent; *Quinto enim die circa vesperam applicabantur remedia, & sexto mane multum magis libera erat respiratio, imo octavo die plane naturalis*; emollitis enim musculis abdominis, qui forsitan una cum diaphragmate, spasmodice erant affecti, cessabat spasmus, hinc dilatatio pectoris lente magis fieri, aërque tarde & sufficiente quantitate intrare, hinc absque laryngis depressione notabili pulmones dilatare potuit; musculi igitur ossis hyoidis læsi magis

jam

jam quieſcentes, brevi conſolidari potuerunt per electuarium traumaticum, ut ſic brevi tempore ſanitas rediret. *Ex hoc caſu hunc potiſſimum uſum phyſiologicum diſco, muſculos mylo- & genio-hyoideos reſpirationi quoque inſervire, laryngem in loco ſuperiori, glottidem ſatis patentem, & aëris liberiorem motum per laryngem conſervando.*

(Jena Altorfium miſſa M. Novembr. A. 1731.)

OBSERVATIO LXXXVII.

DN. D. JO. SEBASTIANI ALBRECHT.

De

Lapidum Jnd. Serpentis, & Hyſtricis natura & Antipathia.

UBeriori doctorum Virorum induſtriæ, & curioſæ indagini commendo, ut experiendo palam fiat, an & idem, & eodem modo, & ſemper contingat, quod mihi contigit in obſervanda *mirabili plane antipathia duorum* rariſſimorum *lapidum*, *Lapidis* nempe *Serpentis*, quem *Pietra di Cobra de Capelos*, & *Lapidis bezoardici Porcini, ſeu Hyſtricis*, quem *Piedra di Puerco* Luſitani vocant. Luſtrum abiit, quo ex Indiis Amicus quidam, nomine *Gardner*, qui in Inſula Zeylon ultra triginta annos Batavorum ſtipendia meruerat, in muniendis caſtellis, in primis vero Colombo: Is ubi perluſtravi mea, qualiacunque rerum naturalium collectanea, utrumque modo nominatum lapidem, cum multarum virtutum elogio, quo apud Indos æque ac Europæos celebrantur, dono benevolentiſſime conceſſit, ab extremis quaſi finibus mundi allatos. Utrosque itaque in una ſcatula lignea, ſingulos tamen tenui chartæ involutos, curioſe aſſervatos ſepoſui integros, ab omni labe immu-

immunes. Aſt paucos poſt dies cum eosdem repeterem, cum deſcriptione variorum hiſtoriæ naturalis ſcriptorum conferendos, en! non ſine magna admiratione *lapidem, bezoardicum Porcinum in minutias diſruptum; lapidem vero ſerpentis integrum adhuc reperi.* Data hac occaſione, non incongruum eſſe judico utriusque lapidis mei exactam dare deſcriptionem, quia omnis fraudulenti artificii ab iis procul abeſt ſuſpicio, quæ alias nos cautos eſſe jubet in judicandis, & adhibendis peregre ad nos delatis ſimplicibus: Quid enim auri ſacra fames mortalia pectora non cogit? Quod itaque ad Lapidem *Piedra di cobra de Capelos* attinet, eſt ille, quem poſſideo ponderis, ℈j. figuræ ovalis, longitudinis $\frac{1}{12}$. latitudinis $\frac{1}{24}$. pedis Pariſini, inſtar fructus dimidiati Phaſeoli, in una parte convexus admodum, in averſa vero parum concavus, coloris cinerei cum maculis obſcurioribus, nigricantibus, ſubſtantiæ rarioris, inſtar oſſis aridi, & poroſi, qualem etiam ſiſtit *Franciſcus Redi* Experim. Natural. p. m. 4. figur 5. Duplicis eſſe originis, alium *artefactum* ex mixtura quadam bezoardico-terrea, alium *naturalem* magis, artifici tamen manu in hanc formam redactum ex oſſe cranii *ſerpentis Cobra de Capelos* dicta, meumque ultimi generis eſſe, ſancte aſſeruit Amicus iſte, hoc etiam affirmans, viribus artificialem, & naturalem non differre; reperiri nempe in Inſula Zeylon plures *terras*, quæ ea vi polleant, ut vulneribus ſerpentum morſu inflictis appoſitæ adhæreſcant firmiter, donec omne venenum extraxerint, ut adeo incolæ, ob remedium veneno opponendum, paſſim obvium, vix timeant ictus ſerpentum, alias lethales futuros. Cæterum de virtutibus hujus lapidis plura commemorant *Kircherus, Bayle, Redi, Charleton* in Excercit. de animal. *Lemery in Diction. des drogues ſimples.* Mihi vero nulla adhuc ſe obtulit occaſio experimenti faciendi, alias non prætermittenda. Ad alterum *lapidem*, nempe *Piedra de Puerco*, ejusque conditionem, quod attinet; Ponderis ille etat ℈ij. ovalis etiam,

& undique convexus, figura, & magnitudine ad avellanam nucem accedens, politæ superficiei, coloris bruno-virideſcentis, quem alii herbaceum nigricantem vocant, ſubſtantiæ ſatis firmæ, ex lamellis, ultra duodecim, ejusdem cum ſuperficie coloris, compactus; in meditullio ſive centro ſuo fructum inſtar Coffeé, pericarpio membranaceo adhuc cinctum, continens; ſaporis terreo-amaricantis; Ipſum non in Inſula Zeylon, ſed in Peninſula Malacca, *in Hiſtricum ventriculis, rariſſime tamen reperiri*, proptereaque in ipſis Indiis magno pretio divendi aſſeruit laudatus Amicus. Quæ relatio utique convenit cum eo, quod plures rerum naturalium ſcriptores, tradiderunt, & inter hos in primis *Lemery* docet, l. c. p. m. 29. de *Bezoar Porci*. Cæterum dirupti lapidis mei caſum eo minus graviter accepi, quo rarius forſan eſt illius exemplum, & quo clarius idem ſimul interiorem ſtructuram ſuam mihi aperuit.

OBSERVATIO LXXXVIII.

DN. D. JO. SEBASTIANI ALBRECHT.

De

Fœtu abortivo, ſcroti virilis nævum in nucha geſtante.

Fœmina viginti & aliquot annorum, ſtaturæ parvæ, temperamenti ſanguinei, habitus corporis admodum ſucculenti, tertium tunc gravida, poſt medium geſtationis tempus, non æque, ut antea, intumeſcente ventre, ordinarium quidem fœtus motum, ſed leviorem, rarioremque ſenſit: conceptionis veræ ſpem amittere cœpit unde aliud quid præter naturam utero ineſſe rata. Nec fefellit ipſam plane opinio.

nio. Namque ſuperato ſeptimo geſtationis menſe, tormina ventris urgebant alvum crebrius cum teneſmo, cujus levandæ cauſa, cum veſperi feceſſiſſet, percepit una cum ſcybalis, ex genitalibus quoque, cum larga hæmorrhagia uteri, prolabentem glomum, qui perquiſitus mola eſſe deprehenditur pugni magnitudine. Continuata nihilominus hæmorrhagia, & tumor ventris non ſubſidens, aliud quid adhuc ſupereſſe ſignificabant. Poſt mediam igitur noctem, denuo ingraveſcentibus doloribus, uti alias in partu familiaribus, ſic etiam neceſſariis, hora quinta matutina appropinquante fœtus demum excludebatur valde monſtroſus; Etenim caput erat deforme propter cranium, non per violentiam partus, ſed aliam præternaturalem forte cauſam, diſtortum, & naſum compreſſum; Artus ſuperiores & inferiores, reſpectu reliqui corporis nimium breves, truncus vero pro ætatis conditione naturali duplo longior. *E nucha dependebat tumor laxus, rugoſus, exacte figuram & magnitudinem ſcroti virilis referens,* linea intermedia, quam *futuram* Anatomici vocant, ſecundum longitudinem æqualiter diviſus. Facta inciſione, præter extimam cuticulam, duplex membrana, altera rugoſa, altera membranoſa obſervabatur, quæ præter quantitatem conſpicuam ſeri rubentis nihil ſolidi continebant, totus vero tumor per ſeptum iſtud intermedium in duas æquales partes ſ. cavitates diviſus reperiebatur. Namque vulnere per forficem inflicto uni parti, ſerum effluxit, altera non detumeſcente, altera vero parte ſimiliter aperta tumor plane ſubſidit, effluxo ſero, ut deinde ſeptum ab utroque latere conſpici optime potuerit. Ulterius ut progrederer diſſecando, neque precibus neq; aſtu impetrare poteram, multo minus ut fœtum in liquore balſamico conſervarem permittebatur. Curioſius autem ſciſcitanti occaſionem tanti illius nævi ac tumoris, puerpera quidem perſuadere volebat, illam forte datam fuiſſe per veſicatoria, pro mitigando dentium dolore, ante aliquot

menſes utrique brachio impoſita; ſed cum tumor neque veſiculas ejusmodi, ab epidermide ſeparata, ſeroſo humore repletas referret, neque in eo ipſo loco eſſet, ubi veſicatoria fuerunt impoſita, illud mihi perſuaderi non paſſus ſum; quare maritum, hominem aperti pectoris, percontatus, ab ipſo comperi, uxorem aliquando in congreſſu venereo ardentius œſtro percitam, in amplexibus mariti liberalius cum ſcroto ejusdem luſiſſe, à contrectante vero mariti manu collum uxoris, imaginatione matris obſtetricante forſitan, nuchæ fœtus annexum eſſe tumorem illum præternaturalem, fœtui nutrimentum debitum ſubtrahentem, quem cum ſocia mola exturbandam ſuſcepit provida rerum ſuarum Natura.

(*Coburgo Altorfium miſſa, d. 25. Nov. 1731.*)

OBSERVATIO LXXXIX.

DN. D. JO. ADAMI GOERITZII.

Rheumatiſmus in latere ſiniſtro, equitando percuratus.

QUinquagenarius, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, ad iram pronus, vitæ ſendentariæ & meditationibus deditus, gravem *coryzam* patiebatur, *cum tenſione dolorifica in nucha & collo*, ita ut caput flectere vix poſſet. Adhibebantur frictiones, fotus, ſuffitus, interne pulvis cephal. A. cum potu Thee. Poſt aliquot dies coryza finiebatur, & æger collum facilius movebat. E contra *dolor* oriebatur *in latere ſiniſtro*, *cum difficili reſpiratione*. Uxor dicebat: es iſt ihm der Fluß vom Kopff herab in die Seite gefallen. Locus doloris erat *ſub coſtis veris, circa diaphragma*. Æger per qua-

quatuordecim dies in nullo latere dormire poterat, ſed vel in ventre, vel dorſo jacere tenebatur. *Dolorem* dicebat eſſe *acutiſſimum*, & quidem ſæpius *pungitivum*, nonnunquam adeo vehementem, ut ſuffocationem metueret. Tentabat interdum recumbere in latus dextrum, ſed mox illi revertendum erat, ob doloris vehementiam: non aliter enim eſſe dicebat, ac ſi quis diaphragma à pleura & muſculis intercoſtalibus detraheret. Ubi autem in latus ſiniſtrum recumbebat, ob compreſſionem partium, dolor ipſi videbatur, ac ſi omnia ibi exulcerata eſſent, hinc empyema vel pleuritidem veram æger ſubeſſe timebat: Ego *rhevmatiſmum* eſſe dixi, ortum à ſtagnatione humorum ibi hærentium, & non empyema, nec pleuritidem veram. Nulla quippe febris aderat, nulla tuſſis, nulli ſudores Pulſus quidem debilis erat, ob appetitum proſtrarum, urina autem ſanorum ſimilis apparebat. Æger adhuc ὀρθοστάδιος erat, libere in hypocauſto ambulabat, longe melius ſe habens, quam in lecto jacens: Sedens in ſella nihil querebatur, ſurrecturus autem, de novo clamabat, idque aliquoties tentabat, donec id efficere poſſet. Idem querebatur ſedere volens: quamprimum enim corpus flecteret ad ſedendum, iterum clamabat, donec id variis modis tentando, ſucceſſive ad ſedendum perveniret. Ego ægrotum bono eſſe animo juſſi, quia nulla ſigna febris aut inflammationis internæ aderant. Interne præſcripſi Miſtur. ſimpl. cum eſſ. alexiph. & ſuccini mixtam, mane cum potu Theé ſumendam. Veſperi cubitum iturus pulverem reſolventem diaphoreticum aſſumebat ex ocul. cancr. Antim. diaphor. cinnab. nat. pp. mandib. luc. piſc. ſang. hirc. & ſale volat. corn. cerv. Externe pars dolens pannis calidis & ſpiritu reſolvente camphorato fricabatur, ſuperimpoſito fotu, ex plantis diſcutientibus. His diligenter adhibitis, dolor de die in diem remiſit. Tandem cum æger iterum libere ſedere & ſurgere poſſet, nondum tamen in utroque latere jacere, rei per-

tæsus, *equum adscendit, & ad milliare unum, extra urbem, ad vicinam arcem citato cursu equitat, ut sudor per corpus flueret. Descendens ab equo melius se habere sensit,* & bono cum appetitu pransus est. *Vesperi lætus equum iterum adscendit,* & pari motu domum properat, tot *succussationibus* humores stagnantes optime resolvi posse sperans. *Redux factus, mox cubile petiit, alteroque die salvus & incolumis surrexit,* nihil amplius plane sentiens doloris hactenus perpessi.

(Ratisbona Altorfium missa, d. 18. Decemb. 1731.)

OBSERVATIO XC.

DN. D. WOLEGANGI HENRICI SCHREY.

De

Calculis renum, linguæ & vesicæ rarioribus.

QUanquam innumera fere *calculorum*, in diversis humani corporis partibus, diverso modo concretorum exempla, cum in *Ephemeridibus Academiæ nostræ*, tum aliis observationum syntagmatibus commemorentur, quorum complura, ὡς ἐν συνόψει recensuit incomparabilis olim Collega noster *D. Georg. Francus de Franckenau*, in egregiis *de Lapicidina Microcosmi* dissertationibus: minime tamen vituperandum existimo, si nova quædam ac singularia exempla, quæ mihi medicinam facienti occurrerunt, illis adjiciam.

Calculus nuper à virgine annosa hujus loci excernebatur: ea nunquam antehac sabulum, multo minus calculi vestigium in matula se observasse, nec circa regionem lumborum, inguinum, aut ipsius vesicæ tensionem, pressionem, urinæ remoram, nec qualemcunque dolorem sensisse serio affirmavit.

mavit. Ipsis autem nonis Septembris a. c. inopinate dolore renali rodente, & pulsante, in dextro inguine tendente, & in vesica premente, cum torminibus circa umbilicum, vomendi conatu continuo stimuloque mingendi infructuoso ita contorquebatur, ut animam statim hanc miseram efflaturam ob intensissimos cruciatus adstantes præsumerent. A me ergo, ut auferrem hunc dolorificum affectum petierunt. Ex enarratis symptomatibus nephriticos dolores adesse cum vesicæ calculo facillime intellexi, hinc corpus externe emollientibus, & anodynis cataplasmatibus, sæpius calefactis, circa locos dolentes applicare, interne vero *tincturam meam lithontripticam*, quæ singularem virtutem in educendis calculis, & saburra tartarea multoties probavit, miseræ huic propinare jussi. Altera die dolores paululum sedatos, urinam vero pertinacissime retentam referebat, quare fomentationes prioribus medicamentis associare suasor fui, inde factum est, ut urina magis excretionem urgeret, quæ etiam magna tandem cum vehementia, & in larga quantitate protrusa, plus quam triginti calculos ad pisi magnitudinem accedentes secum duxit, non sine notabili dolorum levamine. Elapso die uno, & altero, ægra iterum sentit urinæ oppressionem; adhibitis igitur ex priori consilio fomentationibus, *calculum* saltem unicum, insequente notabili urinæ quantitate deposuit. Hic vero *ex innumeris prope minoribus, seminum cannabis, milii, & papaveris forma, concretus*, in altera extremitate acuminatus, admodum durus, asper, coniformis, crassitie & longitudine internodii tertii digiti annularis, coloris in apice crocei, in reliqua superficie subflavi, drachmæ & scrupuli unius pondus post excretionem habuit. Calculi hujus concretio in vesica probabiliter est facta: Quando nimirum in renis pelui generati lapilli una cum urina ad vesicam descenderunt, materia quædam viscida in vesica tunc præsente, alter alteri sensim adhæsit, donec post aliquod tempus satis duram

fir-

firmamque compagem inter se consecuti sunt; minores vero aliquot dies ante majoris hujus exclusionem redditi calculi, in rene dextro, & ejus uretere, sicut ex doloribus regionis illius apparebat, aliquandiu hæserunt. Nil magis miror, quam quod ægra uno momento atrocibus istis doloribus fuerit obruta, cum tamen antea ne minimum tristem sensum perceperit, qui nephriticos alias cruciatus antecedere solet. *Ex hoc casu manifeste demonstrari posse puto, quod generationem calculi, renum inflammationem, & suppurationem antecedere non semper necesse sit, nec saniem exinde ortam calculi concrescentis esse medium conglutinans*, prout quidam Medicorum statuunt; hujus opinionis fundamentum præsens casus plane destruit; ubi enim nullus dolor, ibi etiam nulla inflammatio; ubi non inflammatio, ibi nec suppuratio; ubi cessat suppuratio, ibi & sanies cessat; tamen factus est *calculus ex innumerabilibus minoribus concretus*, & ita in prima fabrica induratus, ut statim post excretionem nec comprimi, nec sine violentia conteri potuerit. Alter, quem describere instituí, *calculus* est triangularis, admodum firmus, minime prorsus, ex compluribus subtilissimis lamellis compactus, & ita induratus, ut quasi gipseus, tamen levis appareat, colore albicante, & superficie glabra splendidus, qui non in ordinaria calculorum officina, sed *sub lingua* cujusdam sutoris hujus loci, *generatus*, curiosam contemplationem omnino meretur. Iste infelix hujus calculi insoliti parens per viginti annorum decursum continua ferme in regione sinistra inferioris maxillæ odontalgia vexatus, nullo remedio, quorum innumera fere adhibuit, à dolore liberabatur. Tandem factum est, ut tumor, neque ad inflammationem, neque ad suppurationem tendens, nec ab initio dolorificus, una nocte ortus, magnitudine ovi gallinacei, externe infra basin maxillæ dicti lateris, versus laryngem propendens ægrum dolore maximo levaverit; Iste tumor postquam successu temporis duriot evasit, ad interiora linguam versus cœpit

pit ascendere, hinc ejus motus liber & naturalis, cum dolore circa venam raninam sinistram punctorio, impediebatur, & fauces, ob musculorum linguæ & pharyngis motum interruptum, in primis tempore deglutitionis, cum loquelæ, & masticationis sensibili incommodo constringebantur. Hæc miserabilis, latrante stomacho, deglutiendi conditio patientem plus, quam dentium dolor reddidit impatientem; medelam ergo quærere coactus consilium iniit apponendi sacculos emollientes sæpius calefactos, maturandi tumoris causa; quibus per diem sic applicatis, vespertino tempore, *sub lingua circa ostium ductus salivalis Warthoniani, prosiliebat calculus*, quem ante quam in conspectum venit, non calculum sed dentem forte prolapsum esse credebat sutor. Deinde vero ipse obstupescens, quid sibi inopinate contigerit, mihi ab initio vix fidem habenti, multis domesticorum idem asserentibus, retulit, simulque foramen prope dicti salivalis ductus orificium, quod sano adhuc hodie luculenter patet, ad oculum monstravit. *Glandulam Warthonianam sinistram*, pro *calculo* formando ex massa sanguinea collectam separasse materiam, & salivalem ad ductum deposuisse, quilibet sine dubio affirmabit; sed quomodo factum fuerit, ut diuturni ac intensissimi dentium dolores una nocte sedati, tumorem excitaverint, cum ipso secuto calculo, majorem attentionem meretur. Mihi saltem probabile est, materiam illam viscidam atque tartaream, in vasis sanguiferis gingivarum & maxillæ, seorsim inferioris, quam illa perforant ac transeunt, motum circularem sanguinis impediviſſe, acrimoniam vero tartaream rodendo nervos, odontalgiam excitasse. Quid ergo mirum, si natura, quæ corporis œconomiæ conservationem intendit, excruciantis doloris pertæsa, motu quodam extraordinario incommoda ista glandulæ Warthonianæ ad evacuandum liberalius insinuavit, illa vero materia circa ductus salivalis orificium forte substitit, interque mu-

sculos hærens cutem flaccidam tumescere fecit; postmodum vero, ubi viscida atque tartarea hæc massa coaluit, atque in calculum abiit, musculis linguæ & faucium liberum & ordinarium motum abstulit, (quod ex deglutiendi difficultate, & loquelæ interceptione colligere licet) ad superiora tandem, & in buccam calculum ascendere irritati musculi coegerunt, quo factum est, ut oris internum integumentum, alias satis firmum, distendendo perforaverit calculus prosiliens. Et hac quidem ratione *varioris illius calculi sublingualis* ortum, incrementum, exitum, & symptomata, breviter, sed tamen haud obscure declarasse me existimo.

Tertius, quem proponere volui, *calculus*, prioribus multo major existit. Hunc dono accepi à nobilissima quadam matrona, quæ in memoriam afflictissimæ matris suæ, ex qua ortus erat calculus, hoc triste monumentum asservabat reconditum; cujus historiam paulo pleniorem tradere non penitebit: Est autem calculus oblongus, latus, crassus, ad duarum unciarum pondus accedens, in altera extremitate subrotundus, asper, & durissimæ texturæ; in altera extremitate, ubi friabilis, & porosus apparet, multo amplior, in cujus latere sinistro gaudet angulo obtuso, in dextro autem abit in appendicem medii digiti crassitie, quæ supra corpus reliquum prominet, atque ut formam ejus breviter describam; figuli puerulis ad lusum ex argilla præparant anserculos, quorum figuræ, capite pedibusque demtis, facies hujus calculi per omnia accurate respondet. Notabilis quidem magnitudo, notabilis structura, notabilis quoque est figura calculi hujus, multo vero notabilior exclusio ejusdem apparebit: Vetula nimirum, antea laudatæ matronæ mater, per plusculos annos nephritide laborans, ut fieri solet, minores subinde quamplurimos excreverat calculos, arenulas, atque sabulum; aliquando continuis doloribus in vesica rodentibus, prementibus, & ad mingendum stimulantibus vexata, majorem vesicæ calculum adesse

hinc

hinc animo præsumsit. Quare Medicorum curam internam, & externam, frusta licet, quæsivit, lithotomorum operam cane pejus & angue fugiens. Igitur fato se se commisit, saltem mane ac vesperi cochlear unum olei amygdalarum dulcium & aliquot baccas juniperi jejuno dedit ventriculo: Atque ita per sex annorum decursum misere vivens, auctis, & ingravescentibus symptomatibus, cum urinæ crebra retentione, sæpius stillicidio, ineffabiles propemodum cruciatus pertulit, frustraque mortem multoties optavit. Factum denique est, ut tumor valde inflammatus è vulva, instar uteri prolabentis appareret, pustulaque alba notatus apostematis suspicionem excitaret. Chirurgus itaque accersebatur, qui purulentae materiæ emissionem procuraturus, tumorem istum incidebat, quo facto pus sanguine mixtum, cum insequente calculo illo monstroso, & urinæ immodica quantitate prosiliebat, admirantibus cunctis adstantibus. Inopinato hocce modo per omnipotentis Numinis clementiam, tam dolorifico, tamque periculoso morbo liberata, novem posthæc supervixit annos; ob vesicæ sphincteris vero, aut nimiam extensionem, aut à calculi asperitate atque amplitudine (uti credibile magis est) dilacerationem, urinæ incontinentia per reliquum vitæ tempus laboravit.

SCHOLION.

Fœminas, ob naturalem urethræ conformationem, posse multo facilius quam mares excernere *calculos*, etiam *grandiores*, manifestum est. Memorabile cumprimis exemplum *Nicol. Tulpius* Lib. III. observ. 7. proposuit, Vetulæ scilicet virginis, quæ anno ætatis suæ LXXXIX. excrevit sponte *calculum* ℥iii. ℥ij. pendentem. Ipsa tamen incolumis evasit, neque aliud, præter urinæ incontinentiam perpessa est incommodum. Consimiles, nec minus admirandos casus exhibent *Ephe-*

merides Acad. N. C. Dec. II. Ann. I. pag. 392. & Ann. V. pag. 396.

OBSERVATIO XCI.

DN. D. WOLFGANGI HENRICI SCHREY.

De

Lapide Bezoar Orientali, raræ magnitudinis.

COmmuniter equidem haud admodum grandes ad nos ex Indiis perferuntur *Lapides Bezoardici*, nec facile qui hactenus ab Oriente maximi comparuerunt, ad ovi columbini magnitudinem acceſſerunt: Nuper vero *Krügerus*, Pharmacopola Dresdenſis, à Lipſienſibus nundinis attulit ejus generis *lapidem, qui ovum anſerinum amplitudine ſuperabat*, exacte tamen rotundus. Præter colorem ſolitum, & politam ſuperficiem, laminæ orbiculatim concretæ, legitimum eſſe lapidem declararunt, idemque confirmavit foramen, ad centrum usque factum, per quod non ſolum iſtam compagem contueri, ſed & pilos animalis quosdam, pro fundamento poſitos extrahere licuit. Pondus denique, pro lapidis magnitudine exiguum, adeoque congruum, majorem facit ipſius bonitati fidem.

(*Delitio miſſa Lipſiam, d. 29. Januar. 1732.*)

OBSER-

OBSERVATIO XCII.

DN. D. JO. FRIDERICI WEISSMANNI.

De

Populi arboris multiplici usu.

MUlti reperiuntur in foro medico homines, qui in sua praxi nulla alia medicamenta æstimant & laudant quam illa, quæ ex Indiis utrisque afferuntur, hincque omni studio illa conquirunt, ad morbos depellendos præscribunt, ægrotisque obtrudunt; *indigena* vero, plerumque exoticis meliora, negligunt, detrectant, pedibusque conterunt, quod multis exemplis, si opus foret, demonstrari posset. In præsenti solummodo nobis sufficiant *balsama exotica*, quæ à multis ad cœlum usque attolluntur, *nostratia* vero ejus generis peplo silentii involvuntur, rejiciuntur, imo despiciuntur, quæ certo certius plerumque ægrotis majus auxilium, & solatium præstant præ exoticis; talia vero nobis copiose præbent, *arbores Pini*, *Populi*, *radix Petasites*, *Carlina*, *Imperatoria* &c. quæ tempore verno copiose colligi possunt: Hac vice oculos nostros saltem vertimus ad *Populos arbores*, ex quibus certe egregia parantur remedia. Inter ipsas vero species præstantissima existit *Populus alba Tragi*, Germanice **der Alberbrust, oder Wasser-Almen-Baum**, dicta. Cæterum quinque vel sex *Populi species*, ab Excellent. DN. D. *Bærhaave*, *in Catalogo horti Lugdunensis* recensentur Part. II. pag. 211. nempe *populus alba latifolia*, λευκη Græcis dicta. 2) *Populus alba*, *foliis minoribus*. 3) *Populus nigra* sive αιγειρος, **schwartzer Pappel-Baum**. 4) *Populus Lybica*, κερκις, sive *Populus tremula* C. B. P. Germanice **Espen**, quæ ab *Hermanno* arboribus lanigeris

annumeratur; etenim tempore veris julos profert, qui per maturitatem decidentes, formam lanæ habent, & loco *Moxæ Sinenſis* ad inuſtiones adhiberi poſſunt, imo ſicuti credo, ſi recte tractentur, in fila optime trahi queant. 5) *Populo ſimilis arbor reſinoſa*, altera *Tachamahac* C. B. P. denique & 6) *Populus tulipifera* conis erectis, *Baniſtero* dicta, quæ ex Virginia affertur, majore vero jure *Alnis* annumeratur.

Ex quibus omnibus, uti antea dictum, nobis in conſiderationem hac vice veniat *Populus alba latifolia*, Saurbachs-Baum, weiſe Pappeln, oder Alberbruſt. *Lignum* ejus eſt molle, inſtar Tiliæ, *radices* vero ſunt duriores, criſpatæ, quæ varias intus figuras continent, & ſi ad uſum mechanicum à ſcrinariis & tornatoribus adhibentur, in conſpectum veniunt, hinc vocant κατ' ἐξοχὴν, den beſten Maſern, ſi enim dedolant corticem, in apricum venit mirabilis congeries fibrarum, quæ fibræ contortæ, admirando recreant oculos aſpectu; exaltant vero opifices figuras in ligno deliteſcentes, ſi nempe limaturam Martis in aqua forti ſolvunt, hancque ſolutionem ligno affundunt, ad aliquot tempus in quiete relinquunt, poſtea abſtergunt, & denique leviter dedolant, ſic foveæ & criſpaturæ nigræ fiunt, albæ vero fibræ manent, quod jucundum oculis ſiſtit ſpectaculum.

Tempore veris protrudit arbor *julos*, colore puniceo præditos, qui collecti, & radiis ſolaribus expoſiti, promunt elegans *ſulphur vegetabile*, *coloris aurantii*, ex quo varia medicamenta ad debellandum ſcorbutum præparari poſſunt, e. g. *tinctura* quædam cum ſale alcalino, & ſpiritu vini aut aliis menſtruis convenientibus; *in ſubſtantia*, in forma pulveris, aut pillularum, ægrotis ad infringenda ſalia morbifica adhiberi poteſt; de uſu vero hujus *pulveris*, plura erunt dicenda in *obſervationibus circa ſulphura vegetabilium factis*. Credibile eſt, quod ſi tempore veris pertebretur arbor, uti fit in betula, acere & aliis, for-

raſſis

tassis succum stillatura sit nobilem, & salutarem, in multis morbis proficientem. *Oculi* vero *populi*, nostros oculos ad contemplationem tempore veris maxime invitant, in his enim latitat *balsamum* illud *nobile*, *nulli viribus secundum*, quod initio veris in apice illorum conspicitur, & mediante instrumento eburneo vel ligneo abradi & colligi potest, colore flammeo, odore suavi, & sapore amaro præditum, quod statim in apricum venit, si oculi inter digitos premuntur, illico *liquorem istum balsamicum* emittunt, qui digitis adhæret. Copiosius vero tale *balsamum* pretiosum acquiritur, si *Gemmæ seu oculi populi* in aqua fontana coquuntur, ferventes sacculo injiciuntur, & prelo exprimuntur, sic dimittunt largiter illud *balsamum nobile*; si vero *oculi populi* in aqua macerantur, posteaque ex cucurbita destillantur, prodit primo aqua lactea, odorem & saporem aquæ naphæ referens, in superficie vero aquæ hæret cuticula quasi pinguis, oleosa, vix visibilis & suaviter olens; & si destillatio est peracta, oculiq; adhuc calidi cum residuo liquore ex cucurbita exempti linteamine involvuntur, preloque exprimuntur copiose pariter elargiuntur idem *balsamum nobile*; si vero loco aquæ illis populi gemmis affunditur spiritus vini, vel frumenti, & destillatio ex cucurbita igne arenæ peragitur, prodit *spiritus egregius*, odoratus, qui saccharo in aqua soluto edulcoratus, egregium dat liquorem, ventriculum confortantem. Prolectum spiritum, sequitur *phlegma* odoratum lacteum, in superficie *oleum* gerens, quod *odorem olei naphæ* habet, hoc separatum, & cum saccharo mixtum præbet egregium *elæosaccharum* confortans, cum Thea vel alio liquore sumendum, massa vero in cucurbita relicta, si calide exprimitur, elargitur quoque haud deterius *balsamum*. Imo si tinctura cum spiritu vini rectificato parata abstrahitur per alembicum, in fundo cucurbitæ relinquit *resinam* aliquam *flavam odoratam* & in multis morbis utilem.

Susce-

Suscepi quoque destillationem *oculorum populi* ex retorta, igne itidem arenæ, ubi primo prodiit *spiritus phlegmaticus*, odorem spiritus tartari præ se ferens, ut & *oleum liquidum empyrevmaticum* nigrum, simile olei tartari fœtido. Hic *spiritus rectificatus*, si examinetur, est *acidulus*, instar spiritus lignorum, qui alcalinis volatilibus & fixis admistus, leviter ebullit, & cum solutione cinerum clavellorum, l. oleo tartari p. d. deponit sedimentum flavum, fœtore magno præditum. Solutionis *Laccæ musicæ* dictæ, in aqua factæ, colorem cœruleum mutat in purpureum, ubi quoque lenis ebullitio observatur. Ex commistione solutionis vitrioli martis, & illius spiritus phlegmatici, prodit liquor, colore smaragdino præditus. Cum spiritu salis ammon. vinoso dimittit sedimentum croceum.

Oleum *oculorum populi fœtidum*, simile oleo tartari fœtido, egregias virtutes travmaticas præstat in recentibus vulneribus, in specie, si liquamini Myrrhæ, Balsamo Peruviano aut aliis balsamicis admiscetur.

Variæ quoque *tincturæ* possunt parari *ex oculis populi*; si enim his affunditur spiritus vini rectificatus, extrahitur elegans *tinctura balsamica*, quæ in affectibus pectoris & scorbuticis, insignem fert opem, præstantior autem fit, si loco spiritus vini assumitur spiritus salis ammon. vinosus l. tinctura antimonii acris; ingressum quoque in *oculos populi* habet liquor nitri, ut & terræ foliatæ Tartari. Si infunduntur *oculi populi* cum oleo amygd. dulc. vel lini, sistunt *balsamum travmaticum* externe & interne, in pleuritide & aliis pulmonum affectibus, salutare.

Vim balsamicam *oculi populi* maxime largiuntur liquoribus ad fermentationem pronis, e. gr. musto & cerevisiæ nondum fermentatæ, imo aliis succis, e. g. betulæ, pomorum &c. si fermentationi ulteriori traduntur; hac enim finita reperitur liquor balsamicus suaveolens.

Ocu-

Oculi populi, cocti cum axungia porcina, constituunt *unguentum* populeum, cum butyro vero majali si coctio peragitur, emergit *butyrum balsamicum*, simile ratione coloris unguento althææ, etiam interne egregios effectus morbis pectoris præstat: Externe vero si illinitur, curat tineam, serpiginem, & alios cutis morbos à salibus scorbuticis provenientes.

In panaritio sequens tinctura mihi optimum effectum præstitit, ℞. Essent. Myrrhæ, succini, ocul. populi, asæ fœtidæ pond. æqual. M. & si linteamina hac mixtura imbuantur locoque affecto imponantur, promptum affert solatium.

Balsama quoque *vulneraria* egregia paravi, ex his populis: dum nempe miscui *oleum ocul. populi empyrevmat. resinamque* eorundem cum unguento digest. oleo Myrrhæ per deliqu. & Balsam. Peruviano vulneribusque infudi.

Plura ejusmodi experimenta cum populo arbore instituta, fortassis alia occasione sequentur.

(Erlangio Altorfium missa d. 14. Febr. A. 1732.)

OBSERVATIO XCIII.

DN. D. FRIDER. IGNATII LOSPICHLERI.

De

Calculosi Anatome, ac singularibus renum, ureterum & vesicæ phænomenis.

Vir quidam genere pariter ac autoritate conspicuus, temperamenti bilioso, corpore macilentus, animo hilaris, vitam suam inter labores & negotia aulica, summa

cum laude traducens, denique lassus & fractis viribus, secundum miseram hominum conditionem, in varia corporis incidit incommoda, cumprimis vero ultimis temporibus per aliquot annos, variis lumborum & nephriticis doloribus sæpius dire vexatus, licet diversa Medicorum consilia fuerit secutus, remediaque quamplurima, dolorem lenitura, & urinæ fluxum promotura, adhibuerit; parum tamen, aut nihil per omnia ista profecit. Quare me tunc temporis vocatum, ut curationem inposterum solus susciperem rogavit ægrotans; cui, utpote cognato meo, plurimis de causis jam multum obstrictus eram, istud officium recusare vix poteram. Instituta igitur diagnosi contra quorundam opinionem, pronunciavi, vesicam calculo satis grandi, aut pluribus impletum esse, qualicunque demum ex causa hic affectus ortum suum duxerit. Assentiebant, ob rationes adductas, tacite quidem & alii. Hostem vero dictum ulterius aggredi & aperto marte cum ipso dimicare, hic labor, hoc opus erat. Etsi enim deposita jam larva, præsentem ipsum è signis pathognomonicis probe cognoverim, & calculum latentem declaraverim, magnitudinem tamen aut numerum neutiquam definire tunc poteram. Interim palliativam (quam dicimus) curationem adhibui, nec vulgo celebratis nephriticis, calculum pellentibus, aut levioribus etiam diureticis hostem provocare, & crabrones irritare, ausus fui: Neque omisi ea, quæ pro circumstantiarum ratione, vires corporis utcunque conservarent, ac dolorem subinde lenirent. Verum hac methodo neutiquam contentus æger, derelictum se undique multis exprobrationibus lamentabratur, cum nullum ad urinam facilius reddendam, vel ad ipsum calculum expellendum præscriptum haberet remedium. Quidquid vel qualemcunque rationem & causam, experientiæ medicæ consentaneam, in contrarium proponerem, impatiens neutiquam admisit; clam vero alium accersi Medicum jussit, qui pro solatio de-

cum-

cumbentis præscripsit potionem, sub exoptata prognosi, fore, ut omnia brevi tempore in meliorem se conversura sint statum (erat autem medicamentum ex lapidibus pretiosis, Margaritis, Oculis cancrorum, succino, Confect. Alkerm. compl. & aquis cordialibus compositum); sed ecce, quamprimum 2. vel 3. cochlearia repetitis vicibus sumserat, in atrociſſimos dolores lumborum & vesicæ incidebat, subsequentibus pertinaciſſimis convulsionibus. Adventans tunc & ego, causam hujus mali haud difficulter deprehendi: adhibita igitur aqua fontana saltem simplici dolor atrox & convulsiones mitigabantur, atque à repetito eodem potu frigido, qualem remittentibus paroxysmis anxie desiderabat, ab omni ulteriori convulsione liberatus est, externis antispasmodicis plane nihil proficientib⁹, sic propria experientia edoctus, quod iste affectus neutiquam talia remedia tonica aut vulgo dicta confortantia, exposcat, quibus spasmi magis excitantur, & natura ad motum, sed nimis dolorificum, incitatur, ad expellendum illud heterogeneum, quod propter viarum angustiam, tum & sui magnitudinem aut multitudinem, expelli nequit. Facile tunc negligentiam meam, si quæ in isto rerum statu accusari poterat, ipsemet æger multis verbis & deprecationibus excusavit: Postea scilicet etiam expertus, ut quoties vel simpliciſſimum carnis jusculum assumeret, intolerabilem dolorem, ob motum naturæ versus vesicam, sustinere cogeretur, nullumque aliud in tam lamentabili casu prædiviti supereſſet remedium, quam solus frigidæ simpliciſſimæ hausus. Cum denique nec guttula urinæ amplius destillaret, viresque indies deficerent, & conclamatum esse, Vir prudentiſſimus ipse agnosceret, omnia supremo Numini committens, ut corpus suum exanime cultro anatomico & ulteriori examini subjicerem, triduo ante obitum, mihi mandavit. Cum ergo suaviter in Domino obdormiviſſet, sequenti die, adstantibus & præsentibus tam ad dissecandum

mihi necessariis personis, quam aliquibus consanguineis, stupenda sese prodiderunt sequentia, in uno subjecto forsan raro visa, & in libris observationum medicarum nota: scilicet, aperto thorace (nam secandi hanc methodum, relicto tantisper abdomine & illæso manente diaphragmate, contra processum communem, tenere hactenus consuevi) cor satis magnum, aliquo tamen modo flaccidum, oculis sese obiiciebat; Pulmones autem putredine penitus consumpti erant, tametsi patiens (quod bene notandum) nec minimam respirationis difficultatem, tussim vel alia Phthiseos signa per totum vitæ decursum expertus fuerit. Abdominis viscera & intestina, nihil admodum præter naturam constitutum ostenderant; exceptis partibus urinæ sequestrationi atque excretioni dicatis; Quandoquidem ambo *renes* utriculorum instar expansi, consumpta omni carnosa compage, seu parenchymate, urina repleti, *Ureteres* vero adeo ab urina restagnante distenti erant, ut intestinum quoddam tenue repræsentarent. Ipsa denique *Vesica urinaria* propemodum ad dilacerationem usque, XXVI. *Lapidibus* vel *Calculis*, albicantibus & levigatis (pondere ℥vij circiter) onerata, scenam tragœdiæ præcipuam adeo aperuit, ut mortis quoque causa omnibus pateret, neque tam dubitationi quam admirationi locus relinqueretur; quomodo scilicet iste senex, omni veneratione dignissimus, atrocissimo hoc affectu, tot diris symptomatibus stipato, tantam potuerit attingere ætatem, ac tandem adeo placide, naturæ debitum persolvere, ultimumque vitæ suæ calculum deponere.

Cæterum ex hoc casu discere in primis licet, quam caute procedendum sit in adhibendis diureticis, calculum frangentibus, aut pellentibus medicamentis. Profecto enim experimenta, quæ subinde circumforanei ad dissolvendos renum ac vesicæ calculos, tanquam infallibilia, magno pre-

rio

tio venditant, longe diverſum in corpore humano effectum, ſæpius lethalem, quam morbi averruncum præſtant.

OBSERVATIO XCIV.

DN. D. FRIDERICI IGNATII LOSPICHLERI.

De

Pernicioſo remediorum nephritico-lithontripticorum abuſu, indeque ſecuta complurium viſcerum lethali corruptione.

PRænobilis quidam hujus Provinciæ, rebus Oeconomicis Præfectus, annum ætatis 56. agens, temperamenti phlegmatico ſanguinei, corpore obeſo ſatis, florida facie ſanitatem ipſam quaſi repræſentante, præditus, in continuis itineribus aliisque laboribus, officio ſuo adhærentibus, ſedulus atque indefeſſus, licet mero ſubinde indulſerit, ſatis ſtrictam tamen de cætero obſervavit diætam; Nihilominus vero *magnos cruciatus lumborum*, & *urinæ in emittendo difficultatem*, *cum ardore* expertus eſt; hinc varia, pro circumſtantiarum varietate, applicata ſunt remedia: Continuo enim ſolicitus erat de calculo, vel arenoſa ſaltem in renibus latitante materia expellenda: ita, ut ubicunque de quodam *nephritico* vel ſimili *remedio* quidpiam expiſcari potuerit, quod ſabulum aut calculum expellere valeret, hoc ipſum vel maximo pretio redimeret. Notandum inſuper, quod altiora montium loca, licet obeſus ſatis, ſine ulla reſpirationis difficultate, vi officii, pro viſitatione ſylvarum, conſcendere potuerit. Aliquando per incuriam prolapſus in terram, de nullo quidem, quam de ſiniſtri pedis obtuſo dolore querebatur; Tertio vero ſubſequente die, viribus ſubito collapſis, appetitu penitus proſtra-

to (forsitan ob assumta liberalius absorbentia & acidum præcipitantia) *lumborum immanes cruciatus, dolorem versus vesicam* intolerabilem, sitim inexplebilem, vomitus vehementes, continuos, & lipothymicos, aliaque diriſſima symptomata patiebatur, quibuscunque demum applicatis secundum indicationes remediis, etiam externis (nam intro assumpta mox vomitu rejiciebat) omnia in deterius ruebant, sexto à decubitu die inter atrociſſimos dolores, tandem Creatori suo animam suam tradidit. Mœstiſſima conjux, tam inopinatam mortis causam scire quidem avida, licet sæpius ipsi prædixerim, quod talia remedia lithontriptica peregrino agyrtarum consilio, me nullatenus unquam assentiente, sine intermissione sumpta, siniſtrum, ejusmodi effectum tandem allatura sint, pro majori confirmatione, ut corpus mariti ad dissecandum concederet, vix induci potuit. Consensu denique impetrato, rem more solito aggressus sum; ubi tunc in pectore cor satis magnum, optime constitutum debitamque pericardii lympham, venasque coronarias plus solito turgidas; Pulmones vero instar marsupii vacui pendulos, flaccidosque, & ubique putrida sanie plenos inveni, adeo, ut nec lobulus in statu naturali & non inflammatus aut corruptus appareret. Remotis vero abdominis integumentis, intestina, tam tenuia quam crassa, inflammationis stigmata hinc inde ostendebant. Hepar quasi tostum, vesicula bilis humore quidem, sed atro plena, plus debito major: Lien mirum in modum exsiccatus erat; Omenti magna pars putredine consumpta; pancreas valde induratum sive scirrhosum: *Ren dexter*, in pelvi sua, *Calculum prægrandem* (℥j. ℥ij. ponderis) fovebat; *Parenchyma vero ipsius plane computruerat; Siniſtrum quoque renem sphacelus occupaverat. Vesicæ urinariæ* superficies *inflammationis* notas haud obscuras præbebat, interior autem substantia penitus gangrænosa. Hinc facile poteram concludere, *quod remedia ista diuretica & calculum renum inconvenienter pellentia,*

tia, partes illas nervoso-membranosas, aliaque viscera extimulando ac irritando, multiplicis inflammationis atque corruptionis, ipsiusque mortis præcipua causa extiterint.

OBSERVATIO XCV.

DN. D. FRIDERICI IGNATII LOSPICHLERI.

De

Diagnosi ulceris ac phthiseos pulmonum dubia.

IN duobus antea expositis casibus commemoravi, ægrotum utrumque *vix ulla pulmonis læsi, nedum ulcere corrupti signa* dedisse; post mortem vero, apertis cadaveribus, malum istud nimis luculenter apparuisse: ut adeo in hoc etiam morbi genere locum habeat prisca *Hippocratis* querela: *judicium esse difficile, experientiam quandoque fallacem!* In contrariam vero partem nonunquam *signa* observantur *perfectæ phthiseos*, reclamante tamen insperato mali, alias desperati, eventu salutari. Unicum jam afferre lubet ejusmodi exemplum, haud ita pridem abs me notatum. Sacerdos quidam, indiciis haud obscuris, abscessu mesenterii aliquandiu laboraverat: curatione illius ad finem (ut videbatur) bonum vergente, facta fortasse *metastasi* peccantis materiæ *ad pectus*, *dolor* ibi cum *molestissima tussi* oriebatur, insequente *sputo cruento* ac *purulento*; *sudores* insuper *nocturni* præsertim; cum *totius corporis macie, præsentem* omnino *phthisin arguebant.* Adhibitis autem medicamentis congruentibus, traumaticis, pectoralibus, balsamicis, &c. inprimis assidue per longum tempus frequentato potu Coffeé, plus quam dimidio hordei tosti permisto, præter omnem spem felicíter adeo convaluit, ut robu-

stior

ſtior habitiorque, quam ante morbum fuit, domum redierit.

(*Salisburgo Altorfium miſſæ, d. 3. Marti, 1732.*)

OBSERVATIO XCVI.

DN. D. JO. GEORGII BREBISII.

De

Utero, malæ conformationis vitio, extra ventrem propedente, pro hernia inguinali perperam habito, eodemque ſphacelo correpto feliciter curato.

PRæterito anno vocabar ad *Virginem annoſam*, de qua conſanguinei referebant, eam quidem à juventute *hernia inguinali* laboraſſe, ſed exinde parum vel nihil incommodi hactenus percepiſſe, jam autem ex improviſo *herniam iſtam à ſphacelo correptam fuiſſe*, unde æſtus, dolor immanis, ſitis inexplebilis, maximus virium defectus, appetitus proſtratus, ſomnus inquietus exorti. Ad lectum ægræ adductus, partem affectam denudare jubeo, & ecce *tumor* ſat magnus *inter femora propendens, totus inflammatus, atque in parte inferiori plane nigricans*, vel jamjam *ſphacelatus*, cum ſingulari fœtore, ſe mihi dabat in conſpectum. Interrogatus à virgine: an evaſura ſit? reſpondebam: affectum quidem admodum periculoſum eſſe, ſed me omnem curationi adhibiturum operam. Aderat obſtetrix pro ſervitio, per hanc meo conſilio præparatur cataplaſma, ex foliis betæ rubræ, ſcordio, agrimonia, verbaſco, hyoſcyamo, flor. chamomillæ, meliloto, cum lacte, & imponitur calide; Interne vero ſumendum præſcribebam pulverem temperantem & Marchionis, cum abſor-

absorbentibus, nec non spec. pro decocto in febribus usitato; per horum continuatum usum, æstus, ac dolor, agrypnia &c. sensim minuebantur. Postmodum ubi sphacelata cutis quoque inciperet abscedere, meo consilio, oleum lini, albumine ovorum in unguenti formam conquassando coactum, linteolisque illitum, applicatum fuit; cujus beneficio cutis corrupta non solum undique separata, sed etiam subtus nova, quamvis subtilissima, cutis succrevit. Hactenus credideram *herniam* adfuisse, postmodum vero cum muliebria penitius inspicerem, nullum vestigium de introitu ad vaginam, nec reliqua sexum fœmininum manifestantia signa, deprehendere potui; Etenim prædictus *tumor, labiis vulvæ connatus erat, magnitudine & forma scroti majoris hirci*, & contactu deprehendebatur *durus*, instar glandulæ conglomeratæ, sub nova cuticula mirabiles anfractus, & ramificationes venarum ostendens, cerebro sub meningibus latitanti plane consimiles, simulque *duo foramina, in medio & in fundo;* illud *minus* duplici sphincter donatum erat, exteriore plano, interiore vero circum circa in plicas corrugato, introitus ipse quodammodo callosus & rubens, vix apicem minimi digiti admittebat, *ex quo statis temporibus urina fluebat;* Hoc, *majus* atque molle, unicum sphincterem planum continebat, & profunditatem exiguam, *ex quo menses olim fluxerunt.* Ex circumstantiis itaque concludere licuit *uterum ex vitio conformationis propendisse, neutiquam per durum laborem in juventute à sede propulsum;* Cutis enim undique æqualis, nullumque labiorum vestigium apparebat, pubes quoque glabra, & mentum sine pilis, in pectore vero mammæ bene formatæ existebant. Per integram vitam bene valuit ista virgo, nec unquam antea morbo gravi conflictata.

OBSERVATIO XCVII.

DN. D. JO. GEORGII BREBISII.

De

Miro infantis partu, cum vitio conformationis.

RUstici mulier, juvenilis ætatis, altera vice prægnans, circa destinatum partus tempus, consuetis quidem doloribus corripitur, sed aquæ citius prorumpebant, quam infans ad excludendum bene dispositus esset; nihilominus obstetrix imperita, pro more, puerperam ad laborandum compellit, ast manus infantis primum foras prodeunt. Obstetrix inde perterrita, denuo situm infantis explorat, sibique imaginatur, caput infantis pelvi recta linea instans se deprehendisse; sed falsè: Nam clunes pro capite habuit, & anum pro fontanella: Hinc magis urget laborem puerperæ, quæ tandem maximis conatibus filiolam expellit, in *positura mirabili*, scilicet *corpusculum in spiram contortum erat, brachia supra clunes exporrecta, femora intra brachia contracta, pedes supra scapulas elevati, caput vero intra femora & abdomen absconditum:* Credidisses gemellos adesse, unum pedibus, alterum manibus intrantem, vixit aliquantillum donec baptizata fuit, postea statim obiit. Cum sacerdos loci singularem in pectore infantis tumorem observaret, curiositate ductus, secavi infantem & deprehendi *sternum pene nullum, diaphragma vero divisum & ventriculum totum in pectus protrusum.* Accuratiorem visitationem tunc temporis non permittebant cumulati labores mei.

OBSER-

OBSERVATIO XCVIII.

DN. D. JO. GEORGII BREBISII.

De

Fœtu Gemello, altero quidem maturo, altero abortivo, superfœtationi adscripto.

Anno præterito per pagum vicinum iter faciens, accessi ad domum rustici, ex cujus fenestris, fœmina quædam clamando: Ecce Doctor venit! mihi quasi remoram objecit, ut expectarem aliquantisper. Hoc facto, obstetrix subito foras prosiliebat, invitans me ad mulierem *dystocia* laborantem. Sequor obstetricem & invenio quidem parturientem timidam, sed infantem capite jam instantem. Mulieres præsentes omnes anxiæ erant propter deficientes partus dolores, & medicamentum pellens à me petebant. Hinc *euporiston meum usitatissimum*, & non facile fallens, propinare jubeo, nempe *Jusculum Gallinaceum, cum acido succo citri, & liquore oleoso, ex corticibus ejus expresso*, conditum, quo epoto, post quadrantem horæ, partus dolores redibant, non intermittentes, usque ad exclusionem infantis. Erat puella vegeta, mater vero, per labores parturiendi debilior facta, deportabatur in lectum, ubi cum vires aliquantisper collegisset, etiam *secundinæ* per continuantes partus dolores excludebantur *triplo majores, quam alias esse solent*. Obstetrix curiosa perlustrat illam & denunciat *embryonem in illis existentem;* Et hoc erat verum, nam adhuc alia *filiola, jam mortua, longe minor priori & subtilissimæ texturæ, tamen quoad omnes artus perfecta, per medium secundinarum, intra crassam membranam, cum secundinis firmiter connatum, reperiebatur*, cujus funiculus brevissimus, longitudine duorum transversorum digitorum

alter vero spithamam longe superabat. Hinc *gemellos* hos dicendos esse, nullus dubito; quamvis alius medicus *pro superfœatione* judicaverat.

(Rotenburgo ad Tubarim missæ Altorfium d. 7. Mart. A. 1732.)

OBSERVATIO XCIX.

DN. D. JOH. CHRISTIANI KUNDMANNI.

De

Conchis & Cochleis monstrosis pretiosisque.

Joh. Rajus in Epistolis suis Philosophicis refert, *Martinum Listerum* habuisse Cochleam singularem, cujus spiræ à dextra sinistram versus processerint; cum tamen ordinarie creditum sit, illas omnes à septentrione ad Æquatorem, sive à sinistra ad dextram necessario se convertere.

Ad oram maritimam regionis *Tutucarin*, in *India Orientali* piscando capitur genus quoddam *Cochlearum (Xanxus* vocant,) similium his in quibus Tritones sive Dii marini repræsentari solent, (quod genus ego *Buccinam Tritonis* esse puto, ex descriptione & delineatione *Philip. Bonanni in recreatione mentis & oculi Class. III. num. 188. edit. Latinæ, quæ Romæ An. 1684. in 3to prodiit*: *Joh. Henr. Lochneri in Museo Besleriano Tab. XXI. p. 73. Georg. Everh. Rumphii Amboin. Rarit. Kam. Tab. XXVIII. fol. 94.* & aliorum.

Societas Indiæ Orientalis Belgica, pretio fere nullo illas mercatur, eademque mittit in regnum *Bengalæ*, ubi permagno rursus venduntur: Hæ cochleæ in longitudinem serra

disse-

dissecantur, atque armillæ exinde conficiuntur. Quæ ad hanc oram capiuntur, omnes spiras suas habent à dextra ad sinistram conversas. Quod si ulla reperiri posset, cujus versura spiralis à sinistra ad dextram procederet, illam ipsam incolæ ejus regionis multis aureorum nummorum millenis millibus æstimaturi essent, quia persuasum habent, Deorum suorum aliquem, se in ejusmodi cochleam abdidisse, cum ipsum hostes sui in mari persequerentur. (*vid.* Historische *Remarquen Part. IX. An. 1707. p. 183.*)

Georgius Everhardus Rumphius l. c. Lib. II. cap. XXXVII. pag. 160. mentionem facit Conchæ (quæ dicitur *Kruis-Doublet*) à studioso rerum talium in *Belgio* 100. aureis nummis redemtæ, quam is *Papæ* dono dare voluerit, eo, *quod monstrosum quiddam putaret*, cum tamen non esset,

Cum igitur ego *Buccinam excrescentia vere monstrosa conspicuam*, haud ita pridem ab amico ex *Belgio* acceperim, de ea commemorare habeo sequentia: Est illa colore anthracino, in ejusque magno orbe adnata est *crispatura altius elevata*, nec crispatura ista constat ex tubulis vermicularibus, sed *ejusdem* est *cum testa substantiæ*, cum contra illi alterius, sive diversi sint coloris: Credo potius testam animali adhuc vivente fractam fuisse, atque huic singulari structuræ occasionem dedisse. (vid. *Tab. III. Fig. 5.*)

Neque vero solum conchæ & cochleæ monstrosæ ad tantum existimationis gradum ascenderunt, sed etiam inprimis *in Belgio* multi adhuc testaceorum amatores reperiuntur, qui ingentem pecuniam quibusdam illorum speciebus redimendis, impendunt. Supra laudatus *Dn. Rumphius pag. 161.* inter alia describit delineatque *Tab. XLIX. Lit. A. Cochleam*, quam possessor 500. florenis vendere recusaverit: *Tab. XXXIV.* pag. 108. delineatæ descriptæque sunt XII. *Turbines Cylindroides*, quæ vocantur *à Batavis Admirals*, pro quorum viliſſimo sæpenumero 500. florenos ab emtori-

bus irrito successu fuisse oblatos; reliquos autem nullo prorsus pretio esse venales, sed instar cimeliorum in promptuariis ibi laudatis asservari, idem *Auctor* testatur. Cum An. MDCCXXII. Mense Aprili Promtuarium Cochlearum elegantissimarum & nitide politarum *Dn. Guilielmi d' Orville, Pastoris Harlemensis, Amstelodami* auctionis lege venderetur, inter alia ibi reperiebatur cochlea (*Admiral* dicta,) vix articulum digiti humani longitudine exæquans, & tamen pro illa ipsa 80. floreni numerati fuerunt, & pro 2. Nautilis 108. floreni.

Cum ergo maxime in *Belgio* quidem mercatores publicum harum Concharum Cochlearumque faciant commercium, atque ex prædicto pretio æstimatio earundem pateat, illas ipsas imprimis in *India Orientali* operose colligi, nihil mirum est.

Sunt vero ibi certi homines, qui Conchas & Cochleas partim in littore colligunt, partim ex profundo mari, quemadmodum margaritarii conchas margaritiferas petunt, proferuntque; (Cujus generis piscator in *Mich. Bernh. Valentini Museo Museorum, Part. I. cap. XXXVI. p. 498.* descriptus atque figura ænea expressus cernitur) Idque non sine magno periculo & incommodo, siquidem priores à crocodilis interdum arrepti, devorantur; posteriores vero idem fatum à piscibus pelagiis majoribus iisdemque rapacibus, in profundo experiuntur; aut coralliis acuminatis, quæ nascuntur è saxis, vulnerantur; aut ipsorum manus pedesve aculeis præacutis Purpurarum echinatarum, speciatim Echini setosi (quales ibi sunt frequentissimi) compunguntur; quæ vulnera limo marino adurente, facile in periculum adducuntur; atque illi quoque homine, um Conchas univalves in scopulis limo lubricatis quærunt, fallente vestigio labentes sauciantur, ut alias molestias taceam.

Hæc

Hæc autem collectio non toto anno, nec quovis anni tempore, sed utplurimum noctu, mensibus (ut vocantur) pluviosis, s. Majo & Junio usque in Julium, inprimis luna nova & plena instituitur, quia conchylia illa, extra hoc tempus in arena penitus se abscondunt.

Istæ Conchæ & Cochleæ (ex pelago petitæ) expoliendo sunt aptissimæ, præsertim illæ, in quibus animal adhuc vivum inest, quandoquidem quæ in littore colliguntur, plerumque sunt decoloratæ deformatæque, partim vi fluctuum fractæ, vel elisæ, vel à vermibus arrosæ, vel à tubulis vermicularibus corruptæ.

Hæ igitur Conchæ Cochleæve collectæ ibi mercatoribus aliisque harum rerum studiosis offeruntur, venduntur-que, qui quidem easdem ad *Batavos* mittunt, antea vero, vel etiam postea operose emundant, animalculum eximunt, crustam nonnullis emolliendo & macerando detrahunt, ipsas expoliunt; id quod fuse *Rumphius Lib. II. cap. XXXIX. pag. 164.* exponit, it. *Augerius Clutius de Calsve s. Lapide Nephritico.*

Turbines cylindroides albi, minimi, plerique in patria remanent, iisque ab incolis perforati, immisso filo connectuntur terni, atque ejusmodi lineola 50. vel 60. turbinibus constans, in ora maritima regni *Congo*, *sluvero* fere *Belgico* constat: quare in *Belgarum* promtuariis, ejus generis lineolæ vulgo pecuniæ *Angolicæ* nomine insigniuntur (*vid. Wilhel. d' Orville Catalogus vaan een Uytmundend Cabinet pag. 27. Cochleæ venereæ* albæ, quæ hic plerumque capita viperina dicuntur, & olim exornandis equorum habenis inserviebant, in *Nigritia* pro pecunia sumuntur, & ideo vocantur *Moneta Nigritarum*, *ut Joh. Bapt. Tavernierius in itinerario suo parte II. pag. 219. & 223.* ostendit. *Conchæ* autem *Venereæ* fuscæ in dorso punctis badiis & albis adspersæ, *in Insulis Philippinis* etiam vicem obtinent pecuniæ; qua de re evolvendus *Philipp. Bonan-*

nannus in recreatione mentis & oculi Class. III. num. 247. p. 144. Ceterum & pecuniam illam Angolicam, quam modo nominavimus, descripserunt, & finguris æneis repræsentarunt *Rupefortius* (vulgo *Rochefort*) *in descriptione Insularum Antillarum cap. XIX. pag. 332. Ol. Dapperus in Descriptione Africæ pag. 586. Petrus Pometus in Materialisten und Specerey Händler, Part. II, cap. XLIX. Tab. LXVI. fig. 393. pag. 630.* & alii.

Ad ultimum disquirentibus, *quot Concharum cochlearumque sint species?* fieri nullo modo potest, ut earum numerus definiatur; attamen id fere dicere licet, quod si cum aliorum Auctorum apparatu, collectionem meam contuleris, octingentæ circiter innotuerint. Scilicet secundum *Nehem. Grevv in Museo Regalis Societatis p. 124.* ibi sexcentæ fere species diversæ: Secundum *Bonannum in Recreat. Mentis & oculi: XXII* Testacea univalvia non turbinata, C. Testacea bivalvia, & CCCCVI. Testacea univalvia turbinata summatim DXXVI. species inveniuntur. In Museo *Kircheriano*, quod idem *Bonannus* descripsit & *Romæ* An. 1709. in fol. edidit, illorum XXXIX. istorum CXXXV & horum CCCCXII. in summa DLXXXVI. species occurrunt: secundum *Rumphium* l. c. CCCCVIII. classes sunt delineatæ, & ut iidem *Lib. II. Cap. XXXIX. pag. 163.* refert, ille in solis *Insulis Amboinis* intra XXVIII. annorum spatium CCCLX. fere diversi generis Conchas Cochleasque collegit.

Jam si collectionem meam supra allegatis conferam, equidem DCL. diversas species possideo, tamen secundum *Rumphium* octoginta, & quod excurrit, secundum *Bonannum* vero CL. mihi desunt, at vero aliquot tales ego possideo, quales in libris allegatis non occurrunt.

Joh. Rajus in Sapientia Dei manifestata in operibus creationis (qui liber lingua Anglica, Londini in 8vo prodiit) computum omnium animalium, atque adeo & Conchyliorum facit sequentem: Animalium terrestrium (quibus annumerat ser-

pen-

pentes, item canum multiplex genus pro uno computatum) numerum, non excedere CL. avium esse ultra D species, nec pauciores piscium, copiam vero Concharum & cochlearum bis tanto majorem dari. Idem in sola Anglia, & in terra & in mari, amplius millecupla insecta vivere, & amplius CL. diversi generis papiliones circumvolitare, nec pauciores scarabæos inveniri, demonstrat.

Denominatio & divisio Concharum cochlearumque, secundum *Bonannum* mihi maxime probatur, quæ adhuc specialius habetur, *in Carol. Nicol. Langii Methodo Testacea marina, in suas debitas & distinctas classes, genera & species distribuendi, nominibusque suis propriis, structuræ potissimum accommodatis nuncupandi,* s nam *Belgarum* appellationes desumptæ à rebus, quarum speciem referre videntur, interdum fere sunt ridiculæ; & divisio quoque, qualemcunque *Dn. D. Sipmannus Medicus Belgicus* apud *Rumphium L. C. pag. 167. seqq.* secundum genera ipsarum instituit, est prolixa, captuque difficilis.

OBSERVATIO C.

DN. D. JO. CHRISTIANI KUNDMANNI.

De

Folliculo moschifero, in quo perforatus globus rubræ Achatæ repertus fuit.

NAtura sibimet ipsi viam invenit; jam suo ævo dixit *Hippocrates*, intelligitque ratione excretionum, quoad τὸ ὅτι rem expeditam esse; quoad τὸ διότι verò hodie non plus sapimus; quanquam innumerabiles viæ, ductus & meatus in corpore humano ope anatomiæ fuerint detecti. Multo minus explicare valet Anatomicus, qui fiat, quando

Empyema pulmonis per excretiones alvi purulentas solvitur, aut per alvum sanguis sincerus in quantitate excernatur, si quis modo læsionem in cavitate abdominis sine attactu intestinorum, acceperit. Omnium minime constat ratio, qua fieri possit, (nisi forte fucus subsit ut, si quis araneam maxima cum nausea deglutiverit, illa ipsa ex femore per suppurationem rursus prodeat, (vid. *Joh. Baptist. Helmontius Operum, tract. de Injectis materialibus pag. (ed. Francof. A. 1682. in 4to) 565. §. 7.* aut quomodo acus longa deglutita per urinam rursus egredi queat, (vid. *Helmontius L. C. it. Ephemerid. Nat. Curios. Cent. I. & II. An. M. DCC. XII. Obs. XLIII. p. 111. seqq.*

Atque eadem difficultas existit in casu sequenti: Aromatopola hujus loci, aliquam accipit copiam *Moschi in folliculis:* hos ubi dissecat, *moschumque* eximit, in pyxide plumbea conditurus, in istis ipsi occurrit rotundus sacculus, extrinsecus sine multis pilis, intrinsecus vero fibrosa lævi eaque fusca tunica, aliorum folliculorum more, obductus, ex quo paululum Moschi suaviter fragrantis, pendet, quod *grande corallium magnitudine nucis juglandis foramine perforatum, ex rubra jaspide* continet, quales fere grandes corollæ in sphærulis precatoriis esse solent.

Jam equidem res nondum certa est & cognita, ubi & quomodo, & in quo animali *Moschus* gignatur *(vid. Mich. Bernh. Valentini Mus. Museorum Part. I. Lib. II. Cap. IX. pag. 442.)* Atque præter ea, quæ laudatus *Valentini* ex multis authoribus adduxit; in *Joh. Baptist. Tavernierii Itinerario Part. II. Cap. XXIV. pag. 141. in Ol Dapperi Descriptione Africæ pag. 21. in Isbrandi Ides Itinerario Chinæ Cap. VIII. pag. 76. in Pometii Material-und Specerey-Händler Part. II. Cap. IV. pag. 479. in Casp. Schotti Physica curiosa Lib. VIII. Cap. XXVI. pag. 856. in Th. Bartholini Act. Medic. & Philosoph. Haffniens. 1671. Obs. LVIII. pag. 116. in Athanas. Kircheri China illustrat. Part. IV. Cap. VII. pag. 191. in Ephemerid. Nat. Curiosor. Dec. I. An. VI. &*

VII.

VII. Obs. CXXVIII. pag. 166. alliisque, & quidem apud singulos diversæ prorsus opiniones inveniuntur.

Ubi meo quidem judicio maxime probabile videtur, quod Perillustris quondam D. *Præses* noster *Luc. Schræckius in Hist. Moschi,* partim de animali, partim de generatione *Moschi* ipsius profert: Speciatim, quod is generetur in folliculo, cujusmodi ex India Orientali efferuntur, qui naturali & ordinario modo infra ex ventre animalis, prope pedes posteriores dependeat & confluat, per venulas exiles, quæ in cavitatem folliculi & & in *moschum* ipsum infunduntur, quas plane cernere liceat. Quomodo autem *corolla* & quibus viis in hunc sacculum devenerit, haud temere quisquam excogitaverit aut explanaverit.

OBSERVATIO CI.

DN. D. JOH CHRISTIANI KUNDMANNI.

De

Vitris singularibus.

ANtonius *Nerus*, *Florentinus,* citra controversiam primus est, qui solidum quiddam de *arte Vitrania* septem Librorum opere in lucem protulit. Id modo admirandum est, quod credidit, imperante *Tiberio* excogitatam fuisse rationem, temperandi vitrum, ut instar metalli malleo esset flexile.

Huic opinioni fine dubio ansam dederunt verba *Plinii, quæ Lib. XXXVI.* leguntur. Quanquam *Auctores Historiæ Academiæ Inscriptionum & elegant. Literar. Tom. I. Dissertationem contra Abbatem Valesium* (Valois) inferere commentariis suis constituerunt de eo, quod non *Plinius* primum, ut creditur

ditur, sed jam ante illum *Petronius Arbiter* de ejusmodi vitro mentionem fecerit, quod malleo obediat. (*Conf. Joh. Saresberiens: Sec. XII. Scriptor Lib. IV. de Nugis Curialium Lib. V.* qui totam narrationem *è Petronio* se hausisse profitetur.)

Post *Plinium*, sive seculo III. commemorat *Dio Cassius Hist. Roman. Lib. LVII.* de insigni quodam architecto, qui in offensam *Tiberii Cæsaris* incurrerit, sed hujus sibi gratiam reconciliare studuerit, dum ad *Cæsarem* admissus, craterem vitreum in terram abjecerit, ut frustillatim diffractus sit, eumque denuo manibus suis solidaverit, id quod vero huic mortis steterit supplicio. *Isidorus Orig. Lib. XVI. Cap. XV.* id confirmat, ita scribens: Cæsarem ipsum ira accensum in pavimentum projecisse vitreum hunc craterem, qui proinde ad modum æris fuerit collisus, artificem vero marculo de sinu prolato craterem correxisse, & in pristinum statum restituisse: Quo facto Cæsarem quæsiviisse, an alius sciret hanc condituram Vitrorum? Quod cum negaverit artifex, jure jurando etiam interposito; eundem jussu Imperatoris fuisse decollatum, ne si hoc artificium innotescceret, aurum pro luto haberetur, & reliqua metalla omnia vilescerent.

Guido Pancirollus in scripto ingeniosissimo, quod de *rebus memorabilibus inventis & deperditis* composuit, hac de re agens, quantum ad usum mallei attinet, auctoritatem minime vulgarem trium Auctorum supra laudatorum sequitur; id quod & alii complures faciunt.

Quod igitur attinet ad *Plinium*, is in hujus historiæ narratione adhibet verba satis cauta: Primo; *Ferunt*: Secundo; *Fama est*: Tertio; *Fama cerebrior, quam certior*: quæ triplex dicendi formula satis prodit, quam parum fidei ipse huic historiæ habuerit. Cum itaque *Dio Cassius & Isidorus* tam longo intervallo temporis post *Plinium* vixerint, universa vero ratio ipsorum ex hujus dubia narratione pendeat; facile patet, quam lubrico fundamento nitatur tota isthæc opinio:

hoc

hoc tantum latet, unde hauserint singularia illa momenta, quæ in hac historia exponenda referunt.

Cum vero hodie de natura vitri rectius edocti simus; nemo imposterum facile crediderit, ejusmodi *vitrum malleabile* unquam in rerum natura extitisse, aut denuo repertum iri, nisi quantitate induatur, naturæ vitri plane contraria; id quod vero rursus efficit, ut vitrum appellari amplius nequeat. Nam constat, rationem omnem malleationis absolvi arcta cohærentia, quæ vi materiæ τῷ φλογιστῷ in metallis inest; cum vero istud in vitro nullo modo inesse debeat; Sal & arena ex quibus vitrum conflatum est, ad tam solidam cohæsionem nunquam non erunt inepta.

Equidem *Robert Boyle in experimentis & Observationibus Physicis* (*Londin. An. 1691. in 8vo anglice editis*) *in Appendic. num. 1. refert: Helvetium* quendam *Heidelbergæ* experimentum *vitri malleabilis* multis dedisse: addit autem, illud Antimonii habuisse speciem: Id quod rursus indicio est, istud, quicquid fuit, plus ex metallo, quam ex vitro participasse; atque hinc verum semper fore & certum, quod nihil malleo obediat, quicquid pellucidum, vel vitrum genuinum sit.

Nunc res redit ad Chymicos: Hi quemadmodum ope Lapidis Philosophorum omnia efficere se posse gloriantur: (vid. *Henr. Nollius Theoriæ Philosophicæ Hermet. Tract. III. pag. ed. Hannov. An. 1619. in 8vo*) *792. seqq.* prc. *Commentatio mea de intellectu hominis ante & post lapsum Lib. II. Cap. III. §. 12. pag.* (*ed. secundæ quæ Vratislav. A. 1720. in 8vo prod.*) *246. seq.*) ita inprimis *Rudolph. Goclenius, Valensis Hispaniola*, & tota fere Chymicorum cohors ope Elixirii etiam ejusmodi vitra confici posse contendunt. Verum cum nemo, quamvis transmutationem metallorum, ut egomet ipse, spectaverit; ullum unquam, quale modo laudavi, artificium oculis usurpaverit, aut fando aliquid de eo acceperit; sane & alii frustra tale quid expectabunt.

Ab hoc Vitro cerebrino me potius converto ad vitra, quæ noſtris temporibus maximi æſtimantur. In his citra controverſiam pulcherrimum & præſtantiſſimum eſt, *vitrum rubineum*; quod Medicus quidam Hamburgenſis, nomine *Caſſius*, ope auri & ſtanni confecit. Dn. *Joh. Kunckelius*, Vir in arte vitraria & fuſoria peritiſſimus, hoc artificium ad majorem adhuc perfectionis gradum evexit; Siquidem is vaſa vitrea ampliſſima eadem ratione, ſumtibus multo minoribus concinnavit; quæ res *Sereniſſimo Electori Brandenburgico, Friderico Wilhelmo*, tam mirificè ſe probavit, ut illum non modo largis muneribus donaverit, cubiculiſque ſui Servum intimum conſtituerit. ſed tandem etiam in Nobilium numerum ſub cognomine *Dn. à Lœvvenſtern* referri juſſerit: quæ omnia ex ore ejus, cum ſub initium Seculi hujus *Vratislaviæ* eſſet, ego ipſe audivi; ſicut & *Miſcellanea Berolinenſia 1710. 4to. pag. 94.* aliquam ejus rei mentionem injiciunt. Cum igitur illo ipſo tempore *vitrum* ejusmodi *rubineum* planè egregium ab eo dono acceperim, intermittere nolui, quin iſtud beneficium publicè prædicarem; præſertim cum hoc ipſo primordia operoſæ collectionis meæ rerum naturalium & artificialium nata ſint. Nanciſcebar ſimul ejusdem beneficentiâ lagunculam rotundam, argento circumcluſam, ex cinere oſſium humanorum, colore cœruleſcente: & quidem cum alias ad vitra ex oſſibus, conficienda oſſa equorum vel aliorum animalium in ſole toſta, & poſtea per ignem in calcem redacta, fuerint adhibita; idem horum loco, oſſibus uſus eſt humanis, eaque in opus conſumi juſſit, ſervata hac proportione, ut eſſent ex ejusmodi cinere humano partes VII. ex arena alba part. XXVII. & ex cinere clavellato part. XVI.

Hanc methodum ſecutus ſum, & cum ante aliquot annos, in pago *Grabiſchen*, haud longe à *Vratislaviâ*, copiam urnarum ethnicarum non exiguam reperiſſem (quas deſcripſi *in Collectione Eventuum Phyſico Medicor. Tentam. XXIII. pag.* 171.

171. *seqq.*) ossa veterum horum *Quadorum* aut *Lygiorum* olim cremata, depromsi, ex iisque aliquot vitra conficienda curavi, inscripto sequenti disticho:

Styx tortum fornace, rogo, tamen horrida torquet,
Exsucco succum, dulcia vina date.

F. F.

JOHANNES CHRISTIANUS KUNDMANN
Phil. & Medic. Doctor.

Id de hisce *vitris ex ossibus concinnatis* affirmare possum, multùm ea ab omnibus aliis differre puritate & elegantia, & vasa murrhina præstantissima candore superare.

Locum quoque hic meretur celeberrimi artificis & aurifabri Lipsiensis, DN. *Wolffg. Georgii Stollii vitrum aureum corruscans*, noviter inventum, cujus duo obtinui specimina: Primum habet speciem metalli molliti fluore vitreo superinducti, alterum ostendit particulas aliquanto majores, unde nunc pyxidulæ ad tabacum reponendum, vel alia elegantiæ instrumenta concinnari solent.

In raris ac singularibus etiam habentur *Vitra, quæ ex cinere tabaci conficiuntur*, & quidem ideo, quod ingens hujus cineris requiritur copia, ut sufficiat ad crucibulum implendum, exiguo autem numero absolvi non potest, quia plerumque instrumenta huic negotio idonea deficiunt. Ego quidem An. 1724. *à Dno. M. Gottfriedo Michaele Fettero*, Theologiæ tunc temporis Candidato, cum apud Dnum Parentem suum, Pastorem in pago *Rauscha* in *Lusatia* superiori sito, degeret, dono accepi ejusmodi vitrum planè egregium, colore prasino, in quo cælata conspiciuntur sequentia. In fronte extat planta tabaci virens & vestita floribus, cum hâc epigraphe: *Sic quondam florui:* In spatio secundo, manus excutit cineres

neres é fistula tabaci exhausta, cum inscriptione: *Sic in cineres abii.* In tertio comparet vitrum ejusmodi forma minuta mensæ impositum, cui hæc adscripta sunt verba: *sic denuo redii:* Horum spatiorum ovatorum primo, ubi planta floret, subscripta est vox: *Vitæ*; secundo, ubi tabacus crematur: *Mortis;* & tertio, ubi exinde vitrum formatur: *Resurrectionis:* Relatio quam per literas inde accepi erat sequens: P. P. *Vitrum ex cinere Nicotianæ factum accipe, Vir Excellentissime, Tuum tam fragile munusculum exegit mandatum. Nullam, quod affimare queo agnoscit aliam materiam, quam cinerem Nicotianum, & arenam. Nec alieno tinctus est colore, quippe qui naturalis ex nicotiano cinere viridis. Ipsus fui præsens, cum materies igni adponeretur, præsens cum vitrum formaretur, & oculatus sic existo testis.*

Postremo adhuc memorandum mihi est *Vitrum Chinense:* Sunt duo quasi vitra, alterum alteri superpositum, intus rubedine obscura, præter vitrum externum, quod cœruleo, purpureo, viridi, albo, aliisque coloribus est variegatum, ita, ut introrsus vitrum inclusum aliis flexuris perspicue rursus emicet, in quo simul fruges obscurius pictæ cernuntur. Ceterum ars vitraria in America, nec non in tota Asia, excepta China, sero admodum innotuit. Nostro ævo ibi *ex oryza vitrum conficiunt* valde pellucidum, perquam tamen fragile, quod omni genere colorum pingere callent, de quo cvolv. *Atlas Sinicus* pag. 6.

(Vratislavia Altorfium missa, d. 16. Mart. 1732.)

OBSER-

OBSERVATIO CII.

DN. M. SIGISMUNDI JACOBI APINI.

De

Plicæ casu spontaneo & innoxio.

Plicam endemium quasi, aut certe admodum familiarem *Sarmatiæ* morbum, contra Germaniæ multo rariorem esse, satis constat. Neque minus notum pervulgatumque est, *illam haud posse tuto excindi;* sed visus privationem aliave atrocia mala inde sequi facile: quamvis interdum citra noxam id fuisse tentatum testentur Medicorum Observationes, cum alibi, tum in *Ephemeridibus Acad. Nat. Curios.* legendæ. Ex iisdem intelligere mihi licuit, malum istud diuturnum & contumax, quibuscunque remediis sanari difficulter, ac semel forte sublatum, recrudescere solere. Quod autem sine omni medicina, & adeo *sponte sua excidat plica*, id non æque historiis comprobatum invenio. *Sennertus* equidem. Pract. Med. Lib. V. part. III. Sect. II. cap. 9. illud fieri posse affirmat, sub ea saltem conditione, *si nulla in corpore materia vitiosa sit amplius reliqua;* & Excell. DNN. *Medici Vratislavienses* in Histor. morborum A. 1700. p. m. 199. compertum sibi esse perhibent, *quod Plicæ, quanquam non adeo frequenter, sponte decidant:* Singularia tamen ejus exempla nusquam notata reperio. Quare non alienum videtur heic referre, quod nuper ipsemet observavi. Mulier *Brunsugæ* adhuc vivens, lignarii fabri uxor, circa XL. ætatis suæ annum, præter omnem sibi cognitam occasionem sive causam, in capillitio ad occiput versus enascentem sensit *Plicam*: Hanc eo magis patienter ipsa tulit, quo minus incommodum inde accepit; de averruncando etiam hoc minus solicita, quo magis id periculosum fore audivit, gestatione vero illius, nescio quam prospe-

ritatem se consecuturam persuasum habuit. Cum interim *VII. pedum longitudinem Plica increvisset*, nullo dolore, nisi levioris interdum contorsionis sensu ad radicem molesta, decimo demum à prima origine anno accidit, ut matutino tempore, *ex improviso tota excideret*, paucis apparentibus capillis, jam aridis factis, qui radicum vicem præstiterant. Mulier autem, sicut antea satis bene valuit, ita *post casum Plicæ* nihil adversæ valetudinis in hunc usque diem experta est, neque renascentem deprehendit *plicam*, à cujus vigore faventiorem fortunam superstitiose ac frustra sibi promiserat.

(*Brunsuiga Altorsium missa, M. Martio, 1732.*)

OBSERVATIO CIII.

DN. D. GEORG. FRIDER. GUTERMANNI.

De

Arthritide Vaga, Convulsionibus Epilepticis Soluta.

ANcilla, XXX. annos ætatis habens, phlegmatico-sanguinea, cacochymica, à longis jam retro abhinc temporibus morbis serosis, defluxionibus catarrhalibus, capitisque, aurium ac dentium doloribus subinde obnoxia, ante sexennium *arthritidem vagam* quoque passa per IV. menses, cum anno superiori ineunte Januario, mane surgens, pedem è lecto poneret, *strepitum in tarso pedis dextri, atque simul dolorem sentit, & tumorem in loco dolente* conspicit parvum, atque aliquantum mollem mobilemque, qui successu temporis, frustra impositis à Chirurgo variis emplastris, applicatisque cataplasmati-

matibus aqueis augmenta tam extensionis, quam sævientis doloris capit, ita ut pes extremus intumesceret totus ultra malleolos, ac dolor per totum fureret pedem. Vocatus ego ortum tumoris hujus, nucem moschatam dimensione sua superantis, duri, mobilis, ac tendinem musculi flexoris digitorum communis obsidentis, à laceratis modo dicti tendinis per rudem ac ineptam pedis inter surgendum flexuram fibris derivare, & *ganglion* appellare non dubitavi, idemque litu ol. philosoph. & lacert. impositoque emplastro de galbano crocato & de gumm. ammon. F. c. ol. philosoph. malax eoque glande plumbea bracteata firmato, sedatis simul per cataplasma è mica panis cum vitello ovi & croco lacti incoct. doloribus, tumoreque reliquo ope fotuum vinosorum è speciebus nervinis discusso, intra XII. dies penitus debellavi. Mense Aprili, dum domui expurgandæ operam navat, lixiviaque & calcem tractat, exoritur similis *tumor ganglioides in manus dextræ metacarpo*, atque aliquot dies post alius *in metatarso*, quorum neutrum utpote non adeo acerbe dolentem, multum curat, remque Chirurgo committens templum visitat sæpius, negotiaque sua obit. Cum vero cephalalgia, ophthalmia, otalgia, atque odontalgia accederet, *artus doloribus accerbissimis afficerentur, immobilesque redderentur*, & remedia à medicastro porrecta nihil proficerent, ego tandem iterum accersitus, vesicatorium suræ, pectorique ad interceptam fere respirationem oppresso, vesicam lacte calente semiplenam, apponi jussi, pulviculos è pulv. March. l. p. canc. ungul. alc. C. C. phil. antimon. diaphor. ex reg. lumbric. terr. nitr. purifl. cinnab. nat. & pulv. castor. atque mixturam ex ess. scordii, liqu. anodyn. min. H. tinct. antim. tartaris. c. ol. anisi crocique extracto concinnatam, nec non species sanguinem mundificantes, pro potu ordinario præscripsi, quibus usurparis *arthritis* reliquaque symptomata sensim sat bene sub leni sudore alleviabantur. Octavo vero die post *gravissimi* adoriebantur ægrotam *motus*

epileptici, per aliquot horarum spatium vix notabiles servantes inducias, donec *copiose profuso sudore* pomeridie cessarent: *aegra artubus antehac impotens, atque horis antemeridianis morti proxima visa, jamjam liberata sit penitus à doloribus & spasmis omnibus;* ita ut nil fuerit reliquum, quam usu balnei nostratis Scheidlingensis membris tam diro morbo confectis robur reddendum.

OBSERVATIO CIV.

DN. D. GEORGII FRIDERICI GUTERMANNI.

Hydrops Thoracis, in Sene fere Septuagenario cognitus & curatus.

FAusto medentes præiverunt sydere, solideque exposuerunt *Medici Vratislavienses* in peculiari *de hydrope pectoris tractatu*, quibus signis seri in pectore collectio cognosci atque dijudicari queat. Hæc insequenti vestigia crebrius jam contigit mihi morbum huncce & agnovisse & per DEI gratiam feliciter subinde curasse, ita ut meæ Praxeos, quantulacunque sit, iniens rationes, eundem rarioribus, accensere nequeam. Primus, qui meis se dedit curis, *pectore hydropicus* fuit civis Bibracensis, faber ærarius, septuaginta agens annos, olim in seram usque noctem bibax, spirituosoque potui impense deditus, qui tussi tandem, respirationis difficultate, languoreque corporis totius premi, pedibus atque abdomine intumescere, robusto autem suo corporis habitu, maxime in superioribus, marcescere cœpit. Cum remedia à Medico ordinata auxilium ferre non statim ipsi viderentur, à Pharmacopœo paratum assumsit infusum per epicrasin laxans, quod facta larga seri per alvum & urinam evacuatione, abdominis tumo-

tumorem imminuerat sensibiliter, Varius hic atque impatiens vir tandem ex me consilium peti curavit, aditum tamen ad ipsum abnuens, probaturus modo bonam de me conceptam spem. Relata igitur, ipsum *ægre semper respirare, noctu præsertim periculum suffocationis ingruere*, adeo, ut simul ac semel evigilans ad fenestram captandi liberioris aëris causa accurrere sæpius cogatur, *pedes ad crepaturam fere esse prætumidos*, ac ne moles versus vesperam increscat nimium, fascia deligandos, quanquam abdomen paulo detumuerit; hæc inquam relata perpendens, *hydropem pectoris subesse* autumavi, potiunculam igitur, è gummi ammoniac. in vin. Malvat. solut. aq. hyssop. asthmat. & syr. helen. compositam, atque in paroxysmo orthopnoico assumendum linctum Vratisl. ex ol. amygd. d. sperm. cet. liqu. C. C. succ. & syrup. dialth. F. ordinavi. Cum proficuam expertus esset potiunculam, non item vero linctum laudaret, deinde demum meum solicitavit ingressum ad ipsum, & per contantem me, de *hydrope pectoris* certiorem fecit sequentibus querelis: *Pectoris angustia & respiratione valde impedita, cum tussi molesta se laborare indesinenter;* eandemque versus mediam noctem, somnum vix per tres horas captum interpolare, ut corpore erecto non sine magno pectoris dolore, ingenti contentione, quandoque prope fenestras apertas confertim inspirare necesse sit, talemque *strangulationis metum* per noctem ter & sæpius obruere; *à decubitu de latere in latus oppositum augeri dyspnœam atque angustiam, imo tum sentire se in pectoris cavo fluctuantem atque ebullientem inundationem; scrotum insigni tumore distentum;* artusque superiores imbecilles esse & quasi paralytice resolutos, ut malleo cuprum tractare diu jam non valeat. Ad pectus ergo magis liberandum frequentem dictæ potiunculæ usum injunxi, ad redintegranda viscera pilulas è gummi Ammon. ʒß. junip. heder. myrrh. benzoës aa. ϑß. aloës gummos. ϑj. extract. absynth. C. B. gentian. cichor. trifol. fibr. aa. gr. xv. earumque

XVII. singulis vesperis deglutiendas, & ad pastum misturam ex elix. aperit. Cl. sal. vol. oleos. sylv. tinct. tart. spir. salis ammon. anisat. nec non pro potu ord. species è ras. C. C. rad. scorz. sarsæ par. chinæ, glyryrrh. fl. bell. m. pap. err. sem. fœn. anis. stell. &c. commendavi, interposito tandem usu Electuarii diuretici. Quibus medicamentis ita profecit, ut post bimestre spatium opificio rursus commode vacare potuerit, liber ab his molestiis, vitamque ultra biennium protraxerit. Id quod, si putatitius tantum fuisset *thoracis hydrops*, ab his medicamentis non fuisset unquam sperandum.

OBSERVATIO CV.

DN. D. GEORG. FRIDERICI GUTERMANNI.

Remedium Drasticum, in Hydrope Ovarii exhibitum Lethiferum.

Item

Luxatio ossis Femoris à causa interna permanens.

PRidie ante b. suum obitum opem meam afflagitavit pauperecula quadragenaria, plurium liberorum mater, cui, cum *abdomen* præsertim *in regione hypogastrica sinistra, prætumidum, accedensque pedum œdema*, pani lucrando paulo inhabilem ipsam reddidisset, famosus quidam medicaster *Electuarium validissime ἄνω κὰτω purgans* porrexerat; Hoc prima vice ante quindecim dies ex præscripto artificis, satis liberaliter sumtum, ingentia cum *innumeris dejectionibus* concitaverat tormina, viresque adeo prostraverat, ut hactenus lecto affixa, atque

que à continuato ejusdem remedii, quamvis longe parciori usu, usque magis increbescentibus doloribus colicis divexata fuerit, ad quos mitigandos idem spiritum anisi dederat. Conquesta simul est ægra de maximo æstu interno, doloribusque vehementissimis circa umbilicum, imo per totum abdomen excruciantibus, atque de vomendi conatibus, actualique crebro vomitu, addens, videri sibi quasi flammam sub cordis scrobiculo è ventriculo surgentem per œsophagum ad superiora, ardore molestissimam, cientemque sitim inexplebilem. Invaluerat præterea æstus aridus corporis totius, pulsus durus ac frequens, summaque anxietas, inquietudo, & virium defectus. Menses jamdiu quidem utcunque irregulariter, sed proxima demum fluxerant septimana. Valde corruptus perversa medicatione per acria purgantia visus mihi fuit *morbus* hic *hydropicus*, atque inflammationem ventriculi & intestinorum plus minitari periculi quam hydropem judicans, tristi prognostico excepi ægrotæ querelas, manumque de tabula removendam satius duxi. Attamen ut precibus afflictæ annuerem, pulveres nitrosos, discutientes camphoratos dedi ex emulsione amygdalina c. sem. IV. frigid. &c. capiendos, atque ad liberandos intestinorum parietes internos à concrementis resinosis, acrimoniaque drastici, subinde sorbillare infusum flor. sambuc. & chamomill. v. addito singulis scutellis vitello ovi, &c epithemaque discutiens ex absynth. menth. flor. chamomill. sambuc. sem carv. anis. abdomini toti imponi, itemque spiritum vini camphoratum crocatum illini jussi, serio dehortatus ab ulteriori *electuarii purgantis*, spiritusque anisati usu. Sed altero die post accedente singultu diem obiit supremum. Quæ in cadavere p. n. visa repertaque sunt, huc redeunt: Ventriculus atque intestina tam tenuia, quam quædam ex crassis insolita flavedine, rubore, atque nigredine passim fuere perfusa. Neque diaphragma eo in loco, ubi œsophago transitum concedit, inflammatione prorsus immune fuit. Intestina inter flu-

terfluxit serum crassum, laciniis turbidum, quasi fæcibus crassis cereviſiariis, quales membranis inteſtinorum, hepati, ſpleni, renibus ac meſenterio hinc inde laxiſſime adhærebant. *Tumorem in hypogaſtrio ſiniſtro* effeciſſe deprehendebatur *hydrops ſaccatus, qui ovarium illius lateris adeo deſtruxerat, tumefecerat, inundaverat*, ut facta perruptione turbidus latex in ipſum abdomen fuerit effuſus.

Claudicaverat à viginti fere annis hæc fœmina, quod vitium ita ſe contraxiſſe, ipſamet olim mihi retulerat. Monachii, ubi in famulitio fuit, *arthritide graviſſime decubuit*, quæ cum articulum femoris obſideret, factum tum fuit, ut inter ſurgendum è lecto *ſtrepitus in illo doloris loco*, tam ab ipſa acerbe ſentiretur, quam ab adſtantibus exaudiretur. Hinc pes ſiniſter dextro longe brevior factus, genu & pede magis introrſum reflexis, & acetabulo detruſus novum in oſſe Iſchio fulcimen nactus eſt poſt & ſupra acetabulum, ceu ex inſpectione patuit.

OBSERVATIO CVI.

DN. D. GEORG. FRIDERICI GUTERMANNI.

Acetum Scilliticum in Nephritide Calculoſa apprime proficuum.

ADm. Rev. D. P. Gr. in L. S. R. J. Monaſterio U. profeſſus, Fautor meus Colendiſſimus, ſexagenario major, *nephritide calculoſa, mictu cruento, purulento, dyſuria atque ſchuria* olim ſæpe multumque afflictus, poſteaquam per aliquot menſes ſingulis mane ac veſperis *bina* haurire cœperat *aceti ſcillitici cochlearia, innumeros*, DEO huic remedio benedicen-

dicente, *excrevit calculos*, quorum multi ad avellanæ magnitudinem accedunt, atque à duobus jam annis sanus est & ab hisce molestiis aliisve metaschematismis salvus ac incolumis.

OBSERVATIO CVII.

DN. D. GEORG. FRIDERICI GUTERMANNI.

De

Partu Gemellorum, post aliquot septimanarum intervallum successive edito.

TRium mihi vere cognita sunt exempla *fœminarum, quæ infantem unum perfectum maturumque enixæ, quarta, sexta, atque decima septimana post iteratis partus conaminibus, ediderunt infantem alterum* æque grandem vividumque gemellum. Non tamen his similibusve observationibus inducetur ad asserendam *superfœtationem*, successive factam, sive novam fœminæ jamdum gravidæ post totidem septimanas imprægnationem, qui eam *de partus termino nunquam certo ac præcise præstituendo* tuetur sententiam, quam, præter alios fide dignos auctores, adductis speciosis argumentis atque exactis observationibus stabilitum civit *La Motte dans son Traité complet des Accouchemens naturels, non nat. & contre nature Livr. I. Chap.* XXVII. & XXVIII. Quodsi enim aures fidemque præbeamus iis Virorum ingenuorum peritorumque relationibus, quibus calculo circumspecti atque absque omni fallacia inito, infantes perfectos tam uno alteroque mense, aut paulo citius ante exactum nonum mensem, quam post eundem uno duobus, tribusve mensibus tardius natos fuisse edocemur, & vel inviti, non possumus non esse persuasi, tum demum fœtum in lu-

cem edi, quando satis robustus atque perfectus, vel, quod idem est, quando utero nimium gravis esse cœpit. Postquam igitur talis vel septimo jam, vel demum decimo tertio mense, vel alio inter hunc utrumque mensem interjecto tempore, evasit, tunc pondere suo atque magnitudine uterum cum musculis abdominis eo usque jam distendit, compagemque musculosam membranaceam diduxit, ut elater hactenus sensim adeo tensus nunc restituere sese omni vi conetur, spasmusque tam fortis uterique atque musculorum abdominalium contractio excitetur, cujus ope fœtus cum suis membranis deorsum deprimitur versus orificium uteri internum, hoc ipsum vi præmenti cedere, dilatari ac aperiri cogitur, transituque patente infans repetitis atque instantibus musculosarum partium compressionibus ex utero protruditur, atque simul placenta vel sponte avellitur & prolabitur, vel manuali adhibita opera eximitur. In hocce *mechanismo* fundatam esse *veram partus causam*, post alias rationes quoque comprobat argumenta κατ' ἀρσιν, v. gr. si fœtus eo tempore, quo hac musculosarum partium actio contingere incipit, capite suo ossi pubis, vel coxendicis, vel sacro inhæret, vel quando funiculus umbilicalis circumvolutus est, aut quando ventrem, pectus, mentum, dorsum, aliamve partui incongruam partem antevertit, tum partus difficillime, imo nisi incommodus ejusmodi situs immutetur, prorsus non absolvi potest. Item nisi ipsa parturiens fœtus optime siti partum, inspiratione profunda, aëris retentione, diaphragmatis pectorisque depressione, musculorumque abdominis compressione adjuvare simul connitatur, itidem tardissime vel nunquam infantem eniti valebit. Infans autem ipse ad partum adeo nihil confert, ut potius, quo magis inquietus est atque calcitrat, eo plus moræ partui injiciat, constrictionem uteri impediat, nisusque ad partum suspendat. Quæ cum revera ita se habeant, in proclivi est conjicere, *qui terminus partus geminorum*

minorum differens esse queat. Natura enim, dummodo elasticæ fibræ desinant esse nimium atque ad violentum resultum usque tentæ, facile retinet pondus longe minus gravans atque distendens, donec etiam istud grandius factum contractionem fibrarum invitet. Ecquis nescit, uterum, si molam paulo majusculam vel plures minores una cum fœtu gestat, mole nimia gravatum, justo citius ante fœtus perfectionem & molas & prolem excutere? Quemadmodum ex altera quoque parte constat, post felicissimum infantis partum secundinas vel molam sæpe retineri. *Quidni ergo alter gemellorum detineri potest, ob cessantem uteri coarctationem plenariam, vel ob cicitiorem orificii interni strictuam?* Præterea eo certius talis partus notabile temporis intervallum formans contingit, *quando gemellorum uterque peculiari ac propria, non communi aut coalita gaudet placenta*, quippe quæ absque avulsionis alterius periculo abscedit, vel quando parturiens minus perita atque sollicita utitur obstetrice. Hujus enim est officium, ut partu absoluto extractisque secundinis, idque eo magis, si duritiem regionis hypogastricæ observat restantem, ut, inquam, manu uterum, id quod post partum facillimi negotii res est, adacta non modo matricem à reliquiis forsan secundinarum grumis sanguineis, aliisve concrementis, eoque ipso à subsequentibus doloribus post partum, caute liberet, sed etiam simul experiatur, num uterus plane sit depletus. Ubicunque igitur vel corpus utero inhærens fibras nimium dilatavit ac tetendit, vel ubi uterus ante tantam, quantam sensim pati potest, extensionem ad spasmos, v. gr. à nimio sanguinis impetu, à purgantium atque acrium stimulantium usu, vel ab aliis causis, aut morbis, nervosum systema affligentibus, uterumque in consortium trahentibus, lacessitur, tunc omnino accidit, ut, nisi mature suppetiæ ferantur, uterus sarcinam, qua turget, ejiciat, & fiat pro re nata *partus immaturus* vel *præmaturus*, qualem sistit sequens relatio.

OBSERVATIO CVIII.

DN. D. GEORG. FRIDERICI GUTERMANNI.

De

Partu Geminorum Præmaturo.

Cum textoris cujusdam uxor nondum XXX. annorum, *trigesima* ab inito matrimonio *hebdomade* partum ederet bigeminum, alii metum marito incussêrunt, *partum* hunc *præmaturum* arguere ipsum præmature celebrati concubitus, hinc fore, ut magistratui debitas pœnas luere teneatur. Equidem & maritus ad conscientiam suam omnibusque patentem natorum *immaturitatem* provocans, & mater, se non alium, quam maritum post nuptias demum admisisse, quin imo teste sua matre ac marito, ipsis diebus nuptialibus ultimum tributum lunare se solvisse, obtestans, Deum jurato invocare, si opus foret, haud recusabant. Quo certius autem impudentem malevolorum calumniandi pruritum compescerent, me accersi jusserunt altero post partum die. Inspectione igitur apparebat, *puellam primogenitam fratellum suum magnitudine ac robore prævalere, longitudine tamen vix æquare octo cum dimidio pollices pedis Regii Parisini;* In capite tenera *fontanella* longe lateque meningum systolen ac diastolen & visui & tactui exponebat; *Suturæ hiantes cranii* ossa ceu tenues cartilagines facili motitatione disjungi & introrsum flecti sinebant; *Auriculæ tenerrima cuticula obtectæ* erant, nondumque plene conformatæ; *Oculi* lactescentes & nebulosi lucem non ferebant, & nunquam aperte diduci poterant palpebræ; *Pilorum vix aderat vestigium*, tam in capite, quam in ciliis, multo minus in superciliis; Patulum & latum os *ejulatum* ede-

edebat *vix exaudiendum ; Puelli planctus prorsus nullus sonus* sed facies & labia ad plorandum formata manifestabant; Sternutabat me præsente uterque natorum; *Cutis tenerrima* & rubicunda jam croceum induebat colorem ; *Funiculus umbilicalis gracilis* admodum tenerque erat; In sinu pudoris rubello puellæ erat inter labia prætumida ac elevata *magna clitoris*, ut primo aut in distans facto intuitu genitalia masculina præ se ferre imo imprudenter visitanti facile imponere posset, ac si adessent utriusque sexus genitalia ; Ita & puellus hac in parte à sorore ægre distingui poterat ab incauto, si minorem genitalium circumferentiam excipias, nam *mentula parvula* epitelide saltem obtecta, scrotulo satis firmiter adhærebat & ex parte in eo & cute vicina delitescebat, atque ad ejus latera cutis elevatior & pusilli testiculi sat exacte referebant puellæ partes; Oris inferioris exitus in utroque valde hiabat ; *Digiti manuum & pedum* in utroque *unguiculis subtilibus lividis* erant muniti ; *Motus artuum* erat admodum *languidus;* Puella beneficio turundæ aquam confort. off. nihil vero pulmenti, quamvis tenuis, puellus plane nil deglutire, & neuter matris ubera sugere potis erat, eo minus, cum papillarum magnitudo ad illam nucum juglandium accederet, si non exsuperaret. Inquirenti dictum est, puerperam, dum gravida erat, plus panis quam ciborum coctorum comedisse, lactucam & acetaria maxime ei fuisse in deliciis, cum flatulentiis inde genitis & ventriculi dolore identidem vexaretur, multa à supra jam indicato artifice, qui maxima auctoritate praxin impune licentiam à longo tempore arrogatam tuetur, assumsisse medicamenta purgantia, stomachica, carminativa, & clysteres, à quorum ultimo injecto statim accessisse partus conamina, fœtuumque exclusionem. His cognitis, ut metum de danda mulcta mitterent, ut coram Inclyto Magistratu, in casu necessitatis meum peterent testimonium, ut puerperæ, cujus pulsus valde citatus erat & lochiorum fluxus parcus, ma-

ture priusquam febris acuta facile lethalis invaleſcat, proſpicerent, exhortatus ſum. At vero poſtridie puellus placide emarcuit, & quinto poſt partum die mater deliriis ac furore conrepta interiit comparentibus ante vitæ finem exanthematibus, qulbus nomen imponere Pharmacopola (ἰατρὸς - medicus) curam gerens neſcivit, & matrem paulo poſt ad vitam æternam inſequuta quoque eſt infans puella. Num medicamina gravidæ exhibita partum huncce præmaturum & fœtibus & matri fatalem accelaverint, nec ne, id Omniſcius & Juſtiſſimus Judex in extremo ponet in apricum Judicio.

OBSERVATIO CIX.

DN. D. GEORG. FRIDERICI GUTERMANNI.

Infans cum fracto brachio natus.

NAturali partu editus eſt *infans vegetus* vivusque, brachium alterum ne minime quidem movere valens. Penitius explorata rei cauſa *os humeri* deprehendebatur *fractum*. Cum obſtetrix nullius in partu violentiæ conſcia eſſet, *puerpera*, quid ipſi forte acciderit, quæſita meminit, *tertia ante partum ſeptimana* ſurgendum ſibi fuiſſe noctu è lecto, atque tum in tenebris *abdomen fortiter alliſiſſe ad marginem acutam ligneam*, quo in læſionis loco ſugillatio revera nondum diſparuerat. Quæ quidem obſervatio uteri ultimo graviditatis menſe fientem extenuationem, & viſcerum interiorum ſalvis integumentis communibus à vi externa accidentem rupturam illuſtrare videtur.

(Kaufbyræ Altorfium miſſæ d. 19. Mart. A. 1732.)

OBSER-

OBSERVATIO CX.

DN. D. JOH. FRIDERICI HENCKELII.

De

Vermibus, post diuturnam cephalalgiam, per nares salutariter excretis.

FEmina, *cephalalgia atroci*, & fere continua per aliquot menſis laborans, incaſſum adhibuerat remedia, quæ conquiri poterant, generalia, ſpecifica & topica omnia, non aliter ſe habere dicebat, ac ſi vivum quoddam ſupra radicem naſi in fronte hærens roderet partes & vellicaret. Inter alia tandem, aquam ſibi commendatam, utrum deſtillatam, neſcio, an aliam naribus attrahendo *vermiculos duos alatos*, inſtat curculionum (ſchwartze Korn-Würmer) per emunctionem excrevit, unde atrox ille dolor ineffabili cum levamento ſimul & plane evaneſcebat. Aquam non vidi nec novi, qualis fuerit, vermium unum habui & depinxi, ſed perdidi. Ille non oculo armato ſolum, ſed & nudo, iſtius modo dicti inſecti ſpeciem, alis, pedibus, cornubus, tota denique figura tum & magnitudine repræſentabat, colore tantum excepto, utpote paulo lucidiore, qualem inſecta in occluſo detenta nanciſcuntur. Neque multum intereſt noſſe exactam vermiculorum iſtorum ſpecialem formam & habitum; quin potius indagare juvabit, unde beſtiolæ tales in alienam domum, ubi adeo impudenter tumultuatæ ſunt, pervenerint.

Vix quispiam tam parum emunctæ naris fingi poterit, quin ſubodoretur, illas in loco affecto generatos neutiquam fuiſſe, atque ita aliunde advectos ſe inſinuaſſe. Videtur autem

tem mihi probabile, quod ejusmodi animalcula in floribus, v. g. rosis & caryophyllis hospitentur ac delitescant; deinde, quod cum flores istos fragrantes naribus applicandi ea sit plerorumque hominum consvetudo, ut ipsos non modo arctissime apprimant, sed & odoramen omni nisu inspirent & attrahant; hoc pacto facile contingere posse, ut talia minuta insecta aut eorum ovula naribus simul excipiantur. Igitur cautelam, quam circa florum odorationem, pro devitanda vermiculorum per nares attractione, nonnunquam proposui, vilipendendam haud existimo. Cæterum vix credibile mihi est, quod insecta rependo tam alte per nares sese insinuaverint; quoniam titillatio in narium lanugine à reptatu necessario secutura maxime sensibilis, imo intolerabilis, vel profundissimo somno oppressum repente excitasset, & ad violentum emunctionem stimulasset, quo minus vermes in altum progredi, sedemque figere potuerint.

OBSERVATIO CXI.

DN. D. JOH. FRIDERICI HENCKELII.

De

Adipis cervini, & Cerebri humani perennitate.

Cervi sceleton non ita pridem in puteo metallico deserto, prope *Mariebergam* in Misnia repertum est, sine ullo alio cutis aut mollioris partis vestigio, præter *adipem omenti*, & simul forte *mesenterii*. Hic illo ipso loco, ubi cervus abdomini incumbens situs fuit, in acervulo deprehensus, plurimis constans frustis, quorum & nonnulla ad manus meas pervenerunt. Est ille *albus, sevi durioris instar*, quin ad consistentiam

tiam *lapidis ſmectis mollioris* non parum accedens, ſed igni injectus fœtorem empyrevmaticum ſpirat, indeque naturam ſuam & originem animalem manifeſte prodit, nondum adeo ad regni mineralis indolem converſus; quod etiam, ſicubi forte longiori temporis progreſſu fieri tandem potuiſſet, adhuc tamen fieri nondum poterat: Etenim ex hiſtoria iſtius loci conſtabat, octoginta annos præterlapſos eſſe, ex quo Dianæ ira forſitan fugatus Acteon hic in puteum dictum præcipitatus fuit, proptereaque animalium partium, inprimis molliorum, *lithiaſin* nondum fieri potuiſſe probabile eſt. Ceterum hic notari meretur 1) *adipis dicti à ſubcutanea pinguedine, magna differentia;* cum hæc in eandem, in quam membranaceæ, fibroſæ tendinoſæque corporis partes putredinoſam abierit colliquationem, ille vero contra omnem aeris, locique injuriam perſtiterit. 2) Cauſſa durabilitatis, quæ procul dubio in minore aquoſa humiditate conſiſtit, quamobrem oſſa, utpote præ partibus animalium omnibus humoris maxime expertia, non ſolum diutiſſime ſervari, ſed etiam petræfieri poſſe ſatis certo ſcimus.

Quomodo *Cerebrum* in hoc cervi ſceleto conſtitutum fuerit, non exploratum quidem mihi eſt, ſine dubio vero recens & corruptione intaminatum extitit, cujus rei inſigne exemplum *in ſceleto humano*, idque non ex hiſtoria antiqua, ceu ſubleſtæ interdum fidei, ſed ex ore viventis adhuc & minus creduli hominis avtoptæ, in promtu habeo, his verbis mihi relatum. Cum anno 1701. *Freybergæ in Hermunduris* in fodina metallica, *ſerpens æneus* dicta, in puteo ejus ſubdiali, non procul à latere ſub cuniculo, quem *Hermſer* appellant, puteolus ad dimidiam ſcalam effoſſus eſſet, *humanum* repertum eſt *ſceleton*, oſſibus grandibus, capillis criſpis nigris, capite in tabulato hærens, *cujus cerebrum durum & nivis inſtar candidum*, totum fere terra glebaque tectum; adhæc nullo alio apparente veſtigio, quam *corii fruſto*, quod vel de m etalli

fossoris crumena, vel de militis, detrusi forte aut delapsi, pera esse videbatur. Quin *cerebrum usque adeo petrosum factum*, ex Gallicæ historiarum monumentis quoque commemorat *Happelius* in Gazophylacio supernaturalium & admirandarum rerum p. 579. quod scilicet, cum aliquando Ajaci in Provincia Galliæ, finderetur ac dejiceretur rupis, *sceleton hominis* cum perspicua in saxum impressa imagine repererint latomi: *Ossa* quidem *dura, sed minus lapidea, cerebrum autem plane petrosum, & instar pyritæ, igni eliciendo inserviens.*

Hæc cogitanti mihi in mentem incidit 1) terræ generis, succi ejus locique exhalationum, ad recondita, & comprehensa corpora peregrina differens, isque diverso modo comparatus activus aut passivus habitus; juxta quam differentiam alia, materia æque ac forma immutabiliter servata; alia destructa & consumta, relicta solum impressione, alia calcinata, putrida alia, alia petrefacta effodiuntur. 2) Aeris ad hæc corpora insignis respectus, cujus in destruendo energiæ *cerebrum* semel expositum, aut saltem transitorie aura contactum, absolute obnoxium est, tum autem ipsi haud quaquam subjacet, ubi à contactu ejus præclusum atque ita cranio exacte munitum, adhæc sub terra inprimis in loco frigido coopertum jacet. 3) Elucet inde *substantiæ cerebri spectata nobilitas*, cum ossium medulla, non ignobilis materia; quamvis etiam imo arctius osse inclusa, plane exspirare soleat. Denique 4) mihi ad multas gratias obstringi cerebrinorum Philosophorum illam turmam existimo, qui duce quodam, *Vagan* (ni fallor) microcosmum pro sua fodina, futuras cranii pro desiderato undecimo puteo seu foramine, *cerebrum* pro debita minera, seu materia cruda habentes, in hisce de *cerebri* singulari natura observatis invenient, quo exultent.

OBSER-

OBSERVATIO CXII.

DN. D. JOH. FRIDERICI HENCKELII.

De

Venæsectionis ope salutifera, in morbo convulsivo, qui dicitur vulgo Zieh-Kranckheit.

PUer novem annorum, taciturnus, pallidus, oculis turbidis & depressis, capillis nigris, *vibrat brachia, jactitat pedes, conglomerat & in gyrum agitat corpus, distorquet os, collum, manus, digitos, pedes, ejusque plantas*, brevi: agit præstigiatorem mirum & violentum. Nec stare, nec ambulare, quin ne quidem aliorum brachiis suffultus, pedibus inniti, nec corpus in erecto situ continere valet, quo minus incurvando plantas ac genua truncoque quasi pendulo humum procumbat. Lingua tumida, rigida, vocis sonus non articulatus. *Interrogatus, ubi male sibi esset, indigitat frontem, umbilicum & pedes.* Ceterum *pedes semper frigidi*, os sputo superfluens, nares sanguine aliquando stillantes, præterea siccæ. Appetitus vagus, caninus nunquam. Ascaridum & lumbricorum non rara dejectio. Calores febriles erratici. *Animus semper præsens. Ecstasis nulla.* Sed caussa materiaque morbosa tanta, ut motibus convulsivis sufflaminandis neque intellectus neque voluntas ægroti par deprehendatur. Triste spectaculum!

Parentes illius, *fascino* præoccupati, confugerant primum ad agyrtas, sed acheronta diu frustra moventes adierunt me, postquam miserum per quatuor menses, tum morbo, tum perversa medicatione, excruciari passi fuerant. Præter primarum viarum impuritates & *vermes* caussam morbi

hariolatus, propinabam pulveres aliquot ex sem. santonic. lumbric. terrestr. myrrha & limatura martis, ultimum cum mercurio dulci, singulos oleo anisi parum imbutos, adeo felici successu, ut promte *excretis novem lumbricis majoribus*, sanguine plenis, non tantum quietiorem se puer gereret, sed & capite melius se habere innueret. Instabam *anthelminticis*, interpositis laxantibus; tandem ad vomitorium deveniebam, unde iterum lumbrici aliquot hospitium deserere cogebantur. Post mensem elapsum nuchæ vesicatorium applicare jubebam, capitis perturbationis, cephalalgiæ & linguæ tumoris avertendi gratia, sed frustra, nempe nondum cogitans *venæsectionem*, ut ut à natura manifesto desideratam. Quoniam tandem corpori purgantibus parcere ratio postulabat, primis autem viis nondum satisfactum esse videbatur, clysteres ex lacte præsertim, in usum subinde vocavi, quibus *lumbrici* amplius provocabantur, ægri corpore magis magisque quieto hinc reddito, non plane tamen omissis internis evacuantibus. Ab hostibus hisce nondum tutus & intentione alicujus contra totum morbum specifici adhibendi, dabam crystallorum argenti grana quinque, aquæ communis uncia una soluta, quæ vero cum partim in terram forte profunderentur neque pro catharsi neque specifice quicquam efficiebant. Tres dies post noviter ingessi sal hoc metallicum, ægro ut ut reluctanti, duos vomitus duasque sedes obtinui, vermes quidem nullos. Adhæc nucham oleo cornu cervi inungi curavi. Tum puero nostro *loquela facilior* paulo & articulatior fieri incipiebat, & paucos post dies, *lumbrico vivo* iterum emisso, dolores ventris exsuperatos, caput paulo liberius sibi esse, verum pedum, inprimis dextri debilitatem aut lassitudinem cum doloribus se sentire significabat. Abhinc balneum ex baccis juniperi, turionibus pini, floribus serpilli & chamomillæ ipsi præparari, & pedes circa juncturas unguento aliquo ex pinguedine anguillæ, oleo hyperici

rici & juniperi confecto inungi curavi, catharsēs, prout tempus & modus jubebant, non plane omittens; sed, ut ut æger, qua *motus convulsivos*, sedatior fieret, nec stare tamen nec ambulare huc usque valuit, ausu quolibet pedes divaricans, plantas pedum inprimis dextri retorquens, genubus rigidus, brevi, sibi auxiliari plane impotens. Cum tandem *narium hæmorrhagiæ molimina*, supra notata, recordarer, à confiderata humorum, qua spissorum, motui naturali plane contraria qualitate, vel potius Numinis instinctu aliquo commotus, ipso illo die, qui primus à duobus curæ hujus diebus erat, *dextro, qui maxime laborabat, pede venam secare jussi*, certe profecto *in præsentissimum* diuque pro quiete majori corporis & orthostadia desideratum *auxilium* atque solatium. Sanguis enim, omnino spissus, vix missus erat, ecce puer pedis statim compos magis redditus & postero die ita insistere illi incipiebat, ut venæ suæ sectione tripudians, veluti à genio suo impulsus, non modo à me peteret, *quo sibi & altero ex pede sanguis eliceretur*, sed & impatienter ferret, quum illi in me animus videbatur, petitum saltim differendi. Mecum autem cogitans, unde in puero nostro tanta ad sanguinis missionem propensio, recordans adhæc illius *Hippocratis*, *eo, quo tendat naturam ducendam esse*, & persuasus, ab altiori principio desideria talia in mentes influere, ne diem quidem ægro disputabam, quod anhelabat repetendum, verbo: remedium, quo tandem molestissimi hujus morbi sine dubio vero per *venæsectionem* (præmissis tamen præmittendis) citiu sanabilis, tota curatio omnibus numeris absoluta fuit.

Morbi hucusque historiam & therapiam tradidi: *Causa* non una, sed *duplex*, nempe *vermes & sanguinis spissitudo*. Utramque æger tacite indigitaverat, cum interrogatus, ubi male sibi esset, monstraret frontem, umbilicum & pedes. Quod ad *vermes* attinet, illi non solum ut existentes, sed & ut causæ in oculos incurrerunt; quia post debellatos & fuga-

tos eosdem, ventris dolores manifesto cessarunt, imminutis insuper convulsionibus. Quod *sanguinis congestionem* & hinc subsecutam *spissitudinem* concernit, *illam narium hæmorrhagia à natura attentata*, luculenter ostendit, hanc motus spasmodicus doloros pro successu humorum spissorum à natura susceptus. Cum enim sanguis, secundum intentionem & caussam ad perruptionem debitam non pervenerit, vasorum infarctus, partium gravitatem, impeditus humorum progressus, organorum inflatio & immobilitas, stupor, spasmus & dolor non potuerunt non insequi. Docere autem, cur & quomodo inter hæc lingua præsertim occupetur, ejusque activitas ad intumescentiam usque deficere soleat, siquidem in observatione sequenti de *Aphonia* peculiari exemplum proponetur, æque minus hoc expeditum est definire quam illud, cur dolor aliquis, tam ratione materiæ, quam motus ad plures & confines partes omnes æqualiter extendi posse videtur, v. g. podagricus, pollicem magis quam digitum minorem, aut vice versa afficiat? ut taceam, linguam ramis sanguiferis scatere non parvis, præterea neque oculos neque nares immunitatis gaudere privilegio, quorum illi eadem ex caussa catarracta, hæ secessione ulcerosa infestari non infrequentis observationis res est. Tandem ut ut resolutis tempore & medicatione in superioribus partibus hærentibus humoribus tenacioribus, ac proinde, sicut & ex vermium expulsione, subsecuta motuum moderatione & organorum aliqua restitutione, tamen inferiorum, nempe pedum vitium, vacillatio nimirum, rigiditas & convulsio aliqua restitit. Atque illud nulla alia in caussa, quam in humorum spissitudine, vasorum oppletione, partium rigiditate & impeditione constitisse exinde satis certo constat, quia *venæsectio, præsentissima, solida & constans ejus medicatio fuit.*

Sed aliud addere juvabit exemplum. Puella, novem annos nata, quatuor abhinc annis, equi improviso occursu valde

valde & ad vociferationem vehementissimam usque *perterrita*, imo prostrata, *corpus artusque mirum in modum agitat*, ceterum *quasi muta*, minimum, ad interrogationes nihil respondens. *Spastica hæc contractio* non quidem adeo assidua est, uti in puero antea memorato factum notavimus, utpote ne momentum fere quieto: Ceterum increscit indies, exacerbatur sæpius, viresque acquirit eundo, ut & ad *opisthotonum* devenerit. Ego in auxilium vocatus, morbi universum schema in hoc consistere comperi. Nimirum adoritur ille miseram puellam singulis diebus ter minimum, & insistit *torquendo* jam per horæ quadrantem, jam longius. Sub initium invasionis ejulatur afflicta, de pedum brachiorumque doloribus conquerens, hinc *subito in terram se prosternens conglomerat corpus, perrepit angulos & angusta loca, petit occulta, risum edit sardonium, disjicit quæcunque in manus veniunt*, tum se nigram puellam conspicere dicit, tandemque lacrymas profundens copiosissimas. Hi tragœdici omnes actus. Ceterum inquieta, sub somno pavida; febre non affecta, bibit parum, comedit largius, tabescit; neque illud mirum de tali corpore, quod tantum sui atque animæ ipsius torturæ gradum tamdiu perpessum est. Quod peculiare hic animadvertere mihi licuit, illud est, quod jusculà pane intrita, cujuscunque sint generis, nullo modo perferat, anxietates præcordiorum nunquam non inde sentiens. Quamvis ratio in promtu esse videatur, causam nempe non in jusculo, ut tali, sed ut ferculo sorbili calido constare, siquidem & multi ægri calida aversari solent; non tamen illa causa locum hic invenire potest, dum consideratur, alia calida jurulenta sive carnosa, sive herbacea, sive farinacea, sive leguminosa sint, & quæ obsoniorum nomine veniunt reliqua, dummodo jusculà ex carnium jure vel aqua & pane composita non sint, puellam neutiquam abhorrere.

Præ-

Præmissis digestivis ad *vomitorium* statim confugi, atque inde modo effectus optatos, nempe vomitus quinque pituitoso-bilioſos, cum *undecim lumbricis majoribus*, partim vivis, partim mortuis, sed & non parum levamenti, subjuncto olei cornucervi rectificatissimi usu interno per aliquot dies mane ad quindecim guttas, continuato feliciter effeci. Etiamsi autem ego ipse hujus morbi fallaci & insidioso genio parum fisus, neque rem actam esse persuasus, via hac curationis semel inita, heterogenea extirpando, Archeum revocando, motum temperando curatius progredi non omiserim: nihilominus, nescio quo casu, nono die Martii, symptomata ita recrudescunt, ac si plane nihil antea fuisset medendo effectum; nempe idem actus, eædem scenæ. Hactenus ad *Venæsectionem*, quam quidem in animo habebam, ideo confugere hæsitabam, ut certior fierem, quam illa hic necessaria vel minus semper sit, atque hæsitare ideo poteram, quia nihil in mora adhuc versabatur periculi: Nunc autem persentiscens, quid auxilii amplius restet & desideretur, ad *sanguinis missionem* sine ulteriori perrexi deliberatione, quæ eo facilius & auspicatius succedebat, cum puella non modo non resisteret, sed etiam erecto capite & animo ad eam, veluti ad choream ducta, manus daret lubentissime. Quo facto maris microcosmici æstus, tamquam Æoli quam Vulcani furore simul temperato, sedabatur, neque in hac therapia quidpiam aliud restabat, quam *expectatio & analepsis*, cujus beneficio & virium, & partium & humorum naufragia, in multis graviſſimisque morbis sæpe restituuntur.

OBSER-

OBSERVATIO CXIII.

DN. D. JOH. FRIDERICI HENCKELII.

De

Aphonia, per hæmorrhagiam narium ſponte curata.

PUer, quatuordecim annorum, mechanici artificis tyro, adverſam nunquam antea expertus valetudinem, officinam aliquando intrans, *in terram ſubito concidit*, quaſi fulgure tactus & percuſſus. Ad ſenſum revocatus & ad ſe rediens cum interrogaretur, quid ſibi acciderit, *ſurdum mutumque* ſe gerit, nulla quidem alias apparente ſenſuum tam internorum quam externorum læſione. Cum igitur charta cum atramento & penna ipſi porrigeretur, & geſtibus oſtenderetur, ut adnotaret, quid ſibi acciderit, & quomodo ſe nunc habeat, ſcribit, ſe nihil ſcire aliud præterquam, quod cum officinam intraſſet, illam igne plenam viderit. Inde iſte, ſive ut à concurrente, ſive ab efficiente falſamentis præfiguratione, ſine dubio perterritus eſt, ut, animi deliquio facto, corpus animæ fulcro deſtitutum non potuerat non decidere. Parentes, ad quos redire cogebatur, conſilia & medicamenta undiquaque accerſere non tardati, verum nemine quidem ſanguinis verſus caput congeſtionem & ſpiſſeſcentiam cogitante, ſingulis cum ſexcentis ſuis præſcriptis, arcanis, ſpecificis, nervinis, imo & magicis remediis militantibus. Trimeſtri denique elapſo, *nares pueri ſanguine ſponte fluere cœperunt, & ab iſta hæmorrhagia, ceu præſentiſſimo & efficaciſſimo hephata, loquelam iſte ſtatim recuperavit*; idque in ſubtilium Doctorum, qui contra acrimoniam & pro nervis aperiendis,

alto supercilio toti euntes, non vident, quæ ante pedes h. e. simplicissimæ artis & evacuationis sunt, perturbationem non adeo honorificam. *En naturam optimum medicum, & medicinæ optimum Doctorem, sanguinis congestionum, spissitudinis, plethoræ, venæsectionis indubium argumentum.*

OBSERVATIO CXIV.

DN. D. JOH. FRIDERICI HENCKELII.

De

Plantis Sinensium, ad confinia Siberiæ australis nuper observatis.

DN, *Johannes Godofredus Heydenreich*, amicus meus plane singularis, rei metallicæ apud *S. C. Majestatem*, *Russiæ Imperatricem*, magister, rerum naturalium observator eximius, nuper ad nos in patriam redux, præter complurium in isto vastissimo regno reperiundorum, lapidum & fossilium genera, simul etiam semina bene multa secum mihi attulit, quæ in Chinæ confinibus ipse collegit. Triginta septem eorum sunt, quæ singula *Augustissimo Regi* nostro, summe demissa devotione tradidi, atque *Suæ Majestati* valde accepta fuerunt. Nonnulla eorum, amicus ille meus, utpote vel plane incognita, vel tempore floris sibi non visa, nominare haud potuit; quæ vero significavit, ea non possum non hic describere, recordans, quod navigationis beneficio ab extremis Indiis facilius quam à Sinensium oris, longissimo maximeque incommodo itinere terrestri quidpiam impetrari possit, atque existimans, illorum, quamvis non omnia, neque plurima, tamen aliqua fore, quorum notitiam, minimum distinctam nondum plane habemus.

1. *Fru-*

1. *Frumentum Saracenicum*, Kirliſcha, lacte coctum, gratiſſimum ferculum.
2. *Lilium purpureum parvum*, flore cœruleo, odore violæ martiæ.
3. *Viola martia*, inodora, folio inſtar petroſelini eleganter inſecto.
4. *Viola*, odoris fragrantiſſimi.
5. Alia ejusmodi *Viola*.
6. *Frutex*, floris purpureo-cœrulei, foliis valde odoratis.
7. *Papaver*, flore luteo aureo, folio ſpicæ Indicæ, gratiſſimi odoris, inprimis veſpera.
8. *Papaver*, flore luteo pallido.
9. *Papaver*, flore obſcure luteo.
10. *Lilium Saracenicum* purpureum.
11. *Lilium*, cujus folia Mongalenſes coquunt cum carnibus.
12. *Lilium*, floris rubro-lutei, Tangunenſibus *Sarana pelevvaga* appellatum: Radicem ſiccatam loco panis edunt, pariter & carnibus coquendis addunt.
13. *Malus Armeniaca*, cujus fructus pulpa non accepta palato eſt.
14. *Lilium montanum*, flore cœruleo, obſcure rubro.
15. Aliud cœruleum, paluſtre, foliis arundinaceis, radicis venenoſæ.
16. *Spica*, odore pergrato; tenera, ſiccata, eſcæ ſuavis.
17. *Sedum* anguſtifolium aculeatum, carduo ſimile: Vere & autumno ſaporis aciduli, eſcis amœnum, lactucæ loco adhibendum.
18. *Vicia* montana, flore luteo.
19. *Vicia* erecta racemoſa, flore purpureo cœruleo; quorum ſemina ſingula ſingulis loculis inſtar ſimilarum colligata.
20. *Pæonia*, flore albo ſimplici.

21. *Sorbus*, baccis rubris, folio & ligno fere instar pomorum sylvestrium, Russis, *Gabloltschky* (Aepffelgen) vocata, saporis instar sorbi nostri, Elster- oder Arls-Beeren, mulso conficiendo inserviens.
22. *Carduus*, colore plane cyaneo, capite globoso.
23. *Larix.*
24. *Frutex*, erecti longi caulis, foliis latis, fere cordiformibus, floribus parvis fasciatis, odoris *Tuberosarum.* Crescit in locis umbrosis, & ad fluvium Obium & in montibus Werchaturensibus.
25. *Frutex, flore Genistæ instar*, folio trifolii, sed pinguiori.
26. *Convolvulus*, flore viridi albicante, campanæ egregie similis, folio mire inciso.

(*Dresda missa Altorfium, d. 28. Mart. 1732.*)

OBSERVATIO CXV.

DN. D. Lic. NICOLAI WEISSII,

Relatio succincta physico-medica, de fonte soterio Weidenbergensi, ditionis Brandenburgico-Byruthinæ.

Innotuit denuo forte fortuna, Anno R. S. 1727. virtus *Fontis soterii*, ab oppidulo Weidenberg, horam unam, à *Byrutho* vero milliaria duo distantis, in via ad pagum, Warmen-Steinach, ducente. Anno 1660. teste b. Doct. *Schaffero* (*) primum famam *miraculosi fontis soterii* non va-

nam

(*) in peculiari, quod edidit, scripto, cui titulus: Warhaffter Bericht von dem Ursprung, Krafft und Wirckung des ohnfern Bayreuth eröffneten Heil- und Wunder-Brunnens.

nam sibi contraxerat hæc scaturigo, quam per aliquot conservatam annos, demum quo fato nescio, amiserat: Nunc denuo, & major priori, virtus sese exseruerat. Namque, quamquam non omnibus nonnullis tamen, qui hanc bibendo, balneando, fomentando, lavando in usum traxerant, peculiarem tulit opem. Nam hæc aqua paralysin, arthritidem, hydropem, oedemata, colicam, dolores rhevmaticos antiquos solvit; podagram, scorbutum, melancholiam, cephalæam, epilepsiam, apepsiam debellavit; Cachexiæ, asthmati, vel senili, medelam intulit; aurium tinnitum, cephalalgiam periodicam, dolores chronicos ex casu ab alto, penitus sopivit; auditus, gustus & olfactus sensus restauravit; visum mire acuit; oculorum maculas & albuginem serenavit; ophthalmiam divertit; strumas, ganglia, hernias, sola lotione extirpavit; febres intermittentes quascunque, & maxime rebelles & turbatas sæpissime penitus profligavit; sudores colliquativos compescuit; hecticis succurrit; hypochondriacis & melancholicis, aut hæmorrhoides aut menses sæpe aperuit; catamenia nondum menstruatis, ætate tamen maturis, movit, deficientibus restituit; lumbricos interdum & necavit & ejecit; scabiem, fistulas, imo narium & oculi, ulcera pedum antiqua mundavit & consolidavit; membra contracta relaxavit, laxata roboravit, incurvata erexit, trementia firmavit; quasvis etiam saluberrimas metastases morborum instituit; & qui sunt reliqui portentosi effectus aquæ, ad quos credendos ipsemet vix inducerer nisi *Protocollum judiciale Weidenbergense*, meaque ipsa autopsia de plurimis sufficiens perhiberent veritatis testimonium.

Præterea cholericis & robustis quibusdam, laute viventibus, catharsin acrium, anumve arrodentium, humorum movit; vomitum, quem sæpe coërcuit, non citavit, nisi quibus stomachus aut pituita aut vermibus erat obsitus; nec tormina creavit, maxime licet copia ingurgitata, nisi paucis, aquam

bibendi prorsus insuetis; neque appetitum minuit, sed auxit potius; neque alias movit corporis molestias aut turbas; sed facili negotio, aut per urinæ, aut sudoris, aut simul per utraque emunctoria, rarius per alvum emigravit.

Ideo interdum plus quam 500. hominum interdiu confluentes, fontem funditus sæpe exhauserant; licet non omnes pari fruerentur eventu felici, non ob aquæ inertiam, sed partim ob diætam inordinatam, & aut perperam inceptam aut præmature interruptam curationem.

Per integrum mensem ipsemet curiosus *fonti* huic accolui, ut examen contentorum & operationum facilius instituere possem. De quibus nonnihil hic Actis publicis inferere, non inutile duxi.

Aqua laudata in radice montis sublimioris, ad tractum *Piniferi* (des Fichtelbergischen Gebürges) pertinentis, é duabus mediocriter scaturiebat rimis saxi, aliquam cum lapide sciffili & talco affinitatem monstrantis, saporis pergrati seu insulsæ dulcedinis, temperate frigida pellucida, inodora, vasis vitreis, quibus sæpe hauriebatur, perægre, ac si pinguedine essent illita, minus adhærens. Nullis præcipitabatur acidis aut alcalicis liquoribus. Ad destillandum erat facillima, siquidem undecima parte erat levior fluviatili; at vix quicquam spiritus capi inde poterat (quamquam tanta vis esset aquæ solvens, ut si vasa destillatoria in comissuris clauderentur vesica, quasi urinosa prolicieretur) nisi ex bullis, copiose ex recens hausta prosilientibus, & æthere suo elastico, vitra & vasa crassiora nimis & simul cooperta, statim frangente, magna spiritus subtilissimi & elastici præsens copia colligi oculis & mente potuisset. Terra ex mens. 1. aquæ post destillationem in fundo remanens; erat levissima, albicans, splendens, foliata ad instar flor. Benzoes, tactu lævis, insipida & alcalina. pondere gr. ij vel iij, Et quoties, (prout sexies tentavi) destillata prius aqua denuo destillabatur, toties tantundem similis terræ foliatæ ac antea reliquit,

quit, quippe quæ omnis naturæ metallicæ expers, intime aquæ unita, virtutem alcalinorum vel in abditis vaſorum locis exſerere apta nata.

Nec minus admiratione digna, amica principiorum compoſitio, ubi hæcce aqua in vaſe vitreo per tres aut plures ſervata annos, ab omni fermentationis aut putredinis ſuſpicione immunis, & qua ſi jam ex fonte hauriretur, eadem, qua olim, virtute anodyna, gratoque ſapore præpollens permanſit, ſed parum terræ ſuæ foliatæ depoſuit, quantum nempe aquæ, illam ſolventis, exhalaverat.

Tantæ durationis, levitatis, puritatis, elaſticitatis, tantæ balſamicæ, abſterſivæ, reſolventis, tonicæ, abſorbentis & anodynæ erat virtutis. Ideoque ſive recrementa inimica præparaverit ad ſecretiones & excretiones felicius ſubeundas, ſive partes laudabiliores fortius redunierit; ſive ſpirituaſcentia ſua, mole minima, indole maxima, quæ non vi, ſed virtute efficax, debitum partibus conciliaverit tonum; ſive humores balſamica ac perennante virtute ſua à putredine arcuerit; ſive reſtaurata inde amicabili lympha motum nervorum ſpaſmodicum placaverit; ſive eluitione & alteratione ſalium peregrinorum & miaſmatis febrilis anſam irritationis ſuſtulerit; ſive omnis corroſivæ aut ſalinæ indolis expers bellum non indixerit partibus: ſive ſingulis ſimul ſatisfecerit deſideriis; laudes promeruiſſet non mediocris virtutis medicæ, ægrotis plus quam uno nomine commendandæ: At nolo prolixus eſſe, in caſtiganda illorum incuria, qui omnem effectum fiduciæ, qua caperetur vulgus, tantum adſcribentes, famam hujus fontis minuere & contemtum magis parere ſtudebant, qui, proh dolor! major inde acerevit, ubi, infauſto conſilio, alia, ab hac miraculoſa, paſſus circiter octo diſtans, ſcaturigo, propter aquæ ad potandum in ſufficientiam, ductu ſubterraneo ad hanc eſt derivata, unde virtus non tantum aquæ prior imminuta, ſed poſt fontis, cum janua ferrea penitus occluderetur, commercium

cium cum aëre interceptum, ferme in totum mutata, ita ut facilius, ac alia aqua, nunc putrescat, quæ antea per tot annos putredine non inquinabatur, quæ omnibus excelluerat bonitatis notis, (*) & quæ dignior fuisset alacri Medicorum cura.

Derivata, uti comperi, equidem iterum aliena aqua, non tamen plus hactenus exercet virtutis, nisi quod arthriticis & febricantibus nonnullis medeatur.

(Curia Variscorum missa Altorfium d. 9. Apr. A. 1732.)

(*) conf. DN. D. *Frid. Hofmanni* Diss. de methodo examinandi aquas salubres: de aqua medicina universali: de aquæ naturæ ac virtute in medendo.

OBSERVATIO CXVI.

DN. D. JO. THOMÆ BRINII.

De

Calculo, per abscessum in urethra facto, juxta scrotum, excluso.

Si quando in *amplissimum Naturæ Curiosorum ordinem* cooptatus sum, (quod Tuæ, *Vir Celeberr.* humanitatis fuit) id mihi oneris injunctum sentiam, ut ad bonarum Artium, & Medicinæ inprimis incrementum, & ipse aliquid præstare omni majore studio connitar, vereor tamen ne ob ingenii mei mediocritatem, & societatis dignitati, & sapientiæ tuæ respondere possim. Sed cum illud mihi persuasum sit, in re physica, & medica *historiam* plurimum valere, eamque admodum posse conferre ad *morborum naturam* cognoscendam, etiam in uno plerumque, eodemque morbi genere, ut pro earum

earum differentia, diverſa ſubinde agendi Naturæ regulæ percipiantur, propterea & obvia ipſa ſæpius recenſuiſſe inutile fore non cenſeo. Sed quid obvia dico, quando non ſint hujusmodi multa,, quæ paſſim occurrunt, vel ſi occurrant ut obvia, non ita tamen facile comprehendantur? Quare cum elapſis proximis diebus obſervationem fecerim ad ea, quæ ſolertiſſimi Viri *de Calculis* in aliqua humani corporis parte genitis memoriæ mandarunt, ſubiit ſtatim mentem obſervatio quædam habita hos paucos ante menſes, quam ad Te ſtatim mittere decrevi, eo conſilio, ut non modo obſtricti animi mei ergaSocietatem fidem aliquantum liberarem, verum ut me Tibi maxime devinctum etiam eſſe teſtarer. Ab hujusmodi poſtmodum concretionum productione, ad longe diverſas alias animum intendens, tanto magis, quæ frequenter occurrunt illuſtratione, & hiſtoria indigere mihi viſa ſunt, cum ita occulta eorum principia ſignis obviis implicentur, ut ferme nullo modo dignoſci queant. Quod ſi quæ dico levia fortaſſe videri poſſint, non itaTibi *Vir Celeb.* videri poſſe credam, cum optime ſcias, nihil in re medica eſſe tam certum, tamque exploratum, quod confirmari magis magisque non debeat, perque alios, aliosque caſus ars perpoliri, & locupletari non poſſit, Cæterum, ſi quæ graviora in dies ſupperent, quæ vel rem medicam illuſtrare phænomenorum varietate, & novitate valeant, vel cæterarum naturalium rerum contemplationem fovere, verbo, *Te* & *Societate* ſi dignum quidpiam fuero perſcrutatus, ad *Te* id continuo ſcribere non gravabor.

In Noſocomio itaque Patavino curandum ſe ſiſtit *ruſticus* quidam ætate jam grandis, ob grave,, & minime tunc temporis ferendum incommodum, dum meiere conabatur, quo vix ab initio moleſto, ab octo ſupra decem annis ex ſuborto duro, parvoque primum, mox *prægrandi tumore in regione flexuræ, penis, ſub urethra, juxta ſcroti initia, laborabat.*

Ab eo tempore cœpit igitur exordium, & sine dolore quidem, si id recte tamen meminerat ægrotus ipse, (nam morbi sui non absolutam rescivit narrare historiam) sive ex aliqua sugillatione initium sumpserit, sive ex aliquo lithiasis seminio, vel gonorrhœæ specie labem contraxerit. Annorum porro decursu, cum grandesceret tumor, difficultatem etiam exinde majorem eo in loco experiri cœpit, urinæ stillicidium, & doloris incrementa ob tumoris pressionem, & vim resistentem urinæ defluxui. Cum majorem in modum tandem excrevisset *durissimus hic tumor, inflammabatur* etiam ipsa circumposita cutis; quare febribus nonnullis sibi consociatis *suppurationem* molita est. Hac perfecta, ut puri liberius fluendi aditus fieret, cum levis instituta esset incisio, ex ea *durissimum corpus magnitudine ovi gallinacei, ejusdemque prope figuræ* vi nulla adhibita exilivit, *glabrum, subcineritii coloris*, & qua ex parte urethram spectabat acutum, inferna vero exteriori obtusum magis, & crassum. Lucernæ flammæ examini expositum, nullum dabat inflammabilis substantiæ signum, sed cum inde squamæ quædam essent evulsæ, ita fuisse in lamellas dispositum, unialias superincumbentes, compertum, ut in *vesicæ calculis*, & in *lapidibus Bezoardicis* fieri observamus. Illud notatum, nempe post eductum calculum, dum mingeret, aliquam lotii portionem & per vulnus reddidisse. Curiosum sane fuit inquirere, quid *Calculo* huic causam originemque dederit, eo maxime in loco, ubi præter subjectam urethræ externam cutem, glandulare corpus nullum, vel loculus aliquis peculiaris interponitur, in quo cujusvis generis humores crassiores, terrestres, vel similis naturæ particulæ possent subsidere. Illud videbatur unum suspicandum, cum certum nullum appareret signum aliud ibidem generati *Calculi*, erosa aliquando urethra, sive ab acri aliquo gonorrhœæ viru, sive ab acuto aliquo arenularum spiculo, vel acuto minimo calculo forte fortuna eo in loco restitante, vimque loco inferente, rima facta, &

ulcu-

ulcuſculo, veluti in ſinum hunc ſeceſſiſſe. Quod factum videre alias contigit in adoleſcente bubulco lithiaſi obnoxio, qui cum jam pridem duos ejeciſſet calculos, unum poſt alium, quorum alter circa mediam urethram cum reſtitiſſet plusquam per horas quadraginta, niſi violenta manuum attrectatione, & compreſſione inter lethales cruciatus indidem fuit expulſus. Qua violentia ita noxam, & ulcus ad finem interfœminei contraxit ut longe poſt, qui eo illapſus eſt tertius ulceri adhæſerit, ſuisque angulis, & urinæ adpulſu urethræ tunicas omnes perfregerit, quaſique inter thecam concluſus, (intra urethram nempe, & cutem) diu ibi permanſerit, mole non aucta, ſed tantum gravi dolore urinæ fluxum impediendo. Quare conſilio inito cum certa præſentis *calculi* ratio eſſet, ſecta cute, facile eductus eſt, & ſanitati cito reſtitutus patiens. Erat hic *Calculus* inſtar pyramidis triangularis, angulis obtuſioribus, duabusque protuberantiis inſtructus, altera in uno angulorum, alia vero in uno laterum ſuorum circa medium. Glaber, & ſplendens, Bezoar orientali non diſſimilis erat, nonnullisque variegatus in locis albidiori colore, ponderoſus, fabæ magnitudinem coæquabat. Cum poſt inciſuram minxiſſet, & ab ea parte fluebat lotium, indicio ſatis manifeſto, ab aſperiori calculi angulo excitatum fuiſſe ulcus, per quod in loculum, in quod divergerat, proceſſiſſet. Suſpicari igitur & hoc in caſu licuit, etſi ab ægro ipſo id accipere non potuimus, laboraſſe aliquando leviter *lithiaſi*, ut urina fœta vel acrioribus ſalibus, vel arenulis, hæc ſpiculis iſtis vitium eo in loco excitaverit, præſertim ſi veluti inciſum ſcrobiculum aliquod in ea urethræ parte natura fuit, vel quaſi caruncula oppoſita, unde veluti diverticulum parare etiam ſibi potuerint particulæ viſcidæ acres, vel arenoſae; quemadmodum & in renibus & veſica urinaria calculi producuntur ab aliqua viſcida, lenta, mucilaginoſa, & in durum corpus facile concreſcibili materia, ibi vel ſecreta, vel depoſita, & per mo-

ram in lapidem concreta. Haud igitur dissimili modo hic quoque coacervata vel tantilla materia calculi soboles, ut in duriorem massulam assurrexit, præterlabentis etiam urinæ adpulsu cum calculus hic adeptus sit, ut mole sua viam urinæ præcluderet. Quo exemplo calculi extra urinarios canales adinventi, satis confirmatum videtur mihi, & hoc proposito in casu non ibidem ab aliqua remotissima caussa genitum fuisse calculum, sed delapsum, cum haud defuerint, qui existimarent ex interceptis tantum viscidis liquidis ortum traxisse, communionem vero urinæ cum loculo extracti calculi, ex aliquo contracto ulcere inflammatæ partis, & gangræna affectæ provenisse. Nam quidquid dicendum sit de concretionibus innumeris, tum sub lingua, tum in cerebro, cum aliis in locis productis, caussam in loco ortus sui nactis, ibidemque instar tophi cujusdam coactis, cum locus hic supra commemoratus viscidis destituatur succis, formaque concreti hujus corporis piriformis, urethræ tunicas, qua parte acutior est, spectaret, videtur potius in spatium sibi factum ab initio ab aliquo extraneo corpore novam subinde materiam ab urethra perforata depluisse, quam illam, quæ inter cutis fibrillas permeabat, impeditam fuisse. Obiit autem noster Patiens paucos post dies ab extracto calculo, cum jam annosus esset, febribus ac suppuratione in tam sensili parte, atque gangræna afflictus. Non dubito tamen quin fausta evenisset *Calculi* hujus eductio, si dum integris erat viribus, & satis firma ætate, tentari passus fuisset aliquid, remediumque quæsivisset oportune in tanto, ac pernitioso lotii reddendi labore. Verum quæ de hujus calculi caussæ, sive origine scripsi, ita *Vir Celeberr.* accipias velim, ut me de re dubia nihil pro certo, & vero affirmasse credas. Multa enim quotidie evenire in Medicina videmus, quorum caussa obscuræ & incertæ, etsi præ manibus frequenter occurrant. Nunc ad alia transeamus, prædicti quidem *calculi historia* non ad-

adhærentia, verum ad id, quod initio dicebam confirmandum, artemque medicam illustrandam opportuna; quæ sane quantulacunque sint æqui bonique, pro tua humanitate, facias rogo.

OBSERVATIO CXVII.

DN. D. JO. THOMÆ BRINII.

De

Occultis pulmonum, aliorumque viscerum abscessibus, difficiliter cognoscendis.

Hippocratis, sive Viri cujusvis alterius, magni tamen, singularis doctrina est, quæ apud eundem *in libro de Alimentis* legitur; *Confluxio una, conspiratio una, consentientia omnia.* Cujus quidem dicti ratio adeo in Medicina facienda corruscat, ut hoc qui idem audeat ire inficias nemo fuerit unus. Quanto tamen magis notionis hujus certa ratio est, tanto etiam aliquando magis falluntur Medici signorum incertitudine, quibus ducti regulis veluti indeficientibus, etsi recte agere videantur, caute agere haud dici merentur. Sed hæc adhuc etiam infirmæ artis causa est, non exigui operis, & medicorum solertiæ egentis. Verum ad rem.

Mulier ferme sexagenaria, gracilioris habitus, domi frugalis, variis tamen, pinguibus, & crassis per occasionem eduliis vesci aliquando solita, etiam ad satietatem nimiam, ut propterea vomitus, cephalalgias, & alia sustineret incommoda; aphona primum ex quodam partu (cum plures jam suscepisset liberos) mox rauca procedente tempore, duobus abhinc annis, tum propter has, cum propter diversas causas in graviores pellucidæ lymphæ vomitus incidit. Evenit

etiam, ut per dies æstivos in prædiolum suum rusticano plaustro adveheretur, adeo sedis incommodo, ut tota quassaretur, & solis meridianis, ac propterea fervidioribus radiis semiureretur, cum per aliquot dies una cum cæmentariis, reparandæ collapsæ horti sui maceriæ in aprico operam dedisset, cum insueto labore, tum plaustri concussione vexata, factum omnino est, ut pristinam sanitatem amitteret. Quare toto corporis ambitu *exanthematibus*, sive vulgo *Efferibus*, affecta, sola quiete, & somno curare se instituit. Exinde in domestica negotia nihil minus anxie incumbens, spontaneis lassitudinibus, vomitu frequentiori, & dejecto maxime appetitu cœpit vexari. Vomitus excepit ructus frequentissimos, hypochondriorum tensiones, alvi, licet naturaliter tardæ, majorem densitatem, appetitum nullum, vigilias, dolorem insignem in regione scrobiculi cordis, fortasse leves nonnullas erraticas febres, maciem tandem cum summo virium languore. Observatus est etiam durus, & profundus tumor in antica stomachi regione. Per hæc tanquam ex affectu hypochondriaco curata fuit, digerentibus nempe, humectantibus, martialibus blandis admixtis, per epicrasin alvum solventibus, stomachicis, cibis facilis concoctionis, & similibus, & exanthematum ratione initio cucurbitulis scarificatis scapulis appositis. Cum his tamen, aliisque ex hoc fonte indicationum petitis remediis proficeret nihil, imo invalescceret morbus, vomitus nempe, macies, vigiliæ, languor, censuit idcirco Vir rei medicæ usu prudens, ortum suum affectionem habere posse ab organico stomachi aliquo vitio, habita tumoris tunc explorati maxime ratione. Quare levibus hujusmodi recensitis, non dixerim remediis, sed linimentis uti cœpit, quasi prognostico ægrotantem relinquens. Exploratis post id tempus visceribus, & stomachi regione, durus ille tumor vix apparebat, nisi quid aliud se proderet, quod resistentibus solidis, & communibus velamentis tribui posset. Cibum à Novembri difficile retinebat. Va-

ria

ria cum appeteret, concessa omnia, nihil tamen inde proficiebat. Morti proxima, insperato, levi sub vomendi conatu cruenta ori materia apparuit, & spuma quasi sanioſa ante diem alterum ab obitu. Fatiscentibus demum viribus, & loquela amissa, septimo Kal. Januarias migravit ad plures.

Cum multa propterea mecum ipse volutarem, intelligeremque affectionem istam minime fuisse hypochondriacam, neque stomachi tumorem, aut ulcus; atque etiam tum veteres consuetos vomitus, cum noviſſimos nihil commune habuisse inter se; & dolores circa stomachum erodentes, ructus, intestinorum murmura, viscerumque infimi ventris ad epigastrium tumorem, & tensionem impositse, renuentibus filiis cadaveris dissectionem, contigit sub idem tempus hominis cujusdam, instituto salarii, proximæ ferme ætatis, interitus, qui per tres propemodum annos iisdem affectus symptomatibus, & ultimæ proinde notæ ab omnibus habitus hypochondriacus, variisque à Medicis etiam hujus Urbis primi subsellii, vario remediorum genere, ordine, & copia tractatus, non aliis nunquam indicationibus toto morbi tempore curatus fuit. Cum quid agendum vix superesset, ad omnia periclitanda in desperato morbo, nec agyrtæ imperitiſſimi prætermissum est pharmacum, ex cujusdam ejusdem farinæ idiotæ scriniis excerptum, quod medicamenti genus aqueum sub Medicinæ universalis nomine erogare non erubescit. At hic quoque macie tandem, vomitibus nigris per aliquod tempus ante puris rejectionem, acerrimo non dissimilibus aceto, ut sibi guttur erodi videretur, dolore ingenti in sinistro hypochondrio, ventris rugitu enormi, & tensione, stomachi cruciatibus, cibi fastidio, animique languore correptus, vim aliquam noviſſimis vitæ suæ diebus sanioſæ, & purulentæ rejecit materiæ, ex qua qui tunc aderat Vir doctus, & in medicina facienda admodum versatus, *Antonius Alpagus* (ex cujus familia illustrem Avicennæ Commentatorem, *Antonium* seniorem *Alpagum* habemus) suspicatus

tus

tus est Pulmonum labem, altero quamvis in ea curatione socio contraria sentiente, magni licet nominis, medico. Cum periisset æger, aperto cadavere, infimi ventris viscera omnia integra inventa sunt, nullum in stomacho vitium, humorum congestio nulla, organicique vitii apparatus nullus. Secto deinde thorace, nulla seri copia sese in conspectum obtulit, nulla in anteriori *Pulmonum* facie læsio; verum subductis Pulmonibus, in postica, & infima sinistri parte, *ingens tumor*, supra duas illius loci partes teneras *durus*, morbosum ut jecur *pure plenus, à cujus maturata suppuratione suffocatus est æger*, inventus est.

Hæc eo me deduxit historia conjectura, ut pro certo haberem *in præfata muliere haud absimili abscessu laborasse Pulmones*, & initia quidem sumsisse, cum defatigata plurimum sub cœlo aprico vilissimi cæmentarii suppleret vices, quæ ne rei familiaris jacturam faceret, sanitatis fecit, & vitæ. Gracilis enim, & delicatulæ habitudinis, latrante cane, tam motu, quam gravi labore solida exercuit, ut iisdem irritatis plurimum incaluerint præcordia, & levi aeris petita perfrigeratione obriguerint, unde illa serosi laticis in cutaneis glandulis stagnandis sanguineus velut diffusus, & interpellatus *exanthematum tumor*. Non dissimili incensione, ac fervore affectos fuisse *Pulmones*, conjectari licet, in quorum fibrillis non ita fortasse ab æstu, & tensione liberatis, neque corrugatione omni retiformium nervearum sublata, sensim ac sensim congesto magis magisque sanguineo latice, in impedita magis parte, & in gelatinam quandam degenerante, tumor subortus, auctusque est; *Fluxiones* enim (secundum *Hippocratem*) *& perfrigerata valde carne, & percalefacta fiunt, ac superinflammata.* Ex longa exinde mora corruptus est humor hic, & cum ipso vesicularum quarundam structura, qui *Vomicam* produxit, & probabiliter quidem, ut in jam commemorato homine, *in infima Pulmonis regione*, qua stomachi canalem, supremumque ipsius orificium

cium spectat; qui cum mole sua septo transuerso incumberet ubi ab œsophago perfoditur, pondere, et magnitudine irritationis, doloris, vomitus, & cæterorum potuit esse caussa malorum, potissimum vero (ad quod fortasse erat attendendum) dyspnœæ in incessu, locorumque acclivium ascensu, febris et maciei. Sed ad morbi huius naturam non sinebat advertere quies in utroque corporis latere, tussis nulla, nec vera lenta febris, licet aliqua non defuerit interdum, cum rigore levi; quare ad pulmonum labem id referri debere non videbatur. Mentiri etiam potuit tumor hic organicum ventriculi, vel pylori vitium; id cibi fastidia, id etiam pulsus parvi, & æquales. id sub xyphoide cartilagine tumor, dolorque nullus in attrectata tumente parte, qualem similem Vir Clar. *Jo. Baptista Fantonus* in suis Obsservationibus Anatomico-medicis, Obs. XIV. Scholis adornatis a Cel. *Joanne Fantono* filio, habet historiam; in qua Vomitus, & cibi fastidia a cartilagineo pylori, & supernæ duodeni partis exterius vergente tumore, ipsumque intestini canalem premente, ortum ducere apparebant. Ex eo namque obice diutius in Ventriculo detinebantur assumpta alimenta, quare acorem contrahendo maxime corrumpebantur, & exinde omnia recensita phænomena producebantur. *At dum per vomitum excretum tandem est pus suppurati Pulmonis, satis aperte innotescere potuit, quam persæpe nobis antiqua suppeditent signa varia morborum genera, fallantque Medicorum industriam & judicia, ea quæ frequenter contingere obsservatum est, ut ad insueta nobis, ac rariora animum non advertamus.* Quod dico illustrat etiam magis historia alia ab eodem, quem supra laudavi, Cl. *Alpago* mihi communicata, dum de re hac secum ipse conferrem. Hic cum per dies multos fœminæ cuidam medicinam faceret, febre, & enormi vomitu affectæ, ut neque medicamenta indolis cuiusuis, nec cibum varii generis, etiam ad appetitus ingenium concessum, retinere diu posset, sed omnia promiscue nondum subacta, & confecta

cta rejiceret, variis infecta humorum stomachi, & finitimarum pancreatis, hepatisque glandularum coloribus, cum inde de organico quodam vitio ad Pylorum maxime existente suspicio statim subiisset, contigit, ut biduo antequam moreretur sanguinis fœtentis valde, & corrupti copiam per uteri naturales vias emitteret, qui ab assidente mulierecula pro catameniis fuerat acceptus.

Ut primum materia hæc sanguinea, & pene dixerim purulenta fluere incepit, desiit illico vomitus, restitutus non est appetitus, cibus tamen à stomacho egregie confici videbatur. At cum *uteri* hic esset *abscessus*, ob corruptam maxime materiam, & insigne nobilissimi visceris ulcus, res conclamata fuit, ut perfrigerationibus paulo post supervenientibus, diem suum ægra obierit. Quod igitur *Vomica in Pulmonum substantia*, qua parte stomachum premere poterat, vomitus, dolores, angustias, & pleraque alia mala produxit, potuit haud absimili mechanica, & *in utero excitatus tumor* in eadem stomachi regione symptomata paria gignere.

Quis enim ignorat a quauis uteri distensione stomachum plurimum affici? Id gravidarum status docet, quæ immanes vomitus, graves, & diuturnos pati solent, non quidem ab infecto sanguine, à seminis virilis aura, vel longe minus à crassiore ipsius substantia per vasa uteri venosa in universam sanguinis massam propagata, uti putant illi, qui hac ratione fœcundationis negotium expedire facile, & apposite existimarunt; sed à mechanica ejusdem uteri immutata forma, cum jam turgere, & distendi incipiat, & quasi augmentum capere statim à conceptione, non aliunde illi communicatur, quam ab ipsis iisdem tremoribus, à quibus totum fœcundationis negotium repetendum esse, *in mea de spiritibus animalibus commentatione*, accepisti. Hincsive premente utero stomachum, vel aliud quodvis eidem proximum viscus, sive stomacho, cibis præsertim maxime refecto (unde & à pastu statim vomunt, etiam

pro-

procedentibus gestationis mensibus) uterum comprimente, vomitus, nausea, & anxietates corripiunt. Liquet propterea, quam in chronicis morbis, ut initio proposui, quamque etiam in acutis aleæ sit res plena, sique idcirco *maxime necessaria, continua Cadaverum inspectio,* qua erudiri possimus in re medica facienda, num quæ nobis obvia ex signis esse putamus, sint revera talia, cum omnino rara quædam, constantia tamen in proposito naturæ commoveant partium consensum unum quidem esse at decipere plerumque Medicos, & decipiendo edocere morbos admodum diversæ indolis esse in dissito loco, qui vim sæpe faciant, longe ab illis diversos, quos hactenus probata signa præ se ferre videntur. Non ita quidem quia falsa portendant, quæ obvia portendunt signa, verum quia plerumque illud ex signis judicium ferimus quasi morbi principis, cum sint morbosi producti, vel alterius morbi natura toto cœlo diversi signa.

(*Patavio missæ Altorfium, per Epist. ad D. Præsidem, M. Majo, 1732.*)

OBSERVATIO CXVIII.

D. ALEXANDRI CAMERARII.

De

Extremo Pollicis articulo una cum tendine flexore ac Nervo, violenter avulsis.

QUod juxta *Ephemeridum nostrarum Decur. III. Ann. V. Obs. CII.* multi, etiam magni nominis Medici credere noluerunt, donec oculis usurpare suis atque manibus palpare potuerint, stupendum prorsus atque omnem fere fidem superans ideo pronuntiantes, nimirum potuisse chirurgo juveni *digitum indicem, una cum trunco nervi cubitalis ultra dimidiam ulnam longo, è manu violenter avelli,* id ipsum etiam

apud nos contigit, atque adeo obſervationem huic bene conformem ſubminiſtravit. Etenim obtulit mihi tum ſub Februarii principium chirurgus ex vicino pago extremum digiti articulum, quem ajebat ancillæ ruſticæ violenter avulſum fuiſſe. Dignus primo ſtatim aſpectu viſus fuit hic caſus, quem audirem attentius, auditum conſignarem, quin & conſignatum publice hic iterum proponerem. Quod ille igitur narravit, huc redit.

Inſeruerat ruſtici ancilla *pollicem ſiniſtræ* manus internodio arctiori duplicati funis, quo ligatus ad præſepe ſtabat bos; cum hic, ſolvi vel duci renuens, caput ex improviſo converteret in latus alterum vi tanta, ut ipſa fruſtra renitens ſe tam cito extricare non potuerit, ſed *primum anteriorem dicti digiti artic ulum* uno impetu abreptum hoc ipſo perdiderit, & hinc ejulabunda currendo properaverit ad ſuos, clamitans ut chirurgus iſte, totam ſe amiſiſſe per bovis violentiam manum ſuam. Vicinus ergo chirurgus ad curandum *pollicem mutilum* cito advocatus ipſe eſt, qui portiunculam altero mane adhuc invenit in ſtabulo, eamque poſt paucos dies exhibuit & communicavit. Qualis hæc mihi tum fuerit viſa, prius deſcribam, dein etiam puellæ fata ſubjungam.

Magnitudo primum videbatur fere minor, quam pro ætate ruſticæ jam adultæ, aut alterius digiti hoc fuiſſe extremum: Verum *ſubſtantia* ipſius jam fuerat *contracta* & *corrugata*, non corrupta tamen, nec fœtens, ſed *exſiccata*; *Unguis* lividus; *pulpa* rugoſa, quaſi perſpicua. Cæterum omne hoc ceu ſtudio parum oblique abſciſſum, non lacerum inæqualiter, cum ſuo intus *oſſiculo* integro. Praecipuum vero notabile fuit propendens ab inferiore evulſi hujus apicis parte, cui firmiter nexa hæret, *chorda* quædam ſatis *craſſa*, denſa, fortis, etiam exſucca quidem jam & contracta, lumbrico tereti ſimilis & æqualis, *ultra quadrantem ulnæ adhuc longa*, ſed a pollice longo tractu pulchre *flava*, quaſi *ſuccinea*, glabra, clara, per reliquum obſcura,

ſcura, fuſca, inæqualior. In latere externo ejusdem avulſæ portiunculæ, non ab oſſe, ſed à carne dependet chordarum *altera*, à priori bene diverſa. Hæc enim multo *minor* eſt, *brevis* admodum, inſuper valde *gracilis*, parum ultra duos pollices transverſos longa, filo vix craſſior, *pallida*, latiuſcula, interim tamen etiam ſatis firmiter adhærens. Et in hoc ſtatu manſit ad hunc usque diem articulus, in muſeo meo aſſervatus, nec balſamo indigus, nec corrumpi vel ullo modo mutari deprehenſus.

Sed ab eo, quod deperditum, & cujus jactura irreparabilis eſt, ad id quod ſupereſt, & cujus conſervationi utique ſtudendum erat. *Mutili pollicis curatio*, quantumuis ob extractam chordam geminam valde ſuſpecta, non male tamen ſucceſſit, nec difficulter abſolvi potuit, carens omnino ſymptomatibus gravibus, ut cito inciperet ancilla diſcere digitis indice & medio fila ducere. Uti enim ab hero non magni fuit æſtimatum vulnuſculum, ita nec ancillæ longum à laboribus domeſticis vacandi tempus fuit conceſſum, ut plus habeat curioſitatis Medicæ hic caſus, quam chirurgo tulerit præmii ac ſoſtri.

OBSERVATIO CXIX.

D. ALEXANDRI CAMERARII.

Oedipus.

Oedipum hic ſiſto, non *Tragicum Senecæ*, nec *Chymicum Beccheri*, ſed ſimilem iſti *Thebano, qui à tumore nactus nomen ac vitio pedum.* Quod enim in publico quondam ſolebat ad ſe convertere noſtrorum oculos phænomenon pedis extraordinarium, illud, poſtquam oculis jam diu fuit ſubtractum, in memoriam tamen revocare, atque huic

Obseruationum promtuario inserere, ut in historia medica maneat, opere pretium videbatur fore non nullius. Scilicet ambulavit diu inter nos Vir ordinis Senatorii, qui dici meruisset *Oedipus*, ob pedem crassum tumidumque valde, multo majorem altero, cujus magnitudo & figura manserat naturalis. Qualis autem fuerit illius moles, describendum erit ante omnia; sequentur inde circumstantiæ cæteræ.

Pes dexter solum, libero semper sinistro, *à genu ad metatarsum*, nec altius per femur, nec inferius per extremos digitos, ubi utrinque nullus fuit unquam recessus à statu naturali; tractus itaque tibiæ laborabat *tumore* insignis crassitiei, æqualis, quasi cylindricæ, ad tactum *duriusculo*, ut sub malleolis tamen digitorum impressioni cesserit, et vestigium aliquale servaverit; Cætera sanus, *indolens*, mobilis, solo pondere molestus absque insolito caloris vel frigoris sensu. Sic per urbem, per campum, licuit ambulare satis commode, molestia per longam consuetudinem tolerabili, cum & Vir ipse gauderet valetudine satis integra, & pertingeret ad senectutem mediam, circumferens pedem ita tumidum ad annos *viginti quatuor*.

Principium ducebatur ab *Erysipelate* & *febre petechiali*. Ab illo quidem, quippe cui in hoc pede per annum prius, quam hac corriperetur, fuerit obnoxius, & quod postea tumori supervenerit aliquoties; scil. rubor, ardor, cum tensione ad splendorem, ut minaretur perruptionem, quod tamen nunquam factum in hoc pede, bene vero in altero, non tumido, qui posterior in ordine ab erysipelate exulceratus late super tibiam mediam anticam maduit, & sanatus quidem servavit tamen rationem calendarii, puncturis dolorum ad mutationes tempestatum.

Febrem vero *petechialem* sustinuit anno 1695. a fine Aprilis in principium Maji, & superavit quidem, ut tamen abinde pedis augmentum illud fuerit observatum. Scilicet in summo morbi acuti non à decubitu chronico, versus declinationem, ani-

animadverſus fuit in ſiniſtra natium *ſphacelus*, quem & alexipharmacorum epithematibus, & carnis emortuæ exſectione, chirurgus tractare neceſſum habuit, bono tamen cum ſucceſſu, quippe mundato ulcere felix obtineri potuit ſanatio, & hoc loco manſit conſtans.

Quanquam igitur ſit in deſideratis quidem attentio t. t. ad principii circumſtantias, ab iſto tamen gravi morbo tumoris ducebatur epocha. Cujus jam per tot luſtra geſtati ſecutum tandem fuit aliquale malo *decrementum*, ſed ſuſpectum. Tandem enim, poſtquam ſub vitæ genere ſatis quieto opis medicæ diu non fuerat indigus, conſulere cœpit poſt æquinoctium vernum anni 1718. cum incerta vel ignota de cauſa *pes mollior*, *minor*, ita per dies videretur detumeſcere non plene quidem, non parum tamen, ut ſpina tibiæ videri potuerit, & tangi, reſtante ſacco maxime circa malleolos, ubi digitorum imprimi ſolebant veſtigia; idque absque ſymptomate aut dolore quodam pedis ipſius. Atat quantum deceſſit inferis, tantum videbatur cedere in præjudicium ſuperioribus membris. Etenim *capitis* quidam *ſtupor*, *pectoris oppreſſio* ad reſpirandi difficultatem cum *virium decremento*, invaleſcebant adeo, ut ſuis valediceret, tempus migrandi adeſſe totus reputans. Ex ſtatu tamen hoc ancipiti liberari, & a gravioribus tunc præſervari potuit, ſub finem Aprilis, favente dierum temperie, prodierit in publicum; non tamen ſine notabili iterum *pedis* ſui tumidi *incremento*. Hinc transacta bene ſatis æſtate, ſub finem Auguſti, ab uvis præcocibus, maturis tamen, aliud querelarum genus, ſcil. de *urinæ difficultate*, *cum muco*, *ad mictum cruentum*, absque dolore lumborum, quod quidem aliquandiu varie moleſtum videbatur & ipſum remittere, cum brevi ad *pectus* iterum converſo morbo, *graviter ſpirans*, tremulus, velociter intra quatriduum confectus, diem tandem obiit ſupremum, medio Novembris, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo.

Non

Non prætermittenda videbatur tunc occasio inquirendi quid monstri hactenus aluerit hic *Oedipus*. Quæ igitur in sectione, cum auditoribus quibusdam instituta notavi, sunt sequentia: *Color* pedis tunc *pallide albus*, non fœdus, cum olim fuerit livescens, seu ex rubro cœrulescens. *Cuticula squamularum instar tenuium secedens*, quod à longo tempore dicebatur fuisse ipsi familiare. *Tumor à metatarso ad*, non in nec supra, *genu æqualis, circum rotundus*, major tamen in postico, nullis prominentibus aut tangendis nodis vel globulis; Mollior jam ad tactum atque laxior, quin imo minor, cum olim fuerit satis durus, multo major. *Incisa* per longum *cute*, mox *stillicidium largum aquæ* primo *cruentæ*, dein *claræ viscidulæ*, in cochleari super candelam bullientis & spumescentis, sub hac autem spuma *simile quid grumo lactis*, post refrigerationem turbidulæ, *non sine pinguedine* innatante. Sub cute pes circumcirca involutus *pinguedine*, vera, firma, duriuscula, copiosa inprimis ad utrumque malleolum, ad posticum, & ad partem magis internam, ultra transversum adhuc pollicem crassa. *Substantia* hujus duplex, *flava*, vesiculosa, pinguis, & *alba*, membranosa, densa, tenax, fortis; Huic intertextæ prioris particulæ. In & sub spisso hoc integumento nihil comparuit præter naturale. Non glandulæ conglobatæ, non venæ varicosæ, &c. Sed illo detracto videbantur *musculi omnes in salvo*, at *macilenti* (ut ipse per senectutem & ultimum morbum sensim magis factus exsuccus) non intermixta ipsis tali pinguedine. Et separata inde cutis fuit non crassa, sed tenuis, flaccida, jam rugosa.

OBSER-

OBSERVATIO CXX.

D. ALEXANDRI CAMERARII.

De

Hydatidum Copia in Steatomate Hepatis.

NEc minus operæ pretium erit conſervare in hiſtoria medica phænomenon inſolens Viri, per quadriennium plerosque patriæ medicos celebriores conſulentis; qui poſtquam ab his ſervari nullo modo poterat, facultatem tamen lubens ipſis conceſſerat, in morbi tam diuturni cauſas poſt mortem inquirendi, ſectio tandem anatomica detexit, & amicus, ægroti quondam Medicus ordinarius, eandem dirigens, benevole mihi communicavit. Conſideratione igitur dignum *Continens* & *Contentum*. Continebatur, ut dictum, numerus *hydatidum* magnus, & ſubſtantia *ſebacea*.

Per illas hic non intelliguntur penduli extus ab hepate ſacculi, ſed *veſicæ, figura exacte rotunda, multitudine vel quinquaginta, magnitudine varia, à piſo majore ad & ultra ovum columbinum*, tactu molles, membrana tenui admodum concludentes *aquam limpidam, fœtoris expertem*. Totidem *ova* dixiſſes, ſine teſta, ad primum aſpectum; *diſcreta*, non connexa, vel cohærentia, ſed ſingula *libera*; niſi quod eorum aliquot ſubincludebantur membranæ ſimili communi; membranæ, absque indicio perreptantium per eam ullorum vaſculorum. Hæc ova ſ. *hydatides* illæ exemptæ, & in frigida aſſervatæ, durarunt per ſeptimanam unam & alteram integræ, ſed ſenſim mutarunt colorem aquæ, obſcurioris & turbidioris inde.

Alterum contentum, præter & inter *hydatides* tumorem explens, erat *materia* vel maſſa *Sevo comparata*, figuræ non certæ, absque nota corruptionis, putredinis, ſine cruore vel pure, ipſa ſola, concluſa inſuper ſacco jam dicendo.

Etenim continens fuit *folliculus s. saccus*, externo statim hepatis aspectu per colorem suum pallide album agnoscendus, qui incisus, & exemtis contentis examinatus, fuit *tenax, densus, tunicæ ventriculi gallinacei comparatus, tantæ amplitudinis, ut duos pugnos caperet. Clausus undique*, ut via nulla, nullus ductus ex ipso pateret in hepar, facta licet inquisitione.

De cætero *hepar non imminutum*, sed cum hoc tumore suo *magnum*, peritoneo non accretum; cujus *margo* infra tumorem *niger*, concreto plenus cruore, *friabilis*; cujus denique *vesicula fellea nihil p. n. offerebat*, præterquam bilis parum. Cadaver erat ventre *tumido*; non ab aqua in cavo, nec ab alio viscere, sed tantum ab hepate. Reliqua viscera nihil obtulerunt singulare: Ventriculus vacuus, sine labe. Omentum versus hepar, duodenum item & ileon inflammata. Cutis extus livide maculata per ventrem, hypochondrium & dorsum.

Hæc de ventre infimo. In medio *pulmones* p. n. constitutos eadem docuit inspectio, triplici quidem recessu: Tam qua *accretos* undique & fortiter pleuræ, diaphragmati; quam qua obsessos *tuberculis duris, crudis, grandinosis; Denique plenos, infarctos sanguine concreto.* Et ista quidem, corde cum vasis suis majoribus non æque male constituto, certe à concretionibus polyposis libero.

Fuit autem, qui hæc in cadavere suo observanda suppeditavit, *Vir juvenis*, vix dum 30. annos natus, patre tum adhuc superstite arthritico-nephritico, matre hectici quid passa, scorbutica; obnoxius à juventute defluxionibus. Injuriæ externæ, casus, percussionis, ad pectus, ad hypochondrium dextrum nullius sibi conscius; bene vero, inter alios excessus in vita Academica, haustus *vini frigidi* in *balneo calido.* Promotus abhinc ad officium quæstoris, per annos quatuor vario gradu æger, cum appetitu & somno diu salvis, nunquam ictericus, nihil

nihil cruenti per alvum unquam fudisse visus, tandem consumtus obiit. Querelarum summa fuit de *Dyspnoea*, quae post compressiones pectorales, præcordiales, anxietates, lassitudines, cum tussicula periodica, non semper affligente, & levamine interdum, nunquam tamen constante, ascendit tandem ad *paroxysmos gravissimos asthmaticos siccos, & suffocationis metum*, cum sudore frigido, algore extremorum, pulsu debili, doloribus in cervice, dorso, humero, ad situm non amplius erectum, sed inclinatum, incurvatum antrorsum, quin decubitum aliquandiu pronum; per ultimos tamen vitæ dies dolores penitus cessarunt, remanente saltim continuis spirandi difficultate, languore ac sudore frigido, donec post asphyxiam longam mentisque constantiam placide tandem exspiraret.

(*Tubinga Altorfium missæ, d. 2. Septemb. 1732.*)

OBSERVATIO CXXI.

DN. D. JO. JACOBI BAIERI.

De

Anatome mulieris Apoplexia defunctæ.

O Pilionis uxor, in propinquo nobis pago, XL. circiter annos nata, crebris & atrocibus capitis doloribus, nonnunquam epilepticis etiam insultibus, hystericæ affectioni falso adscriptis tentata, cum A. 1726. sub finem mensis Maji per acclivem arenosumque tramitem peteret Altorfium, in hoc ipso itinere deprehensa est mortua. Vixerat in conjugio parum concordi, à marito sæpius male tractata, quod suspicionem commovit, num forte ab eodem prostrata & occisa fuerit? præsertim quod *ex aure sinistra effluens observaretur cruor.* Quare disquisitioni anatomicæ traditum cada-

ver, extrinsecus quidem nullam prorsus ostendit læsionem. Inciso autem ferra cranio, statim *à sinistro latere multum emanavit sanguinis*, stagnante ipsius haud exigua quantitate, partim inter utramque meningem, partim profundius, *in cerebri ventriculo* præcipue *sinistro*. Vasa interim maximam partem inania & collapsa, modum & locum eruptionis investigare penitus haud concedebant; nisi quod *intra falciformem duræ matris dictum processum, proxime sub coronali futura hærens osficulum* (*TAB.* IV. ad signum * repræsentatum) in margine ubique *rigidum*, passimque *aculeatum*, sede sua forte subito convulsum, vascula quædam dilaniasse videretur. Cæterum in eadem regione (quamvis etiam in dextro latere non omnino deficerent) *vestigia venarum altissime impressa* (*TAB.* IV. *litt.* a. designata) conspiciebantur, quæ per totum meditullium *usque in exteriorem tabulam* ita penetraverant, ut abraso pericranio *foramen lentis amplitudine* (*Lit.* b.) illico appareret in sinu intus ampliore (*Lit.* c.) à quo parumper distabat alius æqualis ferme (*Lit.* d.) extimam tamen cranii lamellam non penetrans. Taceo complures, æque profundos sed minores *scrobiculos*, in ejusdem cranii cavitate hinc inde conspicuos, frequentioris alias etiam observationis. Illi autem ampliores sinus & alveoli, *varicosam vasorum ipsorum conditionem* extitisse significant, atque adeo faciliorem sanguini stagnando ac perrumpendo occasionem dedisse videntur, cum maxime acutis apicibus rigidisque oris illi sinus instructi compareant. Utrum vero, & qua de causa *osficulum* istud à cranio secesserit, an potius ex humore seroso concretum fuerit? vix ausim decernere. Dubium autem non est, quin simile quid alibi evenerit sæpius; quemadmodum incomparabilis WEPFERVS olim noster observavit *osficulum dimidiam unciam longum, corpori falciformi accretum*: Vid. *Exercitat. de loc. aff. in apoplexia* p. m. 257. Conferri omnino meretur erudita *Dissertatio*, Præside *Jo. Val. SCHEIDIO* habita Argentorati A. 1687. *de duobus osficulis in cerebro mulieris*

apo-

Volum. III Actor. A.N.C.
Tab IV. pag. 380.



apoplexia extinctæ. Cæterum in nostro casu memorabilis etiam luculentaque fuit *præsentia glandularum conglobatarum*, quales *in dura matre* primus invenit ac descripsit Clar. PACCHIONVS singulari opusculo.

OBSERVATIO CXXII.

DN. D. JO. JACOBI BAIERI.

De

Vesicæ lethali exulceratione, cum monstrosa ureterum distensione, sine omni vestigio calculi.

PRæstantissimus Jureconsultus D. H. per annos plusculos *urinæ difficultate* sic laboravit, ut eam raro sine *doloris stimulo* redderet, sæpe magno conatu parum excerneret, aut minus ad arbitrium aliquandiu continere posset, interdum *cruentam* aut *purulentam* emitteret: Quum præterea gravitatis cujusdam sensus quasi perpetuus adesset in regione pubis, Medici pariter ac æger ipse *calculum* subesse credebant, etsi nihil arenosi aut sabulosi secederet. Quare ulceris vesicæ injecta suspicio locum eo magis habuit, quo magis, & tanquam unice blandiora abstergentia & traumatica levamen attulerunt. Interim vera hujus mali causa latebat, cum nemo externæ alicujus violentiæ, aut medicamentorum extimulantium, antehac adhibitorum recordaretur. Accidit aliquando ut vir optimus, pro muneris sui ratione, ad aulam vicinam, æstate tunc fervente proficisci, via perquam incommoda & salebrosa teneretur, in hoc itinere, præsertim in reditu ingens vetusti doloris incrementum perciperet, indeque domi decumbere ac medicina uti cogeretur. Hujus equidem applicatio post paucos dies ex sententia succedere videbatur, cum subito ab

ædium, licet longe remotarum incendio facto, terrore vehementi perculsus æger, è lecto se proripiens, ut personæ rebusque suis consuleret, adeo hinc male afficeretur, ut omnia mox in deterius ruerent, & accedens febris continua, cum extremo virium vitalium defectu instantem mortem portenderet. Hac brevi secuta, cum cadaver dililecaretur, nihil quidem in ipso præter naturam constitutum apparuit, *vesica* & *ureteribus* exceptis. Etenim renes, præter *pelvim solito capaciorem*, nullo evidenti vitio correpti, neque calculo aut sabulo, multoque minus ulcere obsessi conspiciebantur. *Ambo* autem *ureteres, ab ortu statim ad vesicam usque adeo ampli erant, ut ubique pollicem facile admitterent:* ast circa finem & ubi in vesicam inseruntur à naturali conditione nihil omnino differebant. Cæterum *vesica, undique copiosa pinguedine circumfusa*, præter hanc *habebat pollicarem membranaceæ suæ structuræ crassitiem*: Intus vero compluribus scatebat *ulcerosis hiatibus* seu *foraminibus*, figuræ, amplitudinis ac profunditatis diversæ: Continebantur adhuc in illa unciæ aliquot lotii, cruore & pure permisti. Aderant manifesta gangrænæ indicia, præsertim in fundo vesicæ. Origo itaque omnis illius calamitatis procul dubio repetenda est à *vesicæ sensim facta erosione*, qu m vel sola *urinæ acrimonia*, & fortasse *longior* interdum *retentio*, in Viro sedentariam vitam agente potuit efficere: Irritata autem stimulis continuis vesica, spasticam subinde fibrarum suarum contractionem circa ureterum ostia moliendo, jugem urinæ descensum impedivit, hæc vero sæpius restagnando canales istos pedetentim in tantam amplitudinem distendit. Vesicæ autem, præter solitum copiosius circumfusa *pinguedo*, singulari naturæ beneficio congesta, inservire debuit demulcendæ ac defendendæ illius corrosæ compagini, & obtundendæ acrimoniæ lotii. Unde verosimile videtur, potuisse Virum optimum, & longiore vita sane dignissimum, producere longius ærumnosam

ſam licet vitam, niſi procatarcticæ antea commemoratæ cauſæ impetu & concurſu ſuo mortem acceleraſſent.

OBSERVATIO CXXIII.

DN. D. JOHANNIS FRIDERICI BOELI.

De

Fœmina variolis laborante, eodem tempore menſtruum fluxum ſatis largum experta, feliciter tamen curata.

MAtronam quandam generoſam, XXX. circiter annorum, ſub fine veris hujus anni invadebat horror, quem ſequebatur calor inſignis, pulſus erat celer & frequens, ſitis urgebat cum dolore capitis vehemente; quare V. S. ſuadebam ſecundo morbi die, quo nempe ad ægram prima vice vocabar, inſtituendam, & univerſalia ordinabam febrifuga. Die tertio copioſiores maculæ ſubrubræ, exiguæ in facie, collo, ac pectore erumpebant. Quoniam itaque *variolis* nunquam laboraverat, ſtatim conjiciebam, maculas illas eſſe hujus proſapiæ. Eodem quoque die menſtruus ſanguinis fluxus oriebatur, tempus enim aderat ordinarium, & continuabat per octo dies ſanguinis larga profuſio. *Variolæ* interim bene extollebantur, & octavo morbi die incipiebant ſuppurare, & ægrota quoque adhibitis remediis, congruis, ab hoc, infenſo alias adultis, morbo, liberabatur, ac cum ſanitate penitus redibat in gratiam. Hoc ex caſu colligi poteſt, menſtruum fluxum, præſentibus variolis ſupervenientem fœminis, haud adeo funeſtum ſemper, uti à quibusdam ſtatuitur, eſſe.

OBSER-

OBSERVATIO CXXIV.

DN. D. JOHANNIS FRIDERICI BOELI.

De

Fœmina ſeptuagenaria, menſium atque hæmorrhoidum fluxum habente.

MAtrona ſeptuaginta annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, vegeta, bene appetit alimenta, digerit atque egerit; patitur interea ſingulis quatuor hebdomadibus, *fluxum* non ſolum *menſium* ſatis largum, ſed etiam hiſce deſinentibus, *hæmorrhoides* veras atque *fluentes*; quæ larga plethoræ imminutio, vires quidem admodum proſternit; poſteaquam vero uterque fluxus remiſit, & Matrona cibos evpeptos iterum aſſumſit, de virium inſtauratione nihil habet, quod amplius queratur.

OBSERVATIO CXXV.

DN. D. JOHANNIS FRIDERICI BOELI.

De

Uſu errhino radicis Valerianæ, in viſu debili.

EGregiam *vim ophthalmicam radicis Valerianæ* multi ſcriptores collaudant: Ego ſeorſim expertus ipſam ſum, quando inſtar tabaci aliusve pulveris ſternutatorii in uſum trahitur. Compoſitione uſus ſum ſequenti:

Rec. *Rad. Valerianæ, Fol. Tabaci* aa. ℥ij. f. pulvis ſubtiliſſ. adde *olei deſtill. Lavendulæ, Majoranæ* aa. gtt. iij. M. Exempla opta-

optati effectus ſic adhibitæ *Valerianæ* duo ſaltem nunc in medium proferam. Pictor quinquaginta annos natus, neceſſitate compulſus aliquamdiu ſpecillo oculario jam uſus, talem ſentit debilitatem viſus, ut artificio ſuo vix amplius rite præeſſe potuerit. Propterea adhibuit hunc pulverem ſæpius in die, ac brevi temporis intervallo oculorum aciem recuperavit, ut ſine ſpecillo deinceps ad vitæ finem usque, quæ per viginti adhuc annos duravit, egregie potuerit pingere. In femina quoque Magdeburgenſi, quadraginta circiter annos nata, uſus ſum eodem hoc pulvere pari cum ſucceſſu, cum antea varios medicos variaque medicamenta perperam tentaſſet.

(*Brunſuico Altorfium miſſæ, d. 5. Septemb. 1732.*

OBSERVATIO CXXVI.

DN. JO. THEOPHILI MICHAELIS,

De

Puella hydrocephalo ſtupendo defuncta.

A. MDCCXXXI. Menſe Decembri, Neoſtadii ad Albim (urbe quondam Dresda vetus nominata) *Joannis Chriſtophori KARSCH*, ſutoris, *Filiæ* ſeptenni cadaver in Regiam ac Electoralem Porticum anatomicam, Dresdenſem, illatum fuit, & ibidem adhuc aſſervatur. Infans iſta crebriori, aſpectu miſerabili, *epilepſia* per annos fere illos ſeptem quoad in vivis erat, diu noctuque corripiebatur. Exinde caput ejus à ſexto ætatis menſe pedetentim adeo, inſtar cucurbitæ majoris, intumuit, ut circumferentia illius á media fronte verſus occipitium ulnam & aliquot pollices adæquaret. A vertice usque ad mentum diſtantia erat 9½. pollicum. Inde factum,

ut immenso capite & admodum macilento & extenuato corpore puella vivens se neque movere, nec erigere potuerit. A tota parte superiori usque ad palpebras summas illud *hydrocephalum*, versus solem vel lucem positum conspiciebatur valde pellucidum, instar vesicæ aqua plenæ Cum oculi palpebrarum & superjacentium partium pressura detorquerentur, palpebras imas, utramque pupillam tegentes, manibus detrahere cogebatur misella, si quidem recta aliquid intueri volebat. Sanæ mentis exigua faciebat indicia, & vix pauca quædam verbula & syllabas proferebat, quum appetitu cibi & potus exciebatur. Dentes plerique, præsertim maxillæ inferioris, nigri, exesi & à motibus convulsivis defricti: Facies prætumidis interstincta vasis, non adeo tabida apparebat, ob inflationem cutis. Insultu epileptico ingravescente, caput, & reliquum corpus artusque insigniter rubebant. Idem conspiciebatur quoque in collo cum inflatione vasorum ejus ac integumentorum capitis, quando infans erecto capite sustinebatur. Extra convulsivum statum jacentis etiam ægrotæ mala dextra præ sinistra nonnunquam levi rubedine suffundebatur. Curioso examine instituto deprehensum est *solum caput tredecim libras, corpus reliquum, cum brachiis & pedibus quinque libras, & totam adeo puellam octodecim libras pependisse.* Hujus corpusculi & imprimis artuum omnis habitus macie erat confectus. Totum misellæ spectaculum repræsentat *TAB. V.* Ipsa puella pollicem suæ dextræ & indicem sinistræ ex fervore in paroxysmo epileptico, & extra hunc in excandescentia adeo admordit, ut magnæ cicatrices excavatæ ac callosæ in illis hiarent. Calculos albos fabæ minori, & textura cineribus clavellatis simillimos cum sabulo sæpius excrevit; etiam paulo ante mortem ejusmodi tartarum edidit cœnosum. Extremæ partes ante paroxysmum convulsionis, uti alias fere semper frigidæ observabantur.

Non

Volum. III. Actor A. N. C.
Tab. V. ad pag. 386

Non prætereundum puto: matrem duodecim liberorum dictam puellam ordine octavam peperiſſe, multisque, & anxiis curis eam in utero geſtaſſe. Infantem ſemeſtrem febre ſtomachali cum vomitibus, cardiaca & dein convulſionibus infeſtatum, copioſis ac procul dubio incongruis remediis adſiſtentes fatigarunt. Omnibus fruſtra adhibitis, balnea etiam uſurparunt multifariis herbis imbuta, perſuaſi infantem faſcinatum eſſe: Inde caput intumeſcere cœpit. Anno ætatis ſuæ quarto ſcabie humida & veſiculari, per dimidium anni & ultra, periodice affecta fuit puella; Cui fœditati abigendæ folia plantaginis recentia parentes impoſuere. His accedit admodum neglecta infantis cura, & diæta, ob numeroſiorem prolem, quam parentes inopes habebant, difficulter nutriendam.

OBSERVATIO CXXVII.

DN. JO. THEOPHILI MICHAELIS.

De

Virgine barbata Dresdenſi.

HEderam dici poſſe *barbam*, tam virilis quam muliebris corporis, nuperrime hic *Dresdæ* extincta annoſa *Virgo* teſtatur. Hujus fœminæ mentum aberrans natura adeo mire promiſſis pilis condecoravit, ut illam prolixius paulo deſcribere operæ pretium fore judicemus. Nomine iſta *Roſina Margareta Müllerin*, patrem habuit, qui à *Sereniſſimi Electoris Saxoniæ* JOANNIS GEORGII III. argyrothecæ ſervitiis quondam fuit. Inops hæcce mulier die XII. Decembris Anni 1731. Dresdenſi excepta Noſocomio, ibique die 27. Martii a. c. demortua. Huic juveni adhuc *lanugo denſa erumpebat*

bat circa utrumque menti latus, ut necesse fuerit ipsam præcidere. Quod fecit tunc singulis mensibus bis, ætate provectior per septimanam semel, & tandem bis. Ut dissimularet faciei hirsutiam, semper obvolutis malis incessit, usque dum miserrima facta circumire non amplius potuit, hinc bene rasa dictum valetudinarium intravit. Ubi in dies magis ægrescens *barbam* curare neglexit, & anno ætatis sexagesimo quarto, denata, *barbam* habuit *tantæ prolixitatis*, quantam figura (TAB. VI.) adnexa videndam sistit, quæque *duabus hebdomadis* adeo acrevit. In hac barbata muliere notabantur cor intrepidum, vox gravis, inque actionibus animus fortis. Erat nonnunquam subtristis, morosa, & crudo adipe fuillo ac lardo imprimis delectabatur: Quin etiam incocta vitulorum exta atque mesenteria lubentius comedisse fertur, superbibitis, adusti vini hausti bus. Vorax quamquam & insaturabilis placidam tamen per noctem cepit quietem, menstruoque ordine rite purgata fuit. In nosocomio virorum amore, quos aspexerat, incendi videbatur, & ægrota ambabus manibus abdomen, veluti tympanum diutius percutiebat. In defunctæ lavato corpore genitalia non prolixe barbata, sed densis pilis obsita, pectoris & umbilici regiones glabræ, citra ullum hermaphroditi vestigium, apparuere. Admiratione dignissimum, quod *in utroque menti latere barba tantum excreverit; In media & antica menti, nec non superiori maxillæ inferioris parte nullus pilorum proventus.* Labii superioris pili vix dimidium longitudine ad æquabant pollicem, in menti lateribus *tres pollices longi*, & hi quidem *instar massæ niveæ albi*, illi subnigri. Utrinque in extremitate menti interiore curti capilli, colore atque longitudine sub naso crinibus prostantibus æquales pullularunt. Subter mentum regio tota glabra, veluti in omnibus ostendit adjecta figura picta secundum *archetypum*, in Regis Poloniæ & Electoris Saxoniæ Porticu repositum.

(*Dresda missæ Altorfium, d. 25. Sept. A. 1732.*)

OBSER-

Volum. III. Actor. A. N. C.
Tab. VI. ad pag. 388.

OBSERVATIO CXXVIII.

DN. D. JO. ADAMI REIMANNI.

De

Vomitus ſebacei origine.

INſolita aliquando per gulam vomitu rejici, hoſpes ſit in Medicina, qui ignorat, oportet: unde vero originem ducant, perſpicaciſſima etiam ſæpius latet ingenia, ut hinc, recte jam olim *Thomas Rodericus* à *VEGA*, faciliorem talia rara habere admirationem, quam rationem, pronunciaverit. Non memorabo nunc vomitus carnoſos, vel animalium tam terreſtrium quum aquaticorum, nec diverſorum formæ inſolidæ & ignotæ vermium vel inſectorum, ſed ſaltem *vomitus ſebacei* originem indagare animus eſt; cujus quidem duplicem conſtituimus differentiam. Non in frequens quippe, etſi non quotidianum hypochondriacis præcipue eſt, periodice cum colluvie mucilaginoſo-bilioſas, poſt nauſeam aliquot dierum prægreſſam, *pinguedinem* haud exiguam ſuper patina ſeu pavimento, *ſebi inſtar*, late ſatis, nec raro dimidii calami ſcriptoris craſſitie, fere uti ſuper bubulæ vel ovillæ carnis jure ſolet, concreſcentem, ignem prompte concipientem & ad eum liqueſcentem, cum euphoria, ut recte obſervat LUDOVICI *Ephemerid. A.* N. C. *Dec.* I. A. III. obſ. 253. evomere. Contingit vero, etſi rarius, quæ altera nobis eſt *vomitus ſebacei* ſpecies, ut *fruſtula avellanæ vel fabæ quantitate* concreta, *ſebum naturale conſiſtentia*, *inflammandique potentia per omnia referentia*, *vomitu rejici*: cujus generis vomitus ſuperiori anno ipſi conſpeximus: Fuit ſcilicet fœmina 34. circiter annorum, quoad reliquas functiones quidem integerrima ſanitate gaudens, niſi quod a multo tempore nauſeam aliquam vomibunda, & dolorem circa cordis ſcrobiculum compreſſorium ſenſerit: hæc

febri tertiana populariter tum grassante correpta, dum extitisset in tertio paroxysmo, pro more morbi, spontaneos experiebatur vomitus, quibus inter amurcam pituitoso-biliosam, *frustum sebi avellanæ nucis quantitate* excrevit: recurrente paroxysmo quarto repetens etiam, etsi impetu remissiori vomitus, rursusque sed *minoris molis sebum* rejicit, quod examini subjectum, absque omni fœtore *naturale æmulabatur per omnia sebum;* datis deinde stomachicis & febrifugis, incidentibus, salinis, non saltem febris feliciter depulsa est, sed perfecta etiam, qua in præsens gaudet successit sanitas, ita ut nullus amplius doloris compressorii circa scrobiculum cordis superstit sensus.

Primi generis vomitus, ingeniosissimus LUDOVICI l. c. gigni putat, *non tam à pinguibus assumptis,* quibus in omni cibariorum genere abstinuisse eos, quos vomitus tales exercere consueverant, optime novit, quam potius *ex connata singulis fere eduliis oleositate seu pinguioribus particulis*, ob exotericum hypochondriacum acorem, lactis & emulsionum exemplo, separata, & sic tandem, ob copiosiorem collectionem rejecta: Memorabilis tamen candidaque est confessio, quam ætiologiæ huic subjicit Vir magni judicii; *Suspiciones*, scilicet, *tantum circa casum hunc rariorem esse suas*: quo ipso insufficientiam ejus sincere, pro more suo, aperuit. Nobis quidem hac de re sententiam ferre non est animus, id tamen evidens esse putamus, aliam quam hanc, subesse causam, quæ *vomitus sebaceos alterius ordinis,* cujus exemplum dedimus, producit: Neque enim video, quo modo diathesis illa acida hypochondriaca, vel quæcunque alia, pinguis chyli reliquias in consistentiam firmam & massam solidam redigere potuit, multo minus, quo pacto eadem diathesis peregrina, facta revomitione sebi, ita constanter sublata sit, ut ex hoc tempore, sublato etiam pressionis in scrobiculo cordis sensu, nil amplius de *sebaceo* hoc *concremento* comparuerit. De alia ergo si

non

non demonſtratione evidenti, opinione tamen & conjectura vero ſimili dum ſoliciti ſumus, occurrit nobis, *abſceſſus anomalos*, ſive tumores tunicatos, ut ſunt *melicerides, atheromata*, & ſpeciatim *ſteatomata*, ſicut ſolertioribus naturæ Myſtis perſpectum eſt, etſi ordinarie externas corporis occupare partes, nec internis tamen parcere viſceribus ſemper; cumque *ſteatomatis contenta ſebo* quam maxime & utplurimum *affinia*, imo *ſimillima* ſint, quid vetat ſuſpicari, ex rupto ſteatomatoſo tali abſceſſu ventriculi, qui preſſionis, ut obſervavimus, multo tempore dederat ſenſum, fœminæ huic ſucceſſiſſe rejectionem *particulæ ſebaceæ*.

Non provocabo, pro fulcienda mea hypotheſi ad experientiam Medicorum, qui diverſorum internorum viſcerum ſteatomata conſpexerunt, exempli gratia MERCKLINI, qui *Dec.* 2. A. 6. Ephemerid. A. N. C. obſ. 221. recenſet hiſtoriam *ſteatomatis*, in lateris dextri cavitate pectoris, intra 7. & 8. coſtam hærentis, ac poſt novem annorum intepolatos dolores acerbiſſimos enecantis: nec allegabo hinc *ſteatoma caput infantis ſemeſtris æquans*, ſterno, pulmonibus, cordi & vaſis connexum & ob compreſſionem pulmonum aſthmate moleſto ægrum afficiens & improviſo ſuffocans, de quo LAUBIUS Cent. VI. obſ. 30, legi poterit: nec etiam referam RHODIUM, Cent. III. Obſ. Med. 46. vidiſſe *ſteatoma uteri fundo adnatum*, materia *ſebo* ſimillima repletum; vel pulmonum & meſenterii abſceſſus ſimili fœtu gravidos: ſed memorabo ſaltem, ut propius ſcopum feriamus, extiſpicia mortuorum in ipſo ventriculo latentes ejusmodi detexiſſe abſceſſus. Ita in pyloro urſæ conſpexit tale *ſteatoma* G. FRANCUS Ephem. An. 4. A. N. C. Obſ. 101. & JOH. PRÆVOTIUS vidit ovi magnitudine, internæ parti orificii ſuperioris ventriculi adnatum in cadavere viri, ob vomitus continuos demortui, teſte RHODIO Obſ. Med. Cent. II. Obſ. 63. ipſeque doctiſſimus MEIBOMIUS in eleganti ſuo de *Abſceſſuum internorum natura* opuſculo bene animadvertit, *materiam*

teriam in abscessibus ventriculi aliquando steatomatosam observatam fuisse.

Objici quidem posset, ex tribus his anomalis abscessibus *steatomatosum* difficillime ad suppurationem devenire, nec aliter hinc, quam sectione certo & tuto tolli posse: unde suspicari liceret, similes abscessus internorum viscerum, incrementa potius indies majora capessere, quoad, in ventriculi cavo existens imprimis, continuis vomitibus, & consumptione tabida conficiat ægros, sicut Prævotiano ægro contigisse paulo ante retulimus; quod, cum suppurandi potentiam non habeat, nec sectionis sit locus, rumpi & contenta sua sic effundere posse: Nihilominus tamen, etsi omnino similis exitus abscessus hos sequi soleat, contingit, ut attenuata cute & folliculo, abscessus rumpat, & qui hactenus latebat in occulto, prorumpente materia se prodat, & in apricum deveniat, quod quidem in ventriculo eo promptius quam alibi contingere potest. Siquidem menstruum ejusdem seu liquor gastricus, septici levioris instar se habet; unde lichenes & serpigines affectu suo sanat, cutim attenuat & arrodit.

An vero omnes *vomitus sebacei* hypochondriacorum, etiam quos *primi ordinis* vocavimus similem habeant originem, dispiciant alii. Non absonum tamen est supponere, rem omnino aliquando ita se habere; nec obstat, quod hypochondriacis per certa temporis intervalla similes recurrere soleant *vomitus, ex steatomatico abscessu* vero rejecta semel materia, nullus ulterior proventus exspectari possit. Solent quippe abscessus tunicati, nisi folliculus simul consummatur & exstirpetur, repullulascere, adeoque possunt eandem quam prius ludere fabulam; aut forsan non absurdum prorsus erit suspicari, sicut externa *steatomata* æstivo tempore plorant aliquando pinguedinem, quod MEIBOMIUS etiam observat, ita *ventriculi steatomata* ob calorem loci *transudare suam pingredinem*, ex qua demum *repetiti vomitus sebacei* succedere possunt, quorum recursus periodicus

eo

eo facilius admitti poteſt, quod abſceſſus tales per plures annos, niſi mole excedant, absque periculo & corruptione, ſacculis ſuis concluſi deliteſcere conſueverint : quod autem hypochondriaci præ aliis magnam ad concipiendos tales tumores proclivitatem & facilitatem habeant, impeditior humorum viſcidorum & tenacium in vena portæ & huic connexorum viſcerum circuitus efficit.

(*Eperieſo Altdorfium, d. 18. Octob. 1732. miſſa.*)

OBSERVATIO CXXIX.

DN. D. CHRISTOPHORI JACOBI TREW.

De

Cerei plantæ charactere generico, ejusque ſpeciei Sirinamenſis ſpecifico.

INter plantas, è novo orbe translatas atque Europæorum inveſtigationi commiſſas, CEREI, ſic dicti, non ultimum occupant ordinem. Quantumvis autem diſſitum eorum ſit patrium ſolum, notiſſimi tamen, ob facilem propagationem, facti ſunt apud nos iidem, ita ut quilibet fere hortus, plantas alens peregrinas, una vel altera eorum ſpecie vix careat. Inſtructiſſimus ille Lugdunenſis Batavorum tredecim ſpecies numerat diverſas (a), plures tamen adhuc ſupereſſe, vel ex ſolo PLUMERIO (b) intelligere poſſumus. Quamvis autem benigniſſime exceperit noſtrum ſolum peregrinos

(a) *Boerh.* Ind. pl. alt. part. 1. p. 294. ſeqq. (b) nova plantarum americ genera p. 19. ſub nomine *melocacti.* conf. TOURNEFORTIUS Inſt. R. H. p. 653. ſub eodem nomine cereos comprehendens.

hesce alumnos, pauciſſimi tamen eorum flores,, & nullus plane fructum exhibuiſſe obſervati, certe non annotati ſunt. Qui florem conſpiciendum præbuerunt, tres tantum ſunt, qui celebrantur: *Cereus* ſcilicet *erectus altiſſimus Sirinamenſis Parad. Bat. Cereus ſcandens minor, polygonus, articulatus, Parad. Bat.* & *Cereus Peruvianus Tabern.* Primæ ſpeciei flores Lugduni Batavorum A. 1691. undecimo ætatis plantæ anno, apparuerunt, quos vidit atque deſcripſit PAULUS HERMANNUS (c). Secundæ ſpeciei flores A. 1705. Norimbergæ primum in horto ſuo conſpexit, deſcripſit atque figuris naturali magnidutine depictis exhibuit JO. GE. VOLKAMERVS (d), quem ſecutus eſt HERM. BOERHAAVE, eosdem A. 1709. obſervans, & breviter, ac more ſuo, nervoſe deſcribens (e). Tertiæ ſpeciei flores A. 1712. duodecimo plantæ anno, Pariſiis prodierunt, quos verbis atque figuris illuſtravit ANTON. de JUSSIEV (f). Hæ obſervationes anſam ſuppeditaverunt characterem genericum harum plantarum formandi proprium, idque eo ſecurius, quum defectus fructus maturi à ſiccis, ex patria ſua allatis, non ſolum ſuppleretur, verum etiam inventa ex inſpectione ovariorum recentium, ut ut imperfectorum, corroborari poſſent. HERMANNVS (g) itaque *fructum Opuntiæ ſimilem, in molli dulcique carne, multa granula parva, oblonga, continentem; flores vero expetalis plurimis, numero incertis* (in illa enim ſpecie Sirinamenſi ad 44. numerabantur, in ſcandente minore vero trigono articulato &c. præter quinque, è viridi pallentia, haud plura, quamvis in ſicco tantum flore, inveniebantur) *conſtantes, quorum inferiora baſin floris*

(c) Paradiſ. Bat. p. 116. (d) Heſperid. Norimb, à fratre *Jo. Chriſtoph. VOLKAMERO* editæ Tom. I. p. 233. (e) Index pl. Hort. Lugd. Bat. A. 1710. editus p. 181. (f) *Memoires de l' Academie Roy. des ſciences* A. 1716. edit. Amſtelod. p. 191. ſeqq. (g) l. c. p. 112. ſeq. conf. p. 119.

ris ſtrictius ambiunt, eamque veluti ſquamæ contegunt, ſumma vero, Roſæ inſtar, in orbem laxantur, pronunciat. TOURNEFORTIUS (h), Melocactis Cereos annumerans, illis adſcribit *florem monopetalum campaniformem, tubulatum, multifidum, calici* (qui hic, ex ſua ſententia, idem quod aliis ovarium eſt) *inſidentem; fructum mollem, olivæ æmulum, carnoſum, ſemine fœtum exiguo.* Cum HERMANNO uno ore loquuntur VOLKAMERUS (i), RAIUS (k), HEUCHERUS (l) &c. Pomiferis dum accenſet cereos BOERHAAVIUS (m), in deſcriptione floris cerei ſcandentis minoris polygoni articulati addit: *petala eſſe numeroſa, alba, argentea, ſuccinctæ aureis explicatis radiis calicis*, ex quibus patet illum, præter florem polypetalum, *calicem* quoque agnoſcere, quam ſententiam poſtea (n) fuſius explicavit, dum pro charactere aſſignatur *calix longus, ſquamoſus, ad ſuperiora radiis longiſſimis ornatus, ex ambitu faſtigii ovarii, intra quem flos fructui inſidens, petalis numeroſiſſimis, infra anguſtis, ſupra explicatis, fit, pluribus ſtaminibus, & piſtillo ſpecioſo, ornatus. Ovarium ex fine pedunculi, facit corpus calicis, inſtruitur tuba ſpecioſiſſima, & fit dein fructus ut Opuntiæ, qui ſub membrana hirta, lenta, mollem carnem, multis ſeminibus fœtam, habet.* ANT. de JUSSIEU (o) *Flori*, quem deſcribit, tribuit *petala circiter triginta*, & *calicis* quoque mentionem facit, nec non in *fructu cavitatem, ſeminibus pluribus ſtipatam*, obſervat. HENR. BERNH. RUPPIUS (p) *Cereum* & *melocactum Tournefortii* ideo potiſſimum à ſe invicem diſtinguit, quod *huic tantum monopetalus; illi vero polypetalus flos* competat. Ex hiſce ultro liquet, præter TOURNEFORTIUM

(h) Inſt. R. H. p. 653. (i) Flora Norimb. (k) meth. pl. p. 194. (l) ind. pl. Hort. Acad. Vitemb. p. 22. (m) ind. pl. p. 181. (n) ind. pl. alt. Part. I. p. 292. (o) l. c. p. 193. 195. (p) Flor. Jenenſ. p. m. 133.

omnes in eo conspirare, *quod flos cereorum polypetalis sit accensendus*, neque etiam TOURNEFORTIUS ullam hæsitationem excitare videtur, quia non solum verba, verum & icones ejus clarissime docent, ea nonnisi de Melocactis, proprie & hodienum adhuc sic dictis, valere. Nihilominus tamen occasio, propriam experientiam concedens, longe alia docuit.

Accidebat enim A. 1730. quod Norimbergæ in horto suburbano Dom. JO. MAGN. VOLKAMERI, Jo. Christoph. filii, mercatoris, Cereus quidam erectus florem absolutæ perfectionis protrudebat, atque curiosos spectaculi varietate alliciebat. Quæ tunc observare potueram, Commercio litterario physico technico-medico (q) inserenda tradidi, iisque reflexiones nonnullas postea (r) adjeci. Anno sequenti idem caudex tribus floribus superbiebat, ex quorum contemplatione observata vel certiora, vel pleniora reddere contigit. (s) Hæc vero nunc in ordinem redigere, supplere, figurisque naturali magnitudine delineatis illustrare animus est. Notamus itaque de planta ipsa, quod illa, tota æstate ad liberum aerem relicta, *spatio septem annorum, ex sobole à matre avulsa, in caudicem sex pedes Norimbergensium altitudine parum excedentem, simplicem, seu nullis ramis onustum, excreverit*, sed, hybernaculi minus apti vitio in cacumine læsa, postea prorsus ferme substicerit, *octavo* vero *anno duos stolones prope radicem* protruserit. *Crassities caudicis varia est*, cujusvis enim anni augmentum non solum ab altero compressione quadam levi distinguitur, verum etiam singula augmenta eorumque distinctiones, pro anni elementia crassitie æque ac longitudine differunt. Distinctiones ubi crassissimæ $9\frac{1}{2}$. pollices pede in 12. poll. diviso), ubi minimæ, integrum pedem peripheria sua explent: Crassities vero augmenti maximi $14\frac{1}{2}$. poll.; minimi 12. poll.

(q) Consultat. ult. p. XIV. seqq. (r) l. c. Spec. XXVI. p. 202. (s) l. c. spec. L. p. 393.

12. poll. peripheria ſua æquant. *Totus caudex* præterea, *à baſi ad ſummitatem usque, anguloſus, ſeu ex alis & ſulcis compoſitus eſt, qui tamen neque recto prorſus tramite incedunt, neque etiam numero & magnitudine ubique pares deprehenduntur.* I. Enim non omnes alæ ſimplici tractu excurrunt. Ex ſeptem, quas noſter inferius poſſidet, duæ tantum, juxta ſe poſitæ, tali modo cacumen attingunt; tertia & quinta ad quatuor pedum altitudinem in duas diſpeſcuntur, ad cacumen usque diviſim excurrentes; quarta & ſexta ad duos pollices ſupra quatuor pedes ſimplices aſſurgentes prorſus evaneſcunt; Septima denique ad duorum pedum altitudinem in duas jam reſolvitur, quarum altera, primæ proxima, eodem iterum in loco ac tertia & quinta bifida fit & ad ſummitatem usque manet. Ex quibus patet, truncum hunc à baſi ad duos usque pedes 7; ad quatuor, 8; paululum ſuperius 11; mox vero iterum 9. tantum poſſidere alas, totidemque ſulcos. II. Nec omnes ſulci ſeu anguli inter ſe conveniunt. Sunt alii quippe obtuſi, alii acuti: hi pollicem lati, & octo lineas circiter profundi; illi ſeſqui pollicem lati & quatuor lineas profundi menſurantur. Priores ſuperiora verſus; poſteriores inferiora verſus & circa compreſſiones frequentius conſpiciuntur, quamvis, intuitu diverſæ trunci craſſitiei, eadem proportio haud ubique conſtans ſit. III. Alæ, quod ex antecedente conſequitur, non ubique pari dimenſione prominent, ubi enim profundiores ſunt ſulci, ibi elatiores ſunt alæ. Hoc vero notandum eſt, alas ſuperiora verſus obtuſiores exiſtere, inferiora verſus acutiores reddi. His porro addimus *ipſam aciem omnium alarum copioſiſſimis obſeſſam eſſe areolis prominentibus, lanuginoſis* (Tab. VIII. Fig. II. A. A. A.) Hæ, lentem magnitudine parum ſuperantes, in inferiori trunci parte vix ſeſquilinea à ſe invicem diſtant, in ſuperiori vero ſpatia 3um 4, raro 5. linearum relinquunt. *Lanugo* harum areolarum inferius denſior & cinericia; ſuperius rarior atque ruffa, cernitur. Ex his areolis inſuper ſurgunt

spinæ, tenues quidem at rigidissimæ, utplurimum septem vel octo, raro plures, stellæ instar expansæ. Una vel altera harum septem, aliæ quinque, reliquæ tres longitudine attingunt lineas. Recens natæ ex pallido viresçunt, mox vero ruffæ vel prorsus nigricantes evadunt. Quod ad *internam trunci fabricam, nec non peculiares quasdam qualitates* pertinet, ea magna ex parte coincidunt cum iis, quæ HERMANNUS de Cereis in genere (t) & JUSSIEU de Cereo Peruviano in specie (u) annotarunt. Nos dissecuimus hujusdem speciei, de qua nobis sermo est, truncum, crassitie atque ætate illi, quem descripsimus parum inferiorem, atque invenimus totum caudicem esse solidum, substantiam alens duriusculam, ad visum non fibrosam, sed succo mucilaginoso ubique turgidam, cujus tamen nec odor nec sapor quicquam, præter herbacei quid, manifestabat. In medio cernebatur circulus, ad tres usque lineas crassus, aream circumscribens sesquipollicem diametro latam, quæ substantia paulo compactiori & albidiori, ceteroquin reliquæ per omnia simili erat infarcta. Circulus ipse, quem torulum appellant, callosam seu lignosam exhibebat compagem, & serræ & cultri aciei fortiter resistentem, ex fibris multis, longitudinaliter porrectis, constructam. (x) Hunc circumdabat substantia interiori paulo laxior atque pallidior, quæ ad omnem peripheriam externam, lineæ circiter spatio lætum graminis induebat virorem. Hæc tandem undique cincta est membrana densissima, at tenuissima atque pellucida, (y) virorem transparentem paululum supprimente. In junioribus, ut & superiori parte adultorum, membrana hæc-

ceab

(t) l. c. p. 112. (u) l. c. p. 192. (x) in junioribus plantis fibræ hæ flexibiliores quidem, satis tamen jam firmæ, solitarie magis incedunt, nec omnes inter se contiguæ observantur. (y) Hæc, injuriis aeris læsa, cuticulæ instar humanæ, abscedit atque regeneratur.

ce ab aspergine quadam subtilissima & per attactum delebili (z), tegitur, eoque glaucus magis color exoritur. Sulci præterea omnes ad laterum concursum linea satis conspicua, saturate viridi vel prorsus nigricante (Fig. II. C. C.) signantur. *Radices*, respectu proceritatis totius plantæ, valde exiguas esse, omnibus convenit hujus generis speciebus, propriis æque ac affinibus, maxima quam à nostra planta avellere potuimus, duas lineas crassitie & pedem dimidium longitudine non attigit. Cortice obtegitur membranaceo, glabro, pallido, friabili facillimeque abscedente. Huic subjecta est substantia fibrosa, exterius mollis & glutinosa, interius siccior atque lignosa. Minores fibrillæ, quas extremitatibus suis copiose protrudunt majores, tenuissima quasi obvolutæ deprehenduntur lanugine. Quibus addimus: singularum radicum filamenta lignosa cum torulo caudicis esse continua (quo cum etiam toruli stolonum communicant) è contrario vero spinosorum fasciculorum vestigium ultra lineæ profunditatem vix ullum amplius apparere. Ad *floris* & *fructus* descriptionem progredientibus, sequentia notanda veniunt. Caudex hujus cerei A. 1730. ad d. v. Septembris ad ipsam stellæ cujusdam spinosæ partem superiorem, ubi sex pedibus duobusque pollicibus à terra exstabat, nodum quendam rotundum protrudebat, qui, sine ullo artis obstetricantis auxilio, ita augebatur & fere horizontaliter extendebatur, ut ad d. XXIV. ejusdem mensis octo pollices æquaret, jamque florem adhuc clausum, coloribus viridi, purpureo & albo jucunde inter se temperatis, oculis perfecte sisteret. Hujus diei vespere *flos* sese explica-

(z) Tegumentum supra dictum, microscopio mediocris virtutis consideratum, ubique innumeram copiam candidorum punctorum exhibet, melioris vero notæ microscopium eadem ut parvas areolas, quasi squamosas & in medio excavatas seu perforatas elegantissime sistit, quas poros esse plantæ, prædictam asperginem fundentes, valde probabile est.

plicabat usque ad medium noctis, quo omnino diductus, sex pollices in diametro habebat. Notabilem, non valde gratum, *odorem* de se spargebat. Post medium noctis sensim se contrahebat ad medium pollicis, hocque in statu usque ad sequentis diei meridiem durabat. Tunc celeriori gradu contrahere se incipiebat, usque ad dimidiam partem illius diametri, quam integer flos habuerat, tandemque altero die mane omnino clausus & marcescens, usque ad xxx. Septembris, trunco suo adhærescebat. Principium floris, nullo suffultum petiolo, constituit *Tubus* quidam, tres pollices longus, & nondum integrum pollicem crassus, pallide ex flavo virescens, superficiem pollitam, sed sulcis quibusdam exiguis & angustis (inter quos parallelo tractu decurrentes & in dorso suo obtusæ, at sulcis multo ampliores visebantur exstantiæ) inæqualem exhibens. Ubi tubus se expandebat in *segmenta petaloidea* plura quam xxxx. sese dividebat, *sex separatis seriebus distincta*, quarum tres infimæ & exteriores alicubi confundebant ordines, superiores & interiores autem distinctæ permanebant. Hæ series *magnitudine & colore* distinguebantur. Exterior & prima, pallide virescens, tubo concolor erat, sed apex sensim ad purpureum accedebat; secunda series, ut & tertia, dimidiam partem interiorem viridescentem, ambitum ad purpureum saturatiorem descendentem, habebat; quarta ex flavo albebat, desinens in apicem purpureum; quinta, magis albescens, apices ex dilutiori purpurascentes ostendebat; sexta denique series segmenta hæc petaloidea tenerrima, totaque alba continebat. Sunt autem omnia segmenta *figuræ* oblongæ, & in prima quidem seu exteriori serie obtuso, in reliquis magis magisque acuto apice terminabantur; intima vero seu sexta series, in qua tredecim segmenta numerabantur, omnia illa toto suo ambitu tenuiter & leviter, sed irregulariter incisa & divisa exhibebat. *Stylus*, floris superficiei altitudine æqualis, suprema parte instar parvi tubi excavatus, in tot

finde-

findebatur tenuia filamenta pallida, coronæ in modum expansa, quot numerabantur ordinis intimi floris segmenta, nimirum tredecim. Reliqua cavitas floris tota repleta erat innumera *staminum* multitudine, parvis apicibus luteolis coronatorum. Series quoque hæc stamina componere videbantur, quarum exteriores altiores, summitatem tamen styli vix superantes; interiores vero per gradus humiliores, & omnes stylum versus extremitatibus suis inclinati apparebant. Pridie illius diei, quo flos ab ovario decidebat, locum, ubi secessurus erat, prænotabat circulus quidam nigricans, ad quem circulum tubus ab ovario seu matrice, id est fructus rudimento, sponte separabatur, atque extremo suo aperturam, satis capacem, pro transitu styli, tunc quoque cum ovario firmiter adhuc concreti, monstrabat. Quum flos jam sponte delapsus secundum longitudinem scinderetur, *origo staminum* melius cognoscebatur. Prodibant illa scilicet ex tota tubi superficie, summa & ima, eique firmiter erant concreta, lineis tamen satis conspicuis ad fundum usque distincta manebant.

Illud quoque tunc manifestissime apparebat, quod segmenta floris petaloidea cum tubo arctissime cohærerent, ut nec unum sine violenta abruptione separari potuerit, tantum abest, ut ullum naturalis separationis vestigium appareret. *Fructus* quidem ad perfectionem non deductus est, id tamen satis comprobavit solo adspectu, quod *aculeatus non* sit: dissectus autem prodidit viscosum succum, & *intus cavitatem* aliquam, cujus latera circum quaque, fundo excepto, innumerabili villosarum extremitatum copia obsidebantur, quarum singulis inhærebat oblonga vesicula, alba, pellucida, seminis scilicet futuri rudimentum. Stylus transversim sectus, cavitatem, setam majorem facile excipientem, per totam longitudinem nudis sistebat oculis, ejus vero hiatum in utraque extremitate clare conspicere nedum armatis patebat. Quum anno sequenti idem hic caudex tres flores produxerit, in ipsa flo-

ris, tubi, ovariique conformatione nullum discrimen occurebat, præter lacinias in segmentis intimæ seriei prima vice tantum observatas, nunc etiam in illis duarum proximarum, quamvis rariores visas, Tubulus vero exiguus styli, in tredecim filamenta terminatus, vix conspicuus erat, quin potius summitas styli ipsa in totidem filamenta scindebatur. Ceterum primus horum florum prope principium caudicis proveniebat, alter paulo altius & tertius prope summitatem. Medius primum se explicabat ad vesperam d. XII. Augusti, & in gratiam cujusdam batanophili abscindebatur. Altero die vergente infimus se expandebat flos, qui sensim sensimque marcescens d. XIX. ab ovario sponte sua quidem secedebat, at casu suo illud ipsum secum trahebat. Summus flos (qui idem est quem depictum exhibemus) d. XVII. sole occiduo expansus usque ad d. XXV. caudici adhærebat (a), tunc vero vestigiis separationis se manifestantibus, provide manibus hortulani decerpebatur, ovariumque integrum relinquebatur, præter tamen spei successum; altero enim die nihilominus illud peribat.

Ex hisce hactenus allatis figuræ, quas adjecimus, facile explicari possunt. Nimirum Tab. VII. sistit *Florem ad medium noctis penitus explicatum*, in quo *segmenta petaloidea, interiorum potissimum serierum*, A A *staminum multitudo* B B, & *styli extremitas, in 13 filamenta fissa*, C, conspiciuntur. Tab. VIII. Fig. I. *partem trunci, cum floris situ naturali* ejusque statu circa horam nonam matu-

(a Quod primus flos anni 1730. mense Septembri, pluvia tunc tempestate incidente, sex; Secundus anni sequentis mense Augusto, serena & satis æstuosa aura concurrente, totidem; & tertius septem integros dies caudici adhæserit, omnes vero ab ovario suo sponte se liberaverint, peculiaris in Europa est observationis: communes enim, teste Hermanno l. c. p. 117. docent, flores eodem die, quo explicati fuerunt, unacum ovario, cui arcte cohærebant, decidisse. An in nostra planta tardior tabescentia floris inde derivanda sit, quod illa nunquam omnino calore incluso tractata fuerit? suspicio est.

Volum. III Actor. A.N.C.
Tab. VII. pag. 402.

Arbeitsbibliothek

Volum. III. Actor. A. N. C.
Tab. VIII. pag 403.

Fig I.



Fig. 4.



Fig. 3.



Fig. 5.



Fig. 2.



matutinam diei insequentis valde jam contracto exhibet. A. A. A. *Alarum acies areolis lanuginosis atque spinosis obsessas*; B. B. B. *angulos seu sulcos*; C. C. C. *lineam nigricantem* per horum fundum ductam monstrat. D. *Tubus floris* est. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *ordines sex segmentorum* indicant. Fig II. *Ovarium* à tubo solutum cum adhærente *stylo* proponit. A. A. *corpus totius ovarii* designat, B. B. *marginem*, qui Cel. PONTEDERÆ *Receptaculum* audit (b), cui tubus junctus erat, C. C. *stylum*, ob flacciditatem hinc inde jam incurvatum, D. *Coronam ejus* jamdum etiam corrugatam. Fig. III. *Ovarium transversim sectum* monstrat, atque A. A. *Crassitiem carnosæ substantiæ naturalem* B. B. *seminalium rudimentorum acervum*, C. *Cavitatem mediam* visui exponit. Fig. IV. eadem, sed per microscopium aucta, sistit. Fig. V. *Racemum filamenti cujusdam*, *vesiculis seminalibus onustum*, & pariter microscopii ope auctum, indicat.

His omnibus rite perpensis, integrum nunc erit de charactere hujus plantæ generico æque ac specifico firmam proferre sententiam. De generico solliciti, illum à fructus & floris conformatione potissimum esse petentum, ab omnibus nostri ævi Botanicis agnoscitur. Est autem *Flos infundibuliformis, monopetalus* (c) *tubo gaudens longo & orificio amplo in mul-*

(b) Quod prolixe explicat Antholog. L. I. C. XII. seqq. (c) Florem monopetalum esse, non solum exinde patet, quod segmenta, petala putata, in fundo suo indivisa cohæreant, sed longe magis id apparet in marcescente & deciduo flore, quippe qui simul & omnino indivisus decidit: quod quidem omnium botanicorum unanimi consensu pro vero & indubio charactere floris monopetali habetur. Accedit quod illo charactere quoque gaudeat, quem Jul Pontedera anthol. p. 71. 234. 238. à staminibus deducendum ostendit, dum longo rerum usu confirmatus asserit, stamina in omnibus monopetalis interiori florum parieti adhærere, per intervallum digesta; in polypetalis vero & imperfectis numquam ea petalo aut calici adhærere, sed disjuncta receptaculo infigi, qua in re assentientem habet Seb. Vaillant discours sur la structure de fleures p. 12. 32.

ta segmenta petaloidea profunde dissecta & multiplici ordine locata, plurimis quoque staminibus stipata; Flos insuper calice (d), *pariter multifido seu polyphylloide & tubo continuo cingitur. Tubus insidet ovario, ex quo surgit stylus ad extremitatem suam in fila-*

menta

(d) Calicem quod addiderimus, persuasit nos habitus tubi externus herbaceus, calicibus propius quam floribus, & visu & tactu exploratus, respondens. Novimus quidem gravissimos quosdam botanicos calicis characteres in eo quærere, ut is vel ante, quam flos ipse marcescat, ab eo separetur & decidat: vel ad minimum tunc, quando decidit, sponte separetur, aut prorsus cum ovario conjunctus remaneat (conf. Vaillant l. c p. 28.), quibus positis consequeretur florem cerei calicem omnino nullum habere: sunt autem & alii (Ponted. anthol. p. 16. c. 7.) qui docent calicem cum flore quandoque inseparabiliter conjunctum esse, hujusque rei exempla flores cucumeris, peponis & similium (quos tamen Rajus meth. pl. p. 70. imo & Pontedera ipse l. c. p. 22. floribus nudis annumerat, etsi posterior p. 276. apertis verbis cucurbitæ flori calicem iterum tribuat) adducunt. Accedit quod plura adhuc dentur florum genera, in quibus petala & calicis segmenta satis clare quidem distinguantur, nunquam tamen à se invicem separentur: exemplo sunt flores Ficoidum, sedorum &c. Et quid pronunciandum erit de Ketmia americana folio Papayæ flore magno flavescente &c. Boerhaavii ind. pl. alt. P. I. p. 272. Num. 12. utpote quæ calicem quidem duplicem, quemadmodum omnes species congeneres, possidet, in eo tamen à reliquis differt, quod alter horum una cum flore conjuncto & nullo, nisi violento modo ab eo separabilis decidat. Ex quibus appareret, calicis definitionem nondum extra omne dubium positam esse. Nobis quidem videtur eam nihilominus distinctam formari posse etsi conjunctio ejus cum flore perpetua admittatur. Ita v. g. se exhibet illa quam ex Malpighio proponit & comprobat Pontedera l. c. p. 17. conf. diss. II. p. 34. Calix certe seu perianthium flori idem est quod capsula seu pericarpium semini. Quemadmodum autem horum alia à seminibus maturis abscedunt, conujncta autem cum iis permanent alia; ita, intuitu calicis idem agnoscere, absurdi nil denotat,

idque

menta plura divisus. Ovarium deinde fit fructus carnosus, globosus vel ovalis in medio cavus, cujus lateribus inhærent semina plurima oblonga.

Non opus quidem, ex mente celeb. Dom. de JVSSIEU, (e) est, ut tam anxie in floris & fructus naturam inquiramus, *quia*, inquit ille, *genus plantarum quandoque formari potest nullo habito respectu ad floris & fructus formam, ex sola inspectione figuræ externæ ipsius plantæ, peculiari habitu differentis*, in cujus asserti probationem ipsum hoc plantæ genus, de quo sermo est, adducit, *utpote cujus species*, pergit idem, *satis cognosci possit ex longitudine caulium, eorundemque sulcis, quorum costæ seu alæ exasperatæ sunt fasciculis spinarum per intervalla locatis. Quum itaque flos illarum non nisi tarde proveniat, insuper nimis fugax & noctu, vel summo mane tantum bene constitutus sit, ipse intuitu Botanicorum inutilis judicatur pro genere, cui planta adscribendæ sit, dignoscenda.* Addimus his, plures etiam plantas familiæ cereorum adscriptas legi, quarum nec flores nec fructus observatos, certe non descriptos, invenimus. Nihilominus tamen, pace tanti viri, monemus, etsi possibile quandoque sit characterem sufficientem ex habitu plantæ externo colligere; impossibile tamen est genus illud formatum ordini cuidam adscribere, quum hi omnes, quæcunque eligatur hactenus probata methodus, unice vel florum vel fructuum diversæ conformationi innitantur. Neque etiam ulla planta, à habitu externo e. gr. Cereus judicata, nomen hoc amplius tueri poterit,

idque eo minus, quo facilius cuilibet, primo aspectu, ex habitu externo, colore scilicet, consistentia &c. calicis & floris diverso, differentiam animadvertit, vel, externis sensibus fidem denegans, ex usu diverso, cum sæpius laudato Pontedera l. c. p. 17. 21. diss. p. 33, conf. Anthol. c. XI. seqq. differentiam colligere potest.

(e) l. c. p. 195.

quam primum observatur illam vel floris vel fructus forma à reliquis differre. Hoc quidem Botanicis placet, ex plantis & flore & fructu penitus convenientibus, reliquis vero partibus (quod in plantis umbelliferis, flore papilionaceo, liliaceo &c. præ reliquis solemne est) vel toto habitu externo nimis discrepantibus (ita BOERHAAVIUS ind. pl. alt. P. I. p. 258. Euphorbia à Tithymalis separat, quod illa sint forma cerei angulosa, spinosa fere, & ferme aphylla &c. ita quoque HEISTERUS ind. pl. Hort. Ac. Jul. A. 1730. p. 36. Fritillariam vulgo sic dictam craſſam ab Asclepiade removet & Stifferiam appellat; quod habitus illius sit aphyllus, angulosus, & succulentus; p. 37. convolvuloides à convolvulis distinguit, quod illæ parum vel prorsus non convolvantur &c.) diversa constituere genera, hocque cumprimis quando specierum multitudo concurrit: Vice versa, autem plantas & flore & fructu discrepantes, habitu externo vero convenientes confundere, omnium Botanicorum regulas, hactenus præscriptas, everteret. Planta itaque, cujus flos & fructus nondum comparuit, societate quidem illarum, quarum speciem externam refert, gaudere potest, quam primum autem illi diversitatem produnt, protinus emigrare cogitur. Satis tamen simul ex hisce elucescit, quam maxime proficuum sit habitum externum, si fieri potest diligenter designare, quo, flore & fructu deficiente, planta quædam haut prorsus erronea relinquatur. Hinc, ad genus cereorum determinandum, characteri illorum, à flore & fructu desumpto, consulto sane præmisit Cel. BOERHAAVIUS, *quod radice gaudeant vivaci, ratione plantæ exigua, fibrillosa; quod habitus illorum sit aphyllos, spinosus, angulosus, caule recto, vel inflexo, continuo vel articulato; & quod anguli alarum spinis pluribus, uno centro radiatim ortis, horreant.* His notis autem floris & fructus forma addita, non solum genuinum characterem genericum absolvit, verum etiam ordinem seu classem plantarum congenericarum designat, cui tuto associari possit. Illi, qui

qui flores in his constituendis respiciunt, cognoscent ex supra dictis *cereos ad classem plantarum flore monopetalo* & quidem *infundibuli formi multifido, completo seu calice prædito*, pertinere; & qui fructus consulunt, illis ad *plantas pomiferas* (f) referendi venient iidem. *Num arboribus vel herbis jungendi sint cerei?* à recentissimis merito negligitur (g). Hoc unicum annotandum superest, iis, quibus probatur omnes plantas primario dividere in *monocotyledones* & *dicotyledones*, cereos posteriorum gregi, semper laudando BOERHAAVIO præeunte, inserendos esse.

De generico charactere certiores redditi, ad *specificum nostræ plantæ* transimus. Consistit autem ille in eo, *quod Cereus hic sit erectus atque procerus* (h), *quasi articulatus* (i), *sulcis pluribus* (k) *magnis, à fasciculis spinarum fuscarum*

(f) Cur ad plantas multisiliquas, corniculatas, omni parte succulentas, apud Boerh. ind. pl. alt. relati sint cerei, quos tamen ind. prior. pomiferis adscripserat, ratio omnino latet. Ob solam enim succulentam eorum compagem hoc factum esse, haut sufficere videtur. (g) Conf. BOERH. in præf. ind. pl. alt. p. 13. (h) Teste HERMANNO l. c. in Sirinama, seu patria, ultra quadraginta cubitorum altitudinem attollitur. In Batavo solo surculus, vix palmam altus, octodecim annorum decursu, septendecim cubitos proceritate sua superavit. (i) Augmentum scilicet, cujusvis ætatis suæ anni, levi quadam crassitiei suæ compressione quidem notatur, eaque ab illis speciebus, uno tantum tractu assurgentibus, e. gr. à *Cereo recto graciliori spinosissimo*, *spinis albis*, *polygono BOERHAAVII* distinguitur: attamen ab iis, omnino articulatis, seu vel ad torulum usque, annuis suis augmentis, divisis, ut e. gr. in *Cereo scandente minore*, *trigono*, *articulato*, *fructu suavissimo*, *Par. Bat.* cernitur; vel ad latera horum augmentorum continuatis, qualem cereus scandens minor polygonus articulatus *Par. Bat.* se sistit, separatur. (k) Numerum horum non solum in variis, sed etiam in uno individuo esse incertum, descriptio superius data demonstrat, simul que docet nomen, a costarum numero desumptum, nullo inniti fundamento.

do

rum (l), *per intervalla positarum*, *horridis*, *excavatus*, *cetero-quin simplex seu non ramosus* (m), *flore gaudens magno albo*, *hinc inde purpurascente*, *calice virideſcente munito*, *& fructu non spinoso* (n). His cum descriptione aliorum collatis, cognoscimus, quod Cereus hic sit ille ipse erectus altissimus Sirinamensis Hermanni (o), & quidem spinis fuscis BOERHAAVII. (p)

Reliquum est, ut paucis adhuc indicemus, *quo potissimum modo cereorum genus ab aliis plantis ejusdem generis quondam judicatis*, *differat*. Sunt hæ illæ quas nonnulli (q) *Ficus* & *Ficoidis* nomine, ob aliqualem totius plantæ fabricam communem, potissimum autem ob fructum, in omnibus, flori subjectum

Sufficit præterea nota costarum vel sulcorum plurium pro distinguendo cereo erecto minori fructu spinoso, costarum numero variante Hermanni, utpote qui quatuor vel quinque tantum sulcis componitur.

(l) Datur alia species, huic per omnia similis, sed spinis albis. vid. Boerh. ind. pl. alt. p. 293. (m) hac nota potissimum dignoscitur à Cereo erecto fructu rubro non spinoso Par. Bat. p. 114. seu cereo Peruviano Tabern. (cujus absolutam historiam Cel. Dom. de Jussieu l. c. suppeditavit) aliisque similibus Nostri quippe caules non nisi prope radicem, vel ad summitatem caudicis, si illa læsa, & ad ulteriorem rectum progressum inepta reddita fuerit, multiplicat. Si ex trunci ipsius lateribus, novus caulis egreditur, quod semel observare licuit, is principio suo perquam angusto, eodem modo ac reliqui prope radicem vel summitatem læsam propullulantes facile distinguitur, quum rami è lateribus trunci illius Peruviani, hinc inde atque frequentius prodeuntes, indivisum trunci continuum sint. (n) hoc differt à cereo erecto maximo fructu spinoso rubro Par. Bat. p. 113. (o) Par. Bat. p. 116. ubi descriptio plantæ ejusque floris proponitur, sed absque icone. Anonymus des merckwürdigen Wiens Mens. Januario plantæ. 20. pedum altitudinem assecutæ, figuram sed absque flore sistit. (p) ind. alt. p. 292. (q) Herm. Hort. Lugd. Bat. p. 243-256. Plukenet Almagest. Bot. p. 147.

ctum & Ficus naturam æmulantem, primum salutarunt, postea vero, majori circumspectione adhibita, alias harum *Cereos*, alias *Ficoides*, alias *Opuntias* seu *Tunas*, alias denique *Melocactos* seu *Echinomelocactos* appellarunt. His omnibus equidem, ceu totidem diversis generibus, diversos merito præfixit characteres iterum laudandus BOERHAAVIVS (r) (quos hic repetere supervacaneum foret) nonnulla tamen mutanda vel addenda experientia docuit. *Ficoidibus*, proprie nunc ita sic dictis, flos adscribitur polypetalus, cujus rationem reddit VAILLANT (s), nimirum ob stamina cum ovario potius quam flore continua. Monopetalum illum esse vult TOURNEFORTIUS (t) & PETR. MAGNOL (u). Certe cohæsio partium floris circa fundum tam acta inquirenti patescit, ut illa non, nisi vi legis cujusdam præscriptæ, divelli se patiantur. Hac tamen lite etiamnum pendente, reliquæ notæ, cumprimis ovarium quinque loculare, ad omnem ficoidum cum cereis convenientiam collendam abunde sufficiunt. Quod ad *Opuntias* attinet, habitus ipsius plantæ equidem jam satis differt à cereis, magis tamen hanc differentiam confirmat floris & fructus conformatio. Etsi enim flos ejus non sit rosaceus seu polypetalus, ut uno ore loquuntur HERMANNUS (x) TOURNEFORTIUS (y) RAJUS (z), VOLKAMERUS (aa), RUPPIUS (bb), BOERHAAVIVS (cc), sed monopetalus, ut recte observavit KNAUTIUS (dd) & PETR. MAGNOL (ee); calice præterea multifido, cum flore continuo (qui perperam à TOURNEFORTIO (ff) fructui appingitur) æque ac Cereus

(r) l. c. P. I. p. 289. 292. P. II. p. 82. p. 83. (s) l. c. p. 32. (t) memoires de l'Acad. Roy. de Sc. A. 1705. (u) in novo charactere Plant. p. 207. (x) Par. Bat. p. 113. (y) inst. R. H. p. 219. (z) Hist. plant. p. 1464. (aa) Flor. Norimb. p. 309. (bb) Flor. Jenens. p. 133. (cc) l. c. P. II. p 82. (dd) method. plant. p. 105. (ee) l. c. p. 189. (ff) l. c. Tab. 122. lit. c.

præditus: Caret tamen tubo, quo hujus flos gaudet. Fructus præterea Opuntiæ in medio cavus non est, sed totus solidus seu pulposus, semina hinc inde, per pulpam copiose sparsa, fovens. *Melocacti* species, uti inter se forma externa discrepant, ita quoque à Cereis multum recedunt. Unicum enim si excipias Melocactum Indiæ Occidentalis C. BAUHINI (gg), reliqui, præter spinas, cum cereis nil ferme commune habent. Neque tamen supramemoratus, ob solam figuram cylindricam, sulcatam, atque spinarum fasciculis refertam, cereis ut accedat, admittit floris & fructus compages. Hæc enim, secundum delineationem TOURNEFORTII (hh), reliquis melocacti speciebus respondet. Flos autem in hoc plantarum genere, etsi manopetalus & multifidus sit, præter exilitatem, tubulatus potius quam infundibuliformis, calice præterea destitutus, dicendus erit. Accedit insuper iterum defectus cavitatis in fructu, utpote qui hic, prouti in Opuntia, totus pulposus, permultis seminibus exiguis undique fœtus, deprehenditur. Et hæc sufficiant.

(gg) in Pinace p. 384. (hh) Tab. 425. Iconem, quæ hic sistitur, fastigium tomentosum florigerum & fructiferum prædictæ *Melocacti* speciei exhibere, colligimus ex descriptione *Car. CLUSII* exot. L. IV. pag. 93. nullus enim, præter TOURNEFORTIUM, quantum nobis equidem constat, eam cum flore & fructu depictam monstrat, neque etiam propria experientia, ut in minori specie, succurrit.

(*Norimbergæ exhibita, M. Novemb. 1732.*)

OBSER-

OBSERVATIO CXXX.

DN. D. FERDINANDI JACOBI BAIERI.

De

Vulnere dyſepuleto ſcroti, ſcarificatione ſanato.

VUlgatiſſimus equidem uſus eſt *ſcarificationis*, in detrahendo à variis partibus corporis ſanguine, cucurbitulis impoſitis; rarior apud nos, ſine harum applicatione; tametſi veteres Græcorum ac recentiores Ægyptiorum Medici eandem frequenter adhibuerint, præſertim in cruribus aut malleolis, contra varios morbos, ubi opus eſt miſſione ſanguinis: Quam in rem erudite multa diſſeruit *Proſper ALPINUS* Lib. III. *de Medicina Ægyptiorum.* Præter illum autem, utique præcipuum *ſcarificationis uſum*, alius exiſtit haud aſpernandus, *in cicatrice* videlicet *vulneribus aut ulceribus inducenda.* Cum enim *oræ* ipſorum, variis de cauſis, non infrequenter *craſſæ ſeu calloſæ* reddantur, omnino ſanari nequeunt, niſi perpurgato prius ulcere, ſucci nutritii effluentia ex iisdem procuretur. Quare quod calloſum eſt exedi medicamento, aut ſcalpello excidi debet; quamvis utrumque ſæpius non citra moleſtiam aut periculum peragatur. Aliquando igitur ad eandem finem ſufficit *dextre inſtituta ſcarificatio*; cujus præſtantiam ſequenti exemplo comprobare mihi licebit. Cum ante quatuor hos annos *Herbipoli* commorarer, ac in ampliſſimo Noſodochio Julianeo rebus Anatomicis & Chirurgicis operam navarem, fideli præceptore uſus Excellentiſſimo Viro *D. Jo. Mich. GLASCKIO*, rerum iſtarum t. t. Directore pertiſſimo (cujus nu-

per defuncti memoriam grato ſemper animo recordabor) inter complures alios, auxilia Chirurgica efflagitantes, præſidiarius occurrebat miles. Hic ab agyrta, neſcio quam herniam curaturo, male adeo tractatus fuit, ut præter utriusque teſticuli dirum tumorem, *in ſcroto prope ſuturam* peramplum *hiatum*, crudeli vulnere factum oſtenderet. Neceſſitas primo poſtulabat, ut ingruens jam teſtium inflammatio arceretur, ac tumor diſcuteretur: qua indicatione idoneis remediis abſoluta, *dilacerato* etiam *ſcroto* erat proſpiciendum. *Oræ* ſive *labia vulneris* jam fere occalluerant, nec quicquam humoris ad coaleſcendum neceſſarii reddebant. Quapropter cum decreta eſſet *ſcarificatio*, *bacillus* applicabatur, *cujus extremitas ſcapellis tribus exiguis, myrtiformibus erat inſtructa*; his κατὰ συμφύσιν, i. e. *per tractum* inciſæ oræ ſtatim fundebant, novato ſic vulnere ſanguinis guttulas, hinc illito ſymphyti majoris ſucco, habenulis arctatum vulnus, decenterque deligatum fuit. Semel adhuc repetita eadem operatione, intra paucos dies *pulchre inducta cicatrix* apparuit, ægro in integrum reſtituto. Idem quoque inſtrumentum feliciter applicatum memini *in globulo naſi, prohibita ſic deformitate cicatricis*.

SCHOLION.

Utrum medici antiquiores eundem tradiderint *ſcarificationis uſum*, jam non vacat diſquirere. Unicum tamen adduco CELSUM, qui *Lib.* V. *cap.* 26. illius ita meminit, ut vituperare videatur, ſi nempe ad ſolam deformitatem avertendam expeteretur. En totam ipſius ſententiam: *Si vel excreverit cica-*

cicatrix, vel concava eſt, ſtultum eſt, decoris cauſa, rurſum & dolorem & medicinam ſuſtinere: alioquin res utrique ſuccurri patitur: Siquidem utraque cicatrix EXULCERARI SCALPELLO poteſt. Si medicamentum aliquis mavult, idem efficiunt compoſitiones hæ, quæ corpus exedunt. Cute exulcerata, ſuper eminentem carnem exedentia medicamenta conjicienda ſunt: ſuper concavam, implentia: donec utrumque ulcus ſanæ cuti æquetur, & tum cicatrix inducatur. h. i. Cæterum talia præcipiuntur quidem facile, aſt in curatione, circa complures caſus, ſæpe difficulter ſuccedit negotium, indignantibus id formæ ſtudioſis, viraginibus & matronis, quæ mallent utique dolorem ac medicinam ſuſtinere iterum ac tertium, quam unicam deformem in facie cicatriculam contrahere. Quemadmodum vero ad has propterea reprehenſionem *Celſi* attinere vix puto, ita mihi ſaltem ſufficit declaraſſe, *quam utilis ſit ſcarificatio in cicatrice ulceribus calloſis inducenda.*

(Norimberga exhib. M. Nov. An. 1732)

)o(

OBSERVATIO CXXXI.

DN. D. JO. PETRI WAHRENDORFFII.

De

Affectione Iliaca in infante recens nato, illiusque sedibus & causis diversis.

MUlier XXX. annorum, extremo graviditatis suæ tempore in abdomen prolapsa, maturum tamen edidit fœtum, qui etiam satis vegetus apparebat. *Nihil autem omnino per alvum excernebat, sed maternum lac,* quod ex uberibus frequenter avideque sugendo hauriebat, brevi temporis intervallo *revomebat*, *meconio* seu fæculento intestinorum excremento subinde *permistum.* Accedebat febricula, & supervenientibus ultimo convulsivis motibus, *octavo die miserrimus infans obiit.* Dissecto corpusculo statim emergebat fœtor deterrimus, *peritonæi levior, jejuni* autem & *duodeni intestinorum multo gravior* aderat *gangræna,* qualis etiam *ventriculi fundum* adeo corruperat, ut a digito haud violenter admoto facile pertunderetur. *Omentum* præterea *putredine destructum,* & tantum non penitus consumtum erat: *In ileo* contra, *crassisque intestinis vix quicquam vitiosi observabatur.* Sicut autem dubium non est, quin à lapsu matris ad corpusculum embryonis illa *contusio* pervenerit, ita hoc etiam exemplo constat, *iliacam*, communiter dictam *passionem* accidere posse, citra hujus intestini culpam. Neque enim illa semper, quin nec plerumque, (ut mihi videtur) sedem suam habet in ipso *ileo intestino*, neque adeo frequenter à contumaci per scybala obstructione, aut ipsius *intestini mutuo ingressu* proficiscitur; contrarium enim autopsia anatomica in defunctorum cadaveribus

ribus sæpiuscule detexit. Unicum mihi licebit hanc in rem proponere casum. Civis quidam Lignicensis, Westphalia oriundus, pro more patrio delectabatur lardo carnibusque fumo induratis: quibus aliquando largius assumtis, ut concoctionem juvaret, liquores spirituosos liberalius superbibit, mox alui pertinax obstructio sequebatur, cum ventris torminibus ac febre. Inter hæc *fœtor gravis ascendebat in os, cum vehementi nausea, vomitu tandem stercoreo* succedente. Post enemata repetita, & internorum quoque remediorum convenientem usum, remittebant interdum atrocia illa symptomata, & alvus descendit, modo comprimebatur rursus eadem, & ingravescebant omnia. Tandem æger, dissuadentibus licet medicis, ad *Mercurii crudi usum* confugit, cujus selibra per os assumta, alvo reddita non est, sed æger post triduum occubuit. *Aperto cadavere, ventriculi fundus, leniter impresso digito statim lacerabatur, duodenum sphacelo contaminatum* apparebat, *jejunum valde inflammatum, nec anterior ilei pars inflammatione caruit, ingressu* tamen *mutuo præsente nullo.* Mercurius autem omnis per valvulam Coli sine impedimento penetraverat usque in illum coli intestini angulum, quem ascendens in dextro hypochondrio constituit.

OBSERVATIO CXXXII.

DN. D. JO. PETRI WAHRENDORFFII.

De

Iliaco morbo in cane.

QUod canes præ aliis animantibus ad contumacem alui obstructionem valde proclives sint, & vulgo notum, eoque minus mirandum est, quo facilius à consueta ipsis *osteophagia* scybalorum summa duritie proficiscitur; ut mirum

mirum potius videatur, quod eorum non plerique hinc pereant; quamvis etiam forte frequentius idem revera accidat, quam observari solet. Amicus quidam meus *canem* habuit, *qui per aliquot septimanas nihil omnino dejiciens, assumta quælibet revomebat*, cum vehementi ejulatu: misere ita excruciatus tandem obiit. In cadavere *nullus intestinorum canali, ab induratis scybalis obex positus, nulla inflammatio evidens*, nedum *gangræna*, aut *sphacelus* reperiebatur, verum *circa intestini recti principium mutuus ingressus ad longitudinem duarum unciarum* apparebat, omni meatu hinc adeo arcte clauso, ut ne flatum quidem transmitteret.

(Lignitio Altorfium, missa M. 25. Decemb. A. 1732.)

Appen-

APPENDIX
AD
VOLVMEN TERTIVM
ACTORVM
PHYSICO-MEDICORVM
ACADEMIAE CAESAREAE LEOPOLDINO-
CAROLINAE NATVRAE CVRIOSORVM
IN GERMANIA.

УСЛОВИЯ

CONTENTA APPENDICIS.

I. DN. D. Jo. Philippi BREYNII Historia naturalis *Cocci radicum* tinctorii. pag. 1

II. Illustrissimi DN. Aloysii Ferdinandi COMITIS MARSIGLI, Annotationes de Granis tinctorum, quæ *Kermes* vocant, ex Italico in Latinum conversa. p. 33

III. DN. D. NISSOLII Dissertatio botanica de origine & natura *Kermes*: Ex Academ. Reg. Parisiens. Comment. Anno 1714. excerpta. p. 49

IIII. DN. D. GARIDELLI Historia naturalis Kermes: Ex illius opere de Plantis Gallo-Provinciæ excerpta. p. 57

V. DN. D. GEOFFROY, Junioris, observationes de *Gummi Laccæ*, aliisque materiis, prosapiæ animalis, quæ tincturam purpu-

ream

ream ſuppeditant: Ex Academ. Reg. Pariſ. comment. Tom. eod. excerpta. pag. 60

VI. DN. D. Caroli Friderici LOEW, hiſtoria *febris catarrhalis* cum *conſtitutione Epidemica* Anni cIↃ IↃ cc xxx. p. 77

VII. DN. D. Chriſtiani Henrici ERNTELII, de *Teplicenſibus* in Bohemia *Thermis*, cum Elencho Plantarum circa illas creſcentium. p. 121

VIII. DN. D. Jo. Jacobi NEVHOLDI, *Obſervationes Pathologico-therapeuticæ.* p. 145

VIIII. Memoria SCHROECKIANA. p. 185

IOANNIS PHILIPPI BREYNII,
M. D. ACADEM. IMPERIAL. NAT. CVRIOS.
ET SOCIET. REG. LOND. SODALIS,

HISTORIA NATVRALIS COCCI RADICVM TINCTORII,

QVOD POLONICVM VVLGO

AVDIT;

PRAEMISSIS QVIBVSDAM COCCVM IN GENERE ET IN SPECIE COCCVM EX ILICE, QVOD GRANA KERMES, ET ALTERVM AMERICANVM, QVOD COCHINILLA HISPANIS DICITVR SPECTANTIBVS.

CVM FIGVRIS AERE EXPRESSIS.

Append. Volum. III. Act. A. N. C.

Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt. —— Multum adhuc restat operis, multumque restabit: nec ulli nato post mille sæcula, præcludetur occasio, aliquid adhuc adjiciendi.

L. Annæus Seneca Epist. LXIV.

BENEVOLO LECTORI. S.

PAuca esse, quæ scimus in Rerum Naturalium Historia, B. L. habita ratione eorum, quæ nos fugiunt, facile concedet, quicunque scripta Auctorum de hoc themate tractantium sobrie excusserit, ipsamque Naturam in suis Regnis aliquantulum penitius introspexerit; immo deprehendet multa, quæ pro veris nobis traduntur & pro certis obtruduntur, ea non esse, sed dubia sæpe & haud raro plane falsa Exemplo nobis jam sit Insectorum Historia. Hæc animalia, mole licet ceteris, quæ perfectiora vulgo, sed minus recte, dicuntur, multum cedant; illa tamen multiplici varietate & inimitabili artificio, Gloriam Creatoris sui, muta quamvis fere, deprædicantia, Deumque Maxi-

Maximum in minimis ad ſtuporem usque ſæpe demonſtrantia, longe ſuperant. Quibus ſi præclaram utilitatem, quam multa ex iis Humano Generi in communi vita præbent, addamus, quis non videt, eorum ſedulam inquiſitionem vanitatis, vel curioſitatis non tantum non arguendam, ſed magnis potius laudibus extollendam, omnibusque modis excolendam eſſe. Non equidem inficias ire poſſumus, plurimos Excellentes Viros, recentioribus inprimis temporibus, in hac arena deſudaſſe, nobisque de iis non contemnenda reliquiſſe monumenta. Quis enim *Mouſeti*, *Aldrovandi*, *Swammerdamii*, *Malpighii*, *Goedartii*, *Redii*, *Raji*, *Liſteri*, ceterorumque, quibus præſertim ex recentiſſimis *Valliſnerius*, oculatiſſimus generationis & metamorphoſeos Inſectorum indagator, *Meriana* vero & *Albinus* figurarum elegantia inprimis laudandi addantur, merita non novit & præclara ſcripta? Interim tamen certum eſt, multum adhuc abeſſe, ut ex omnibus iis Hiſtoria Inſectorum condi poſſit univerſalis, non dicam omnibus numeris abſoluta, quod nunquam fiet, cum nihil ſub ſole perfectum ſit; ſed quæ Philoſopho aliquo modo tantum ſatisfacere queat. Nimirum laudatorum Virorum Volumina ſedulo prius excutienda, vera ubique a falſis ſecernenda, innumeræ Inſectorum ſpecies adhuc conquirendæ, examinandæ, deſcribendæ, eorumque generationes, metamorphoſes, actiones & uſus, oculo tam nudo, quam armato, diligenter obſervanda, litterisque mandanda, quam Inſecta ad certa genera & in facilem & naturalem methodum reduci, ſicque univerſalis eorum & accurata, in DEI Omnipotentis Gloriam & Generis Humani uſum, componi poſſit Hiſtoria. Hæc ratio nuperrime *Doctiſſimum Joannem Leonardum Friſchium* movit, ut Inſecta in Germania oriunda diligenter colligere & ob-

ſervare atque accuratius, quam hactenus factum fuit, deſcribere, eaque Publico non invidere coeperit. Nec dubium eſt, ſi ita pergat laudatus Vir, ejusque exemplo plures incitati, ſimile quid in ſuis quisque regionibus præſtent, quin *hæc collectanea* aliquando, una cum iis, quæ in *Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſis, & Transactionibus Philoſophicis Anglicanis, ut & Ephemeridibus Academiæ Naturæ Curioſorum Germaniæ, & Th Bartholini Actis Haffnienſibus*, de hac materia reperiuntur, ad Hiſtoriam, quam jam jam innui, multum conferre poſſint: *alius alio enim plura invenire poteſt, nemo omnia;* ut recte dixit *Lemoſius in Judic. Opp. Hippocrat. in Proœmio.* Ut vero & ego ſymbolam aliquam, tenuem licet, ad hunc ſcopum attingendum adferam, Inſectum ſelegi, quod tam ratione metamorphoſeos, quæ plane ſingularis eſt, quam utilitatis, quæ ex eo redundare poſſet, attentionem non minus, quam inquiſitionem & deſcriptionem meretur. Eſt vero illud *Coccum, quod in radicibus Polygoni*, humilis nec ullius alias fere uſus herbulæ reperitur, & *Coccus*, ſive *Coccum Polonicum*, ſalutari ſolet, cujus ex diligenti obſervatione ſuccinctam Hiſtoriam in lucem edere hic conſtitui; plura in poſterum, ſi hæc Tibi non ingrata fuerint, de uſu ejus Medico & Tinctorio additurus. Tu interim L. B. pagellas hasce pervolve, & MAXIMI NUMINIS etiam in Minimis adorandam mecum mirare Sapientiam. Vale.

HISTO-

HISTORIA NATURALIS COCCI TINCTORII RADICUM, QUOD POLONICUM VULGO AUDIT.

OCCUS, sive COCCUM vocabulum est origine Græcum, Latinis in genere Granum denotans; specialius vero & per excellentiam Coccum Plinio (a) audit Granum ex Ilice collectum, cujus apud antiquos in tingendo colore, qui inde coccineus dictus, usus erat percelebris.

Hodierna die Cocci sive Grani tinctorii species numerantur tres: videlicet I. Coccum ex Ilice, II. Coccum Americanum, sive Cochinilla, & III. Coccum radicum, sive Polonicum.

Forte non incongrue addi his posset quarto loco Coccum ex Gummi Lacca; cum vero manca adhuc hujus insecti sit descriptio, illud differimus, donec plenior & accuratior comparuerit. (b)

I. Itaque COCCUS, sive COCCUM ex Ilice, Theophrasto (c), Dioscoridi (d) & Plinio jam notum, & Arabibus Kirmiz,

(a) Hist. Nat. L. XVI. C. 8. item L. IX. C. 42. item L. XXIV. C. 4. & L. XXII. C. 2.

(b) De hoc Vid. Godofredi junioris Observationem dans les Memoires de l'Academie des Sciences de l'Ann. 1714. p. 121. & seqq.

(c) Hist. Plantar. L. III. C. 16.

(d) Libr. IV. c. 48.

miz, sive Kermes, & Alkermes (e) dictum, est Granum tinctorium, quod in Ilice aculeata cocci-glandifera, C. Bauhin: (f) cortici ramulorum, rarissime ipsis foliis adhærens, figura sphaericum, pisi majoris magnitudine, olim in Asia, Galatia, ubi optimum, Africa, Hispania, Lusitania & Gallia (g); hodie in Gallo-Provincia & Languedocia inprimis, ut & in Hispania meridionali & Lusitania reperitur, cujus in tingendo colore, qui hinc Coccineus appellatus, & Chermesino (*) non tantum, sed & in Medicina jam olim usus innotuit

Hic frutex, Dioscoridi (h) Κόκκος βαφικὴ i. e. Coccus tinctoria in feminio genere audit; Cujus egregiam iconem, cum julis & glandibus ipsisque adhærentibus Coccis ac vermiculis ex iis prodeuntibus, videre licet apud Nissolium, *dans les Memoires de l'Academie des Sciences de l'ann.* 1714. ad calcem, ut & apud Garidellum in *Historia Plantarum Gallo-Provinciæ* (i).

De Cocco ipso ejusque generatione & collectione, præter Quinqueranum de laudibus Gallo-Provinciæ, Caroli Clusii rariorum Plantarum Historia, & P. Belonii Observationes evolvi merentur; ut & qui omnia ex citatis auctoribus huc facientia & plura ex aliis congessit Joannes Bodæus a Stapel in Theophrastum

(e) Vid. Bocharti Hierozoicon L. IV. c. 27. p. 624. & seqq. ubi Clarissimus Auctor plurima de Cocco ex Sacris Litteris, Auctoribusque profanis Græcis, Latinis & Arabibus notatu dignissima congessit.

(f) Pinac. Theatri Botanici p. 425.

(g) Teste Plinio locis cit.

(*) Chermesinus color, Gallis cramoisi, mutuatur ab Arabum Kermezi, quod derivatur a Keraaes, quod Vermiculum denotat; Vid. Bochart. loc. cit.

(h) Libr. IV. C. 48.

(i) *Histoire des Plantes, qui naissent en Provence* p. 246. & seqq.

ſtum (k) & Joannis Cypriani Continuatio Hiſtor. animalium (l); ex recentioribus vero Niſſolins (m), Comes Aloyſius Ferdinandus Marſillius (n), Hyacinthus Ceſtonus (o) & omnium recentiſſimus Petrus Garidellus (p).

Hic nimirum Cocci generationem ex diligenti & repetita Emerici & propria obſervatione in Gallo-Provincia, inſecto, ſive vermiculo cuidam perminuto, hexapodi, non alato adſcribit, quod ſe cortici ramorum certæ ſpeciei Ilicis, quæ coccifera hinc audit, primo vere affigit, ibidemque immotum hærens nutritur & pedetentim incrementum capit, figuramque Cocci ſphæricam & cavitatem acquirit interne aliquot millenis minutiſſimis ovulis oblongis repletam, ex quibus temporis tractu, minuti prodeunt vermiculi, prioribus plane ſimiles, qui hinc inde vagantes, inſequente vere Ilicis ſe prædictæ ramulis, ut illi, applicant & in nova Cocca abeunt; ſine ulla alia metamorphoſi, in multis alias Inſectis obvia &, ut putat, ſine ulla ſexus differentia.

Ceterum idem Auctor obſervat ex iisdem Coccis parvulas ſæpe prodire muſcas, ex aureliis ſcilicet in pulpa Coccorum hærentibus natas: Quas aurelias ſuam ovis depoſitis ibidem ab ejusmodi muſcis parentibus, Veſparum ichneumonum more, originem debere, nullus dubito, licet a Niſſolio æque ac Garidello locis citatis generatio earum modo aliquantulum diverſo ſtatuatur.

Cum

(k) P. 236. & ſeqq. Multa quoque critica de Cocco tinctorio habet Cl. Salmaſius in Exercitat. Plinianis p. 212. & alibi paſſim; nec non in Homonymis Hyles latricæ p. 92. & ſeq.

(l) Part. III. C. 8. §. 37. & ſeqq.

(m) *Memoires de l' Academ. des Sciences de l' ann.* 1714. ad calcem.

(n) *Annotationi interno alla Grana de' Tintori, detta Kermes.*

(o) *Iſtoria della Grana del Kermes, dal Sig. Diacinto Ceſtoni.*

(p) Loc. cit.

Cum hac Garidelli de generatione Coccorum nimirum sententia, facile conciliari possunt, quæ paucis ante ipsum annis de Cocco hoc ex *αὐτοψία*, in loco natali tradidit Nissolius (q). Immo eandem confirmant, quæ eodem quo Garidellus anno, iterata experientia & longa observatione edoctus annotavit Hyacinthus Cestonus (r) de Cocco quodam in Ilicibus pumilis Liburnensis territorii nascente, a vero Cocco tinctorio colore tantum tum Cocci, tum vermiculorum diverso; qui tandem concludit: Coccum æque ac insectum illud, quod *Cimice degli Agrumi* Italis, vulgo Cimicis Aurantiorum (*) titulo innotuit, esse Zoophytum, sive ut auctor explicat, animal androgynum, quod plurimarum Plantarum instar, sine differentia sexus, ova a se ipso edit, fœcundata; prouti quoque de Ostreis, Mytulis, Echinis, Stellis marinis, similibusque hodie a Naturæ scrutatoribus statuitur.

Huic quidem Illustriss. Comitis Marsillii (s) observatio e diametro contraria esse videtur; siquidem, ut ipse observasse putat, Coccum oritur gallæ instar ex depositis ante autumnum a musca sui generis ovis in cortice Ilicis, aculei beneficio læso, ex quibus subsequente vere plenam maturitatem adeptis,

(q) Loc. cit.

(r) L. cit. p. 168. & seq.

(*) Hujus Insecti, etiam jam in terris Septentrioni vicinis, inprimis Hesperidum Plantarumque exoticarum Cultoribus satis noti, Generationem vid. apud Cestonum lib. cit. p. 165. & seq. quæ aliquantulum differt a ea, quam D. de la Hire & Sedileau *dans les Memoires de Mathematique & de Physique, de l'Academie Royale des Sciences de l'Ann.* 1692. *a Paris* p. 8. & seqq. observasse testantur. Cestonus hoc insectum sexu differre, aut copula jungi observare non potuit, adeoque pro Androgyno habet; De la Hire & Sedileau, sexu diversum esse conjectantur, non probant.

(s) L. cit. p. 59. & seqq.

adeptis, excluduntur vermiculi hexapodes, non alati, qui tandem in parvas abeunt muscas, & sic porro.

Fateor quidem Garidelli & Cestoni sententiam initio præ Marsilliana mihi magis visam fuisse paradoxam; sed ubi omni deposito præjudicio, & a partium studio alienus, rem examinavi accuratius, a priorum partibus potius stare decrevi: Idque eo magis, quia Garidellus & Cestonus in suis observationibus summa ἀκριβεία institutis conveniunt, consentiente etiam Nissolio; qui omnes suas observationes, quæ facile cum iis quæ omnium primus Quinqueranus de Cocci generatione tradidit, annotante etiam Vallisnerio (t), conciliari possunt, circa Coccum in locis natalibus, non una, sed repetitis instituerunt vicibus, adhibitis in subsidium bonæ notæ microscopiis; cum Illustriss. Comes suas tantum, ut hospes, prope Marsiliam festinanter & plausibili sua sententia forsan imbutus condiderit. Quod judicium ne vitio mihi vertat laudatus Comes, cujus summa merita in Republ. Litteraria & novi & veneror, vetat Summi hujus Viri Candor, utpote cui nil magis, quam veritas cordi est; cum adhuc confirmetur analogia cum Coceo Americano & altero radicum, ut ex sequentibus patebit.

Et hoc Coccum est, ut alias, quarum apud antiquos obscura hinc inde reperitur mentio, nunc taceam species, quo usi fuerunt veteres, tam in Arte Medica, quam inprimis tinctoria; donec a Christophoro Columbo & Americo Vesputio detecto Novo Orbe, e nova Hispania s. Mexiocano Regno circa initium sæculi XVI. in Europam deferri cœpit nova Cocci species.

II. COCHENILLA Hispanis, i. e. parvum granum, quod Latine recentioribus Coccinella, Cochinella, sive Cochinilla redditur, nec male, me judice, COCCUM AMERICANUM salutari potest. Cujus postquam Europæi in tin-

b gendo

t) Opere diverse Sig. Antonio Vallisnieri p. 162.

gendo experti sunt præstantiam, Coccum ex Ilice sensim sensimque neglexerunt & ad Pharmacopolarum Officinas potius, inprimis pro celebratæ adeo Confectionis Alkermes præparatione amandarunt, in ejus locum Coccinellam substituentes, quæ utpote merx multum desiderata magnique æstimata, maxima cura culta fuit & collecta, inque Europam quotannis majori copia delata. Hujus usus in hodiernum usque diem continuavit adeo, ut in tingendo coccineo & purpureo colore omnem fere absolvat paginam, & inter primarias merces, quæ ex America in Europam, ab Hispanis potissimum transferuntur; numeretur.

Hoc autem non granum Vegetabile esse, ut somniarunt nonnulli, quos inter etiam Pomettus (u) est, relatione, ut videtur, fabulosa seductus; sed verissimum insectum, ex foliis Opuntiæ cujusdam (quæ Perillustri SLOANE in vere Magnifico, quod *The Natural History of Jamaica* appellatur, Opere (w) *Opuntia maxima; folio oblongo rotundo, majore, spinulis obtusis, mollibus & innocentibus obsito; flore striis rubris variegato*, audit; cujus figuram, una cum modo colendi & colligendi Coccinellam videre licet in jam jam laudati Operis Volumine II. Tab. VIII. & IX.) Mexiocanis *Nopal* & *Tuna* dictæ collectum & exsiccatum, abunde probatur a Clarissimo Godofredo juniore (x). Et nuperrime quoque a Melchiore de Ruuscher *dans son Histoire Naturelle de Cochenille, justifié par des documens authentiques*, huic quamplurimis authenticis testimoniis & documentis ex ipsa Coccinellæ patria magno molimine petitis, lux ingens affunditur, ubi simul lectu dignissima de Insecti hujus Natura, cultura & generatione afferuntur; ex quibus colligi potest, id ipsum ad eun-

(u) *Histoire generale des Drogues* L. 1. p. 33.
(w) Vol. II. p. 152.
(x) Memoires de l' Acad. des Sciences l'Ann. 1714. p. 137. & seqq.

eundem illum Insectorum ordinem pertinere cum Cocco Ilicis & Cimice Aurantiorum vulgo dicto, adeoque nullam aliam subire Metamorphosin, præterquam quod ipse Vermiculus quieti redditus, sibi ipsi quasi pro fovendis & excludendis ovulis fiat nidus.

Hisce præmissis ad III. COCCI speciem accedo, quæ a quibusdam auctoribus, inprimis neotericis, ad radices nonnullarum plantarum reperiri traditur, cujusque in tingendo usus pariter multum commendatur: Hoc ipsum est, quod a quibusdam Auctoribus COCCUS POLONICUS sive *Coccum Polonicum*, in Polonia quia, terrisque adjacentibus inprimis copiose invenitur, Polonis *Karmazynowe ziarka*, sive *Czerwiec* dicitur, (y) a me verò COCCUM RADICUM ad differentiam binorum antecedentium, salutatur.

Quod vero hoc Coccum ordine tertium faciam, non ideo fit, quod post Americanum demum innotuerit, sed quod minus cognitum, minusque ceteris in usu sit. Nam si antiquitatem spectemus, ea longe Coccum Americanum superabit; inprimis si perpendamus, quæ de Cocci hujus antiquitate habet Joannes Leonardus Frischius: (z) quibus probat jam ante mille fere annos id Monasteriis in Germania nomine *Vermiculi*, Vernacula Würmlein / notum & singulis Annis tributi loco a subditis offerri iisdem solitum fuisse.

Circa initium sæculi XV. vero post renatas expulsa Barbarie litteras, varii Auctores: ut Janus Cornarius (a). Jul.

(y) Rzaczynski Histor. Nat. Polon. p. 95.

(z) Beschreibung von allerley Insecten in Teutschland, fünffter Theil. p. 10. & seq.

(a) Janus Cornarius in Dioscoridem; L. IV. C. XXXIX. qui prodiit A. 1557. de Cocco nostro sequentia habet: *Historiæ gratia id, quod ab Amico quodam peregrinationis admodum studioso & mihi aliquando in illa socio, audivi, adscribam. Nascitur, inquit in Sar-*

Cæsar Scaliger (b) & plures alii Cocci s. Kermes e radicibus collecti fecerunt mentionem; sed ratione Plantæ, ex qua? multum variant: dum Cornarius illud plantæ, quæ similis Plantagini (c), J. C. Scaliger (d) Pimpinellæ, alii aliis, Joachimus Cammerarius vero rectius Polygono Coccifero, Kosmaczek dicto, tribuunt. (e)

Sæculo subsequente XVII. varii Botanici aliique Scriptores ejus meminerunt: scilicet, uterque Bauhinus (f) Simon Pauli (g), Adalbertus Tylkofski (h), & alii plures, quos omnes fere collegit Rev. P. Gabriel Rzaczynski S. J. in sua

Sarmatia ad Russiam spectante, in Podolia appellata regione, herba similis Plantagini, quæ Arnoglossum appellatur. Ad hujus radicem granum unum adnascitur, vulgo istic Zschirbitz, *voce ex Kermes, ut puto, corrupta, appellatum, quo ad finem Maji & Junii principium per quatuor hebdomadas colligo, antequam in vermem, alas postea acquirentem abeat, serici & alii panni inficiuntur eo colore, quem nostri* Scharlach & Karmesin *vocant. Ubi colligitur hoc granum, quinta pars talenti, quod nos centenarium dicimus, quinque aut sex aureis Rhenanis venit. Verum inter exsiccandum & præparandum, dum in pulvillum redigitur, tantum ipsi decedit, ut ad nos Francofurdam, allatum, libræ unius pondus triginta aut quadraginta plus minus aureis veneat. Granum autem ipsum, singulis radi ibus singulum adnascens, lentis magnitudinem non excedit.* Hæc descriptio sane multa obscura & quædam a veritate aliana complectitur.

(b) Exercit. 325. §. 13.
(c) Loc. jam jam citato.
(d) Loc. cit.
(e) Epitome de Plantis p. 691. Quamvis Kosmaczek, secundum Syrenium in Herbario Polonico & Cnapium, Piloscllam, non Polygonum denotet.
(f) Casp. Bauhinus in Pinace Plantarum L. VII. Sect. V. p. 281. & Joann. Bauhinus in Historia Plant. T. 3 p. 378.
(g) Quadripart. Botanic. p. 113. & seq.
(h) Physic. Curios. Part. 3. Sect. 10.

sua Historia Naturali Poloniæ (i). Quæ Georgius Segerus quoque (k) & Martinus Bernardus a Bernitz (l) de Polygono Coccifero Polonico, ejus Cocco, modo colligendi, præparandi & usu in arte Medica ut & Tinctoria habent, quæ legantur, digna sane sunt. Sed vera hujus Cocci generatio & Natura ipsis ignota fuit & post tot observationes & relationes, in Democriti quasi latuit puteo.

Hanc ob rem ego a plurimis jam annis Coccum hoc diligenter observavi & oculo tam nudo, quem armato examinavi, idque diversis plane temporibus & annis; ubi pedetentim non sine magna animi delectatione naturam & generationem ejus inspicere intimius & detegere mihi contigit; cujus vero publicationem hactenus distuli, ut observationes repetendi & sententiam meam magis confirmandi suppeteret occasio,

Interim Ao. 1724. Doctissimus Joannes Leonardus Frischius, Vir alias in inquisitione Insectorum curiosissimus & diligentissimus, in utilissimo Opere vernaculo, *Descriptio variorum Insectorum Germaniæ* dicto, Parte V. in hoc quoque Coccum radicum incidit, utpote etiam in Marchia reperiundum; quod minus feliciter tamen delineavit Tab. II. & descripsit p. 6. & seq. Ubi quæ de generatione ejus & metamorphosi in insectum alatum sive muscam, ut ante ipsum jam dudum Cornarius, Chemnitius & alii docuerunt, tradit, videre licet.

Fateor me ante plures jam annos ejusdem fuisse sententiæ; donec a biennio ex accuratis & repetitis observationibus, adhibita semper in subsidium lente optica, veriora edoctus, longe aliam hujus Insecti generationem & metamorphosin (quod pace Doctissimi Viri supra laudati dixerim, cujus alias studium

(i) Tract. II. Sect. 3. p. 95. & seq.
(k) Miscellan. Academ. Natur. Curios. Dec. I. Ann. I. Obs. 8.
(l) Miscellan. Academ. Nat, C. D. 1, Ann. 3. Obs. 104.

& diligentiam in hac parte Naturalis Historiæ, si modo Icones aliquantulum nitidiores forent, laudo & magni facio, utque eo in stadio, quod incepit, feliciter pergat ex animo precor,) reperi, uti ex mox dicendis patebit, & Dn. Frischius si mea methodo observationes, animo a præjudiciis vacuo, repetere voluerit, ipse experietur.

Non autem jam ab ovo, quod ajunt, sed ab ipso Cocco utpote magis noto & obvio exordiar; prouti a medio Junii ad medium circiter sequentis mensis Julii in *Polonia* non tantum, sed & copiosissime in *Palatinatu Kiovienſi*, qui est pars Ukrainæ, circa Oppida *Cudnow*, *Piatka*, *Stobdyszcze*, *Berdiczow* & in aliis locis Kiovienſi urbi vicinis, ut me Rev. P. G. Rzaczynski, S. J. edocuit, reperitur; nec non in aliis locis, *Ukrainæ* & *Podoliæ* desertis inprimis & arenosis, ut in *Volhiniæ* & *Lituaniæ*. In *Masovia* pariter observatur prope *Warsaviam* copiose, teste Martino Bernardo a Bernitz & nuperrime Excell. Erndtelio in Viridario Warsavienſi, Warsaviæ Physice illustratæ annexo. Præterea in *Borussia* prope *Thorunium*, observante Segero, & *Gedanum* ex nostra observatione; ut & in aliis *Germaniæ* terris, ut *Pomerania*, *Marchia*, *Ducatibus Megapolitano & Brunsvicenſi* & forte quam plurimis aliis, frequens est.

Invenitur autem ad radices *Polygoni Cocciferi*, *Polonis Kosmaczek*, Casp. Bauhini, quod me judice non differt a *Polygono Germanico*, *incano*, *flore majori*, *perenni*, Raji, & Celeb. Tournefortio secundum Methodum suam *Alchymilla gramineo folio*, *majore flore*, (m) dicitur, cujus accuratam Iconem una cum Coccis ipsi adhærentibus Fig. I. L. B. exhibemus. An vero in aliis deprehendatur plantis, ut nonnulli voluerunt, quos inter nuperrime adhuc ex relatione testatur laudatus P. Gabr. Rzaczynski, S. J. radicibus quatuor diver-

(m) Instit. Rei Herb. p. 509.

diversarum Plantarum a Russis *Potonicznik*, *Piatyperstica*, *Smotka* & *Kukutika* denominatarum in Kiovienſi Palatinatu adhæreſcere; ego quidem non plane negare audeo, hoc ſaltem monens, nec a Martino Bernardo a Bernitz prope Warſaviam, nec a me in vicinia Gedani, ſtudio licet quæſitum, in ulla alia planta, præterquam in hoc *Polygono* (ſi unam & alteram plantulam Polygoni minoris polycarpi, uno & altero Cocco obſitam, quam anno proxime elapſo in vicinia alterius Polygoni Cocciferi inveni, excipiam) fuiſſe repertam. Neque tamen in omnibus plantis hujus Polygoni Cocciferi Coccum reperitur, ſed in quam plurimis, ceteris eodem deſtitutis; neque ubique, ſed tantum in ſolo arenoſo & ſicco. Ego id copioſe naſcens obſervavi in terris arenoſis Monaſterio Olivenſi ſubjectis, incultis partim, partim ad agrorum & viarum margines, in planitie inprimis illa, quæ non longe diſtat a mari, nec non in diverſis locis montanis Civitati Gedanenſi adjacentibus.

Cum jam dictum Polygonum planta ſit Botanicis ſatis nota, nolo in eo deſcribendo tempus terere, præprimis cum mea figura id quam accuratiſſime exprimat. Moneo tantum, ut probe diſtinguatur a *Polygono minori polycarpo*, Tabernaemont: ſive *Polygono Germanico* Knawel / quæ eſt *Alchymilla ſupina gramineo folio*, *minore flore* Tournef. (*) Planta annua cauliculis numeroſis, ſupinis, foliis rarioribus, magisque viridantibus, floſculis copioſis minoribus, viridibus fere, ſegmentis acutioribus; Cocciferum vero eſt Planta biennis, ſecundo ſcilicet anno flores ferens & ſemina, caulibus plerumque non adeo numeroſis (quamvis aliquando robuſtior planta viginti & plures emittat) ſed firmioribus magisque erectis, foliis frequentioribus, magis incanis, floſculis altero tanto majoribus, in medio albis, ſegmentis obtuſioribus præditis.

Eſt

(*) Inſtit. R. Herb. p. 508.

Est vero Coccum hoc granum sphaericum, diversæ magnitudinis, a seminis Papaveris scilicet ad Piperis albi magnitudinem accedentis, læve, coloris purpureo violacei, instar prunorum Hungaricorum, & nitentis, constans cuticula tenui, succum sanguineum includente. Reperitur nunc solitarium, nunc, quod frequentius, plura simul, ad usque quadraginta aliquando in una planta; adhærens radicibus supra dicti Polygoni sub arena, ad digiti transversi usque profunditatem, ut & sæpe supra terram radicis capiti & infirmis ramulis, humo incumbentibus, foliola inter arida. Dimidia fere parte & sæpe majori tegitur crusta quadam scabra, nigro fusca, interne lævi, quæ Coccum excipit, ut cupula glandem quercinam, idque cortici Polygoni firmiter quasi agglutinat, ita ut læsio in cortice observari haud possit, neque in Cocco vestigium, quo mediante adhæserit cupulæ.

Hoc Coccum a villanis circa festum St. Joannis Baptistæ collectum & in patellis fictilibus, adhibito igne lente exsiccatum, pinguedine quadam quasi scatens & materiæ rubræ tingentis parum continens, odorem fundit penetrantissimum, haud ingratum, urinosum quamvis, multi Salis volatilis in eo latentis testem.

Quondam in magna quantitate ex Polonia Gedanum & in alias regiones transportatum fuit, ita ut sub Rege Sigismundo III. pro eo vectigal a mercatoribus persolutum testetur Constitutio in Comitiis Generalibus Regni, Ai. 1601 (*); nunc vero nescio quo fato a Polonis neglectum, non nisi parcissime a Judæis, & quidem potissimum curiositatis gratia ad nos defertur.

Ut

(*) Nimirum in *Instructione exigendi Telonii novi finitimi, tam in majori, quam minori Polonia. Dat. Warsaviæ d.* 13. *Martii Ai.* 1601. inter Merces, a quibus Novum vectigal exigendum indicitur, recensetur & Czyrwiec, quod cum Czerwiec idem esse contendit laudatus P. Rzaczynski.

Ut experirer, quid ex his Coccis fiat, plurima collecta Menſibus Junio & Julio, adhærentia partim Polygono, partim vero ab eo ſoluta immiſi vitris, ita tamen, ut liber aëri pateret ingreſſus, & radiis expoſui ſolaribus. Tumque circa ſolſtitium æſtivum & diebus ſequentibus adusque 24. Julii circiter, ſucceſſive ex quovis Cocco excludebatur Vermis, magnitudinis, ratione Cocci diverſæ, cujus ſemper rationem habebat, hexapus, decem gaudens interſectionibus, cujus anterior pars capitis vicem gerens, & duabus præditum antennis brevibus & carnoſis, nullum nec oris, nec oculorum, ne oculo quidem armato offerebat veſtigium; in tergo duos ſecundum longitudinem monſtrabat ſulcos, qui pro vario animalculi motu, nunc magis, nunc minus evadebant apparentes. Inferne pedibus inſtructus erat ſex, utrinque ſcilicet tribus, unguiculis munitis totidem, qui in pare primo robuſtiores erant, & nigricantes. Totus Vermis coloris obſolete purpurei & inſuper pilis raris ex fuſco griſeis præditus.

Hunc, & quidem primæ magnitudinis, oculo nudo viſum exhibet *fig.* 11. eundem vero microſcopio auctum pronum *fig.* 12. & ſupinum *fig.* 13. Pro vario corporis motu, nunc longior, nunc contractior craſſiorque apparebat, immo immotus quaſi in globum convolvebatur, quem ſitum quoque in Cocco ante excluſionem habebat, *Vid. fig.* 14. quam *fig.* 15. etiam magnitudine auctam exhibet. Maximus, ut obſervavi, tres lineas longitudine, duas latitudine & unam craſſitie aſſequebatur; minimus vero unicam circiter lineam longus & parum ſupra dimidiam latus erat. Hi vermes circa meridiem radiis imprimis ſolaribus expoſiti moventur prorepuntque, tacti vero, ut & circa veſperam, vel cœlo nebuloſo & frigido exiſtente, immoti & contracti jacent, ut ſupra dictum eſt.

Cœlo calidiore prorumpunt & latibula quærere videntur, ni vitro coërceantur, alimentorum autem aliquid aſſume-

re, vel excrementa deponere & augeri, vel sexu differre, aut alterum cum altero coire, observare haud potui.

Ejusmodi vitam vivunt hi vermes, aëre & calore exceptis, nihil indigentes, per dies decem, quatuordecim & ultra. Tum nonnihil contracti se dant quieti, inquieti brevi antea & se mire contorquentes atque purpuræ instar rubentes, brevi post plurimi, quasi situ obducti, candidissima lanugine instar Gossypii, sed longe subtiliori, undique per corporis poros transsudante & efflorescente, tecti, figuram nunc sphæricam, nunc irregularem & elegantem aliquando acquirunt; *Vid. fig.* 17. magnitudine auctum *fig.* 18. una cum ovis *fig.* 19. exhibet, subinde parte quadam Vermis lanugine vacua, quibusdam quoque absque lanugine remanentibus & morientibus.

Est vero lanugo hæc tantæ subtilitatis, ut vel leniissime digitis tractata, mox in pulverem ferme impalpabilem fatiscat oculosque fugiat.

Et hæc sane jucunda coloris purpurei in niveum metamorphosis egregium dicti illius Jes. c. I, 18. (*si peccata vestra fuerint ut Coccus, nive reddentur albidiora; si rubeant instar purpuræ, sicut nativa lana fient*) præbere Emblema & Symbolum, quis non videt?

In hoc statu Vermes remanent per dies quinque, octo pluresve, quibus elapsis singuli ova emittunt, numero quinquaginta, centum, immo aliquando plura, partim chartæ, cui impositi, incumbentia, partim vero lanugini intricata; Vid. *fig.* 2. eadem ova magnitudine aucta monstrat *fig.* 3. & 19.

Anni præteriti vigesima Julii, ejusmodi Vermem lanugine undique tectum, ope microscopii, ut sæpius antea examinavi, ubi in lanugine ultra quinquaginta ovula recenter exclusa deprehendi. In meditullio lanuginis ipse Vermis latebat contractus & flaccidus, nulla plane vitæ signa edens. Compressus digitis in parte postica monstrabat foraminulum rotundum, per quod sanguis prodibat & vermis procul dubio antea

ova

ova pepererat; in sanguine dicto modo expresso, ultra viginti ovula adhuc, ceteris figura & magnitudine paria, numerabam, necdum parta. Præterea nulla viscera in verme distincte observare potui, dum expresso sanguine cum ovulis, præter exuvias vermiculi, nihil remanere videbatur.

Ova jamjam memorata, nudo oculo nonnisi puncta apparent oblonga & rubicunda; lente vero armato, magnitudine & figura ovorum formicarum vulgo dictorum, fere pellucida, rubicundi coloris cum nitore, adeo tenera, ut vel leniter tacta, vel compressa dissileant & contentum sanguineum laticem dilutum effundant. Subinde alterum alteri in linea recta adhæret. Recenter parta pulviculo, instar Cyprii, albo, consperſa spectantur, a lanugine ambienti supra descripta oriundo.

Ex his ovis, radiis solaribus expositis circa festum Sti. Bartholomæi i. e. 24. Augusti, ubi Sol signum Virginis ingreditur, & subsequentibus diebus, Vermiculi excluduntur, ex singulis singuli, ovulorum suorum magnitudinem circiter habentes, hincque non nisi ut puncta pariter oblonga & rubicunda, sed opaca & sese moventia apparentes. *Vid. fig* 4. Lente vero optica in subsidium vocata, Vermiculi spectantur purpurei, aliquot insectionibus distincti, hexapodes, pedibus postremis longioribus, capitulo duabus antennis prædito, alvo vero seu podice duabus subilissimis setis griseis, instar pilorum ornato, quæ non nisi in Vermiculo chartæ nigræ impositio apparent. *Vid. fig.* 6. Primis post exclusionem diebus, setis hisce ovorum exuviæ sive reliquiæ albescentes adhærere & ab animalculo circumferri solent. *Vid. fig.* 5.

Hi vermiculi in vitro servati initio satis celeriter prorepunt, dein vero torpere incipiunt; aëre inprimis frigidiore existente, Solis radiis vero redeuntibus, redit motus. sed tardior; donec elapsis quatuor circiter septimanis, nullus plane motus, ceu vitæ indicium in iis detegi possit, quod nutrimenti defectui adscribendum reor.

Eousque Cocci metamorphosin in Museo oculis examinavi & expertus sum; nunc quæstio remanet quid porro cum hisce vermiculis contingat ruri & qua ratione in nova abeant Cocca, sive grana sphærica, quod sequentem in modum fieri non sine ratione, immo multum probabiliter conjector, donec ulterior experientia, vel conjecturæ huic meæ adjecerit calculum, vel certiora edocuerit.

Nimirum reputo I. hos vermiculos *fig.* 4. 5. 6. ex ovis *fig.* 2. 3. prodeuntes sexu nequaquam differre, quemadmodum nec illi qui ex Cocco Ilicis, testibus Garidello & Cestono, & ex Cimicibus Aurantiorum, ut idem Cestonus & Vallisnerius testantur: II. Eos per aliquot tempus in campis divagari & nutriri; donec III. se affigant radicibus & ramulis Polygoni Coccifери *fig.* 1. junioris, ubi sensim motu locali & sensu destituti, quocunque demum modo inbibunt nutricium succum ex eodem Polygono, sensimque IV. transmutantur in Cocca *fig.* 7. 8. 9. 10. stricte dicta, sive vesiculas sanguineo succo repletas, qualia Junio mense spectantur; calyce *fig.* 7. 8. supra memorato procul dubio ex exuviis vermiculi cum succo terreo mixtis orto. In hoc statu remanent, donec justam maturitatem adepti; tunc V. circa solstitium æstivum ex singulis Coccis singuli prodeunt vermes *fig.* 11. 12. 13. 14. 15. supra descripti, sexu non distincti, quorum unicum officium esse videtur, ut in se ipsis ova & generent & fœcundent, & fœcundata pariant; remanentibus exuviis *fig.* 16. expressis. Et hi vermes, qui perfectionis culmen in suo genere assecuti videntur & cum Cocco Americano tantam habent similitudinem, imprimis ubi se quieti dare incipiunt ovisque repleti sunt, hoc ipso tempore pauxillo aceti consperfi, lentissimo igne in fictili vase exsiccandi & in loco sicco pro usu tam Tinctorio, quam Medico asservandi sunt, quia in iis materia tingens & copiosior & excellentior reperitur, quam in Coccis illis vulgo ex Polonia asportari solitis. VI. Ova *fig.* 2. 3. eduntur postquam vermes se quieti tradi-

tradiderunt & lanugine tecti sunt, *fig.* 17. 18. quod fit circiter quatuor hebdomadis elapsis post exclusionem, Sole scilicet signum Leonis salutante. Non autem adhærent vermi, vel ab eo involvuntur, sed vel lanugini ambienti adhærentia, vel in vicinia dispersa reperiuntur: *fig.* 19. Ex quibus post præteritas iterum quatuor hebdomadas, Sole Virginem adeunte, denuo excluduntur caloris ope Vermiculi No. 1. descripti, quorum officium esse videtur, ut sibi quærant nutrimentum & locum, ad subeundam metamorphosin in nova Cocca.

Aliquando inter Cocca, cum Polygono collecta & vitro inclusa, parvulæ quædam observantur muscæ, corpore pedibusque sex nigricantibus, capite binis antennis instructo, alis totidem albis & pellucidis in externo margine macula oblonga coccinea notatis, podice setis subtilissimis aliquot cinereis, radiatim positis, longitudine muscæ corpus superantibus ornato. Hæc brevioris ævi est, vix enim diem unum vel alterum supervivit. *Vid. fig. a* quæ eam naturali paulo majorem & *fig. b.* quæ microscopio multum auctam refert. Et hæc est Musca, quæ plurimis, qui Cocci mentionem fecerunt, imposuit, ut crederent eam ex Cocci verme supra descripto, metamorphosi multis Insectis familiari transformari; quorum vestigia secutus est Frischius supra laudatus, Immo me, analogia quadam in metamorphosi Muscarum & Vesparum Ichnemonum obvia, seductum in eodem per aliquot tempus errore versatum fuisse lubens fateor, ipsumque Coccum, ex ovis ab hac Musca ad radices Polygoni depositis, Gallarum instar, ut Comes Marsilius de Ilicis Cocco statuit, crescere, putasse; quamvis captu mihi semper fuit difficile, qua ratione ex verme majusculo Musca adeo exigua & subtilis formaretur. Donec paucis ab hinc annis summa ἀκριβεία, in naturam horum vermium inquirens, in lanugine qua tegebantur, minuta quædam corpuscula rubicunda detegerem, quæ pro squamulis a verme relictis initio habebam, mox vero microscopio instructus pro veris &

genuinis ovulis agnoſcebam, ex quibus poſtmodum quam ſæpiſſime, jucundo mihi ſane ſpectaculo vermiculos excludi vivos vidi, ut ſupra explicui.

Muſcam vero deſcriptam, ſuam conjector originem debere vermiculo cuidam, qui Julio & Auguſto Menſibus aliquando etiam inter Cocca reperitur, cum iis vero nullam habet affinitatem. Oculo nudo viſus hic vermiculus, punctum refert oblongum, celerrime prorepens, ut *fig. c.* exhibet; armato vero *fig. d.* vermis apparet longo & anguſto corpore, aliquot inſectionibus diſtincto, poſtica parte acuminata, ſex pedibus & in capite duabus armatus antennis, coloris nunc pallidi, nunc rubri obſcurioris. Hujus generis aliquot in vitro conſervavi, ultra quatuordecim dies ſine alimento vegetos, qui vero ante transformationem decedebant, nutrimenti, ut autumo, defectu.

Atque hac ratione cum noſtro Cocco ſimilis error natus eſt, qui cum Cocco Ilicis: dum Illuſtriſſ. Marſillius Vermiculos ex Cocco natos, in muſcas transformari putavit; eas vero tales non eſſe, ſed muſcas eſſe Inſecta ſui generis, in Coccis tantum ab ovis ibidem depoſitis generata, uti Veſpæ Ichneumones ſæpe in Erucis, ex Niſſolio, Garidello & Ceſtono ſupra annotavi. Immo nullus dubito, Inſectum illud alatum, ſive parvum ut vocant papilionem, quem ſuper Coccum Americanum nonnunquam volitare teſtantur Hiſpani (n) pariter ſui generis Inſectum a Cocco diverſum eſſe.

Ex omnibus iis, quæ hactenus dicta ſunt, Coronidis loco concludo:

I. Coccum ex Ilice, eſſe Inſectum alis deſtitutum, hexapus, ſexu, prout apparet, non diſtinctum, quod brevi Ilicis ſe affigens cortici, motu locali & ſenſu deſtitutum, ſub ſpecie

(n) Vid. *l' Hiſtoire Naturelle de la Couchenille, par Mr. de Ruuſcher* p. 21.

ſpecie grani ſphærici, Vegetabilium indolem induere videtur, mole augetur, & ſemina, ſive ova in ſinu ſuo perficit fœcunda, ex quibus ope caloris ſolaris excluduntur Inſecta, priori plane ſimilia.

II. Coccum Radicum vero eſſe Inſectum alis deſtitutum, hexapus, ſexu prouti apparet non diſtinctum, quod dein vero Polygoni ſupra dicti ſummis radicibus ſe affingens, motu locali & ſenſu privatum, ſub ſpecie grani ſphærici, Vegetabilium indolem acquirere videtur, & mole augetur; ex quo poſt determinatum tempus iterum excluditur vermis a priori diverſus, quamvis eidem multis proprietatibus ſimilis, qui neque nutritur, neque augetur, nec ſexu diverſus apparet, ova tamen in ſe ipſo perficit fœcunda & poſt determinatum tempus lanugine tegitur, iterumque motu locali deſtitutus contrahitur & ſemina ſeu ova expellit; ex quibus poſt aliud iterum determinatum tempus, ope caloris ſolaris, vermiculi excluduntur primo ſane ſimiles. Coccum noſtrum Radicum igitur a Cocco ex Ilice in hoc tantum potiſſimum differt, quod noſtrum duplicem ſubeat metamorphoſin, dum vermiculus ex ovo excluſus, nutriendus, abeat in Coccum ſtricte dictum, ex Cocco vero prodeat vermis alius in ſtatu perfectionis non indigens alimento, cujus officium eſt ova perficere & parere, quibus peractis moritur. Coccum ex Ilice vero fit ex vermiculo, qui præterea nullam patitur metamorphoſin, ſed ſub ſpecie Cocci, ſive grani parit ova, eademque in ſuo ſinu excludit, dum ipſe moritur. Aſt Americanum propius multo ad noſtrum radicum accedere colligo, inprimis ſi illud *fig A. B. C.* cum verme, qui ex Noſtro Cocco excluditur, & *fig.* 11. 12. 13. 14. & 15. exprimitur, conferatur; conſulendo ſimul explicationem figurarum annexam. Quod vero Americani generatio,

neratio, nec dum adeo clare innotuerit, Hispanorum, in America degentium, minori in rebus physicis curiositati adscribendum esse reor.

Hæcque sufficiant de Cocci nostri Radicum natura, generatione & metamorphosi; specialia de Examine ejus Chemico, ut & Usu Medico & Tinctorio alii tempori reservantur. Colophonis loco circa collectionem & culturam ejus monendum: censura dignos videri Polonos & omnes, qui ejusmodi thesaurum, quem benigna nobis natura largitur, negligimus, atque ex difficilibus terris, non sine magno vitæ discrimine multisque laboribus & impensis res tales petimus, quales quotidie pedibus calcamus & vix aspectu, multo minus curiositate nostra & cura dignas judicamus. Sed ita proh dolor cum hominibus comparatum est, ut propria bona despiciant, e longinquis terris vero petita, licet aliquando deteriora suspiciant & extollant. Sed o nimium felices, si bona nostra nossemus!

Exemplo sit Coccum, de quo agimus: Quantus enim ex diligenti cultura & abundanti collectione non redundaret fructus, terrarum Cocci feracium possessoribus, reditusque eorum augerentur annui, ut Vectigalia publico inde persolvenda nunc taceam. Neque est quod aliquis pejorem Cocci nostri conditionem, præ eo ex Ilice & altero Americano, nobis objiciat; neque quantitatem ejus modicam adeo & vix considerationem dignam. Nam quantum ad prius nostrum Coccum memoratis, si modo convenienti colligatur tempore & rite ac cum judicio tractetur, neque quod ad virtutes Medicas, uti Martinus Bernardus a Bernitz (o) expertus docet, neque quod ad illas, quas in Arte Tinctoria præbet, ut plures testantur, ullo modo cedere crediderim. Quod posterius vero concernit, considerandum, copiam hujus Cocci non adeo modicam

(o) Miscellan. Acad. Nat. Cur. D. 1. Ann. 3. Obs. 104.

cam esse, cum Scriptores, in campis desertis Ukrainæ & in specie in Kiovienſi Palatinatu, nec non in Podolia admodum copioſe naſci teſtentur. Immo quis dubitat, ſubditorum diligentia & labore, inprimis ſi ipſis certa hujus Cocci quantitas, Dominis ſuis annui tributi loco exhibenda injungeretur, quemadmodum olim Monaſteriis in Germania illam fuiſſe conſuetudinem, ſupra annotavimus, ipſa adeo neceſſitate animatis, culturam & collectionem ſenſim ſenſimque promotam iri. Labor enim & induſtria hic requiruntur. Quemadmodum enim Coccum Americanum, quod ſane, ut ſupra docuimus, cum hoc noſtro magnam habet affinitatem ab Hiſpanis in Mexicano Regno, magna ſolicitudine coli & colligi, ex relationibus & Hiſtoriis conſtat, unde tanta ejus ſuppetit copia, ut inde non contemnendus theſaurus quotannis in Europam transfundatur; ita quoque vix reſtat dubium, idem cum Cocco noſtro fieri poſſe; inprimis ſi ad ruſticorum ſubditorumque induſtriam & laborem, inſtructio accederet

Viri cujusdam in rebus Phyſicis probe verſati.

TANTUM.

Explicatio Figurarum

Fig. 1. *Polygonum Cocciferum, Polonicum; cum adhærentibus Coccis majoribus, minoribusque.*
2. *Ova ex quibus vermiculi excluduntur, qui deinde in Cocca abeunt.*
3. *Eadem microscopio visa.*
4. *Vermiculi ex modo memoratis ovis excluſi.*
5. *Horum unus cum exuviis adhuc adhærentibus, lentis ope magnitudine auctus.*
6. *Idem depoſitis jam exuviis.*
7. *Coccum cum calyce.*
8. *Idem magnitudine auctum.*
9. *Coccum a calyce liberatum.*
10. *Idem magnitudine auctum.*
11. *Vermis ſecundi ordinis ex Cocco excluſus.*
12. *Idem magnitudine auctus.*
13. *Idem ſupinus.*
14. *Idem prouti contractus apparet, a tergo conſpicuus, naturali dimenſione.*
15. *Idem magnitudine auctus.*
16. *Exuviæ Cocci poſt vermem excluſum.*
17. *Vermis lanugine tectus candidiſſima.*
18. *Idem magnitudine auctus.*
19. *Idem lanugine magis efflorescente & diffuſa, cum ovis, qualia fig. 3. exhibet, apparentibus, pariter magnitudine auctus.*

a. Muſca exigua, quæ ſubinde inter Cocca & circa Polygonum Cocciferum reperitur, naturali paulo major.

b. Eadem microſcopio, quo ceteræ figuræ, viſa. Hæc ſuam a Cocco non ducit originem, ut multi putarunt, ſed ab alio verme & quidem, ut ego opinor, a

c. expreſſis vermiculis.

d. Ho-

Fig. i.
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
a
b
c
d
B
C

d. Horum unus, lentis ope auctus opticæ.

Tres figuræ ſequentes deſumtæ ſunt ex Melchioris de Ruuſcher Tractatulo de Cochenilla ſupra citato, ad demonſtrandum, quam proxime accedat dicta Cochenilla, ſive Coccum Americanum ad Coccum noſtrum radicum.

A. Cochenilla aceto macerata, nudo oculo viſa, ſupina. Conferatur cum meis fig. 11. *&* 14.

B. Eadem microſcopio viſa, ubi quinq; crurum reliquiæ cum ſexto adhuc integro ſpectantur, conferenda cum fig. 13.

C. Eadem a tergo, pariter lentis ope viſa, conferenda cum fig. 12. *&* 15.

Ego quoque in macerata Cochenilla, ſive Cocco Americano, omnia ita inveni, ut figuræ jam memoratæ indicant, excepto crure, quod integrum necdum mihi deprehendere, uti Dno. de Ruuſcher, contigit; nec mirum, cum crura partim exſiccatione partim detritione facile pereant: Quemadmodum etiam in vermibus ex Cocco radicum noſtro, exſiccatis & poſtmodum maceratis, cruribus ne vix quidem conſpicuis, obſervatur. Præterea & pili in vermibus ex Cocco radicum modo dicto maceratis non apparent; unde haud inepte colligi poteſt, eosdem etiam in Cocci Americani vermibus viventibus reperiri, exſiccatione vero evaneſcere.

Denique & hoc notatu digniſſimum eſt, Cochenillam illam Americanam maceratã, repletam eſſe magna ovorum, ovis illis Cocci radicum *fig.* 2. *&* 3. depictis, magnitudine & figura ſimillimorum copia: prouti microſcopium ad oculum demonſtrat.

Hæc omnia ſi probe mecum perpendo, vix me continere poſſum, quin credam, Coccum noſtrum idem eſſe cum Americano Inſectum, patria tantummodo & nutrimento diverſum, vel ad minimum parum inter ſe differre.

* * *

In hac elegantiſſima Diſſertatione Breyniana, *M. Majo A.* 1731. *Gedani jam edita, tametſi vix quicquam deſiderari aut corrigi poſſe videatur, ipſe tamen* Autor acutiſſimus, *nonnulla nuper animadvertit emendanda; quæ cum noluerit celare Curioſos Lectores, oportune nos heic adjicimus.*

VALLISNERII mei, viri ſane immortalis memoriæ, effatum: *La verità pare, per un certo deſtino, voler ſempre laſciarſi vedere a poco a poco, quaſi anch' eſſa ſuiluppandoſi da tanti veli, che la tengano con geloſia ricoperta* (*) non minus verum eſſe quam elegans, et quam facile in generationis Inſectorum obſeruatione et inquiſitione, minutorum præſertim, falli poſſimus et fallere, non alii tantum, ſed ipſe quoque non ita pridem adhuc expertus ſum. In emiſſa enim nuperrime *Cocci radicum naturali hiſtoria mea*, poſt ſæpius repetitas obſervationes et experimenta (*pag. inprimis* 16. *&* 17.) generationem et metamorphoſin inſecti illius, quod ſub grani ſphærici ſpecie polygoni ſummis radicibus adhærere ſolet, & *Coccum Polonicum* vulgo ſalutatur, deſcribens: poſtquam parvas illas muſcas, quæ ſæpe inter cocca inveniuntur, (*Fig. a. & b. expreſſas, ac p.* 17. *&* 18. *deſcriptas*) proprie non ad cocca pertinere; ſed potius vermiculis ſui generis (*Fig.* c. d. *delineatis*) ortum debere, & caſu una cum coccis reperiri conjectatus, nullamque inter vermes coccorum expertus ſexus differentiam, CESTONI præprimis de Cocco ex Ilice ſecutus ſententiam (repugnante quamvis, quod candide fateor, & fluctuante animo) coccum quoque noſtrum inſectum androgynum, quod ova in & a ſe ipſo, ſine maris adminiculo fœcundata parit, & genus ſuum propagat, ſtatuere auſus ſum.

In hac vero ſententia me erraſſe, ſubſequente æſtate edoctus, hacque labente non ſine gaudio confirmatus ſum. Ut enim veritatis eatenus ignotæ detectio animo veritatis cupido non levem excitat voluptatem, ita eandem cum erroris, in quo hactenus verſatus fuit, agnitione & abolitione conjunctam, neceſſario longe maiorem creare debere, nullus negabit opinor. Poſt

(*) In præfatione *dell' Iſtoria della grana del* Kermes, *communicata dal Sigre*, GIACINTO CESTONI.

Poſt repetitas enim ſumma ἀκρίβεια obſervationes, et rigoroſius inſtitutum examen, tandem deprehendi, ex coccis minoribus, quae ſcilicet feminis papaveris, vel milii magnitudinem vix excedunt, exeunte *Junio* menſe prodire vermes, illis *Fig.* 11. & 14. expreſſis quoad omnia ſimiles, magnitudine excepta, qua pediculos vulgares vix ſuperant. Hi circa initium menſis *Julii* ſubſequentis, quieti, nunc lanugine candida, ſed leviſſime tecti, nunc vero ſine omni lanugine, ſubtiliſſimis exuviis depoſitis, abeunt in *Nymphas purpureas*, motus, ut videtur, expertes, ejusdem fere cum vermibus, ex quibus fiunt, magnitudinis, ſed pauxillum tenuiores. Nymphae hae capitis antennis, thoracis alis & cruribus muniti, ventrisque multis circulis diſtincti, oculo inprimis lente optica armato, veſtigia haud obſcura oſtendunt, & immotæ ad medium circiter *Julii* uſque permanent; ubi depoſitis iterum ſubtilibus exuviis perfectæ evadunt *muſcæ*, *Fig. a.* & *b.* a me depictæ. Et hæ ipſæ muſcæ ſunt mares coccorum, qui ſaltantes, aere inprimis calidiore exiſtente, circa meridiem ſalaces, hilaresque adſcendunt vermes femellas *Fig.* 11. podicibus ſuis femellarum podices tangunt, atque adeo procul omni dubio earum ova, quæ continent, fœcundant; quibus peractis, muſcæ moriuntur. Vermes vero femellæ, quæ ex coccis majoribus, piperis albi circiter magnitudine (*Fig.* 9) circa medium *Julii* prodeunt, hac ratione imprægnatæ, poſt paucos dies ſe dant quieti, ex copioſa lanugine tecti (*Fig.* 17. 18.) brevi poſt ſenſim ova (*Fig.* 2. 3.) in acervum interne in lanugine latentem, collecta (*Fig.* 19.) emittunt.

Et hoc quidem ſe ita, ut modo dixi, habere, ex pluribus obſervationibus circa cocca, tam ſingularia quam plura conjunctim in vitris aſſervata, didici; ubi annotavi, vermes femellas, quibus nullæ muſcæ fuere additæ, vel vixiſſe & prorupiſſe, languentes, quamvis ad finem usque *Auguſti* menſis, tumque levi ſitu quaſi obductas exſpiraſſe tandem; vel ſi

una alterave maturius lanugine copioſiori tegebatur, eam ova tamen nulla, non magis, quam jam jam dictæ, peperiſſe. Aliæ vero, quæ cum muſcis per diem unum vel alterum in conſortio vixerant, cito lana tectæ, oua, ut ſupra docui, ediderunt admodum copioſa.

Præterea hoc quoque minime prætereundum videtur, inſectum hoc, quacunque ſub forma ſe ſiſtat, grani ſcilicet, vel vermis maris, vel nymphæ, vel muſcæ, vel vermis femellæ, vel ovi, vel vermiculi ex ovo prodeuntis, compreſſum & contritum purpuream conſtanter fundere ſaniem; quæ vero copioſiſſima obſervatur in coccis et vermibus, præſertim femellis.

Ordo itaque transmutationis, vel ut rectius dicam, evolutionis, ut hactenus dicta in compendium colligam, cocci noſtri ſequens eſt, & quidem

A. Maris.

I. Ovum,

B. Feminæ.

I. Ovum.

Ova pariuntur circa finem Julii & initium Auguſti.

II. Vermiculus hexapus, non alatus.

II. Vermiculus hexapus, non alatus.

Vermiculi ex ovis excluduntur, circa medium Auguſti, ad uſque initium Septembris.

III. Granum ſphæricum, minus; coccum ſcilicet, ſtricte ita dictum, magnitudine ſeminis papaveris circiter, ad uſque milii, collectum a 9 Junii ad ſolſtitium uſque æſtivum, cum aliis coccis majoribus.

III. Granum ſphæricum, majus; ſive coccum magnitudine ſeminis viciæ ad uſque piperis albi, quod colligitur, a medio Junii ad medium Julii circiter.

IV. Vermis hexapus, non alatus, minor. Prodit ex cocco ſupra memorato a ſolſtitio æſti-

IV. Vermis hexapus, non alatus, major; Femina ſcilicet prodiens ineunte Julio & præſer-

æſtivo ad medium Julii uſque.

V. Nympha
quæ apparet circa Julii initium & diebus ſequentibus.

VI. Muſca, mas,
Prodiens a medio Julii ad uſque 24. ejuſdem, qui vermem ſeminam N. IV. notatam fœcundat.

ſertim circa medium ejusdem menſis; quæ a muſca mare N. VI. fœcundata, ova N. I. parit.

Hæc, pro hoc tempore, ad meæ *Cocci* Hiſtoriolae correctionem & emendationem ſufficiant, donec in parte ejus altera, quæ *de ejus examine Chemico & uſu tam tinctorio, quam medico* aget, hæc fuſius explicata & figuris illuſtrata compareant. Liceat vero interim hac occaſione ſequens naturæ Myſtis, nec injucundum, nec inutile, difficile quamvis ſolutu, proponere

Problema Phyſicum.

An indubitate demonſtrari poſſit, in rerum natura, genus aliquod animalium vere androgynum, *i. e. quod ſine adminiculo maris ſui generis, ova in & a ſe ipſo fœcundata parere, adeoque ſolum ex & a ſe ipſo genus ſuum propagare poſſit?*

Ejusmodi genus animalium dari non poſſe, a priori, neque ex principio contradictionis, neque ſufficientis rationis demonſtrari poſſe puto. Immo e contrario multum probabile videtur ex eo, quod natura in animalium generatione non ſemper ſibi ſimilis ſit, nec eadem ubique procedat via; & præterea inter vegetabilia, poſtquam jam paucis abhinc annis, partes eorum generationi inſervientes, maſculinæ æque ac femininæ detectæ ſunt, obſervetur, quædam

ſexu

ſexu plane diſtinctas eſſe; quædam vero partes maſculinas a femininis in eodem individuo, loco tantum a ſe invicem diſtinctas, habere; longe pluritna vero (contrario modo, ac in animali, ut vocant, regno, fieri ſolet) eſſe androgyna, i. e. quæ in eodem flore partes generationi inſervientes, maſculinas & femininas una poſſident.

Interim tamen genus animalium ejusmodi androgynum, licet a multis iisque primi ordinis naturæ conſultis ſtatuatur, a nemine tamen, quod equidem ſciam, ita demonſtratum fuit, ut non multa, eaque haud levia, ei poſſint objici dubia.

* * *

Primum hactenus locum, in Appendice hujus Actorum noſtrorum Voluminis, merito ſuo dedimus Celeberrimi D. BREYNII noſtri eruditiſſimæ de Cocco radicum exercitationi. *Quoniam vero is aliquoties citavit* Illuſtriſſimi COMITIS MARSILLII annotationes de Granis Kermes, *tum &* D. NISSOLII *luculentam* de iisdem Diſſertationem, *illas quidem, una cum Obſervat. circa naturalem hiſtoriam maris, idiomate Italico Venetiis A.* 1711. *editas, hanc Gallico, Academ Reg. Scient. Pariſ. Commentariis A.* 1714. *inſertam; in Latinum transferri, atque hic ſubjungi curavimus; ut habeant* curioſi Lectores, *quod ad hujus etiam* Cocci tinctorii *pleniorem notiam conducere queat. Eundem porro ad finem converti voluimus, quæ* D. GARIDELLVS, *in ſua Gallo-Provinciæ Plantarum hiſtoria*, de Ilice coccifera *commentatus eſt; denique &* D. GODOFREDI *junioris*, de Gummi Lacca, & aliis purpureum colorem fundentibus rebus, obſervationes, *è laudatis itidem Pariſ. Acad. Reg. Comment. excerptas.*

ALOYSII

ALOYSII FERDINANDI
COMITIS MARSILLI

ANNOTATIONES
DE

GRANIS TINCTORVM
quæ KERMES vocant,
IN EPISTOLA
AD

D. ANTONIVM MARIAM VALLISNERIVM
PROF. PVBL. PATAVINVM,
PROPOSITAE.

Jes. c. I. v. 18.

Si fuerint peccata vestra, ut COCCINVM, *quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra, quasi* VERMICVLVS, *velut lana alba erunt.*

Vir Illustrissime,
Domine plurimum Colende,

MUltæ quidem eædemque variæ, in frequentibus meis peregrinationibus mihi se obtulerunt occasiones, diversas, TE auctore & suasore, *de Insectis* colligendi Observationes: Verum enim vero assiduæ meæ, cum itineris incommodis & defatigationibus conjunctæ occupationes in causa fuerunt, quo minus mei erga Te officii satisfacerem rationibus, deque iis in tempore, uti debuissem, ad Te referrem; Quamquam nonnullæ illarum jamjam ita a me extent in varios Tractatus dispositæ, ut, prouti ipse non ignorabis, quam proxime prelo possint subjici. Quum igitur in hoc brevi, per quod in patria commorari licuit, temporis spatio, ultimæ tantum ad manus mihi sint *observationes, quas in maritimis Gallo-Provinciæ, haud longe a Massilia dissitis oris, super* GRANIS, KERMES *dictis, institui*, quæ certo cuidam *insecto* (quod *Tibi* in præsentiarum, *Vir Illustr.* & quidem majori fortasse quam hucusque ab aliis factum est, accuratione, describendum mihi sumsi) tam nidi, quam alimenti usum præbent; nullus dubito, quin Tua scientia & eruditio in hac Historiæ Naturalis parte, illas observationes & melius applicare & in majorem utilitatem convertere queat, quam ego de viribus meis mihi ipse neutiquam promittere possem. Cæterum mea in istam rem impensa opera & attentio, instar luculentissimi Publico poterit esse testimonii, illius, qua me honorare dignatus es amicitiæ, quam semper tanto cum fructu conservare nitar, quantus a Viri inter præcipuos sæculi nostri litteratos omnesque apud doctas nationes eruditionis laude adeo conspicui, benevolo sinceroque animo expectari debet.

Ea, quam GRANA, Arabibus Auctoribus KERMES, Græcis *Coccus Baphicæ*, & Medicis Latinis eorumque officinis

nis *Grana Tinctorum* nominari consueta, in usu Medico pariter atque arte tinctoria, sibi passim acquisiverunt, fama, me invitavit, ut commoditatem, quam ex amœno meo secessu, *terræ di Cassis prædio*, tribus milliaribus a *Massilia* distante, percipiebam, non negligerem, quum in parte territorii inter illud & *Masiliam* interjecti, ingens fruticetorum occurrat numerus, in quibus *Ilicis* illius, quæ Auctoribus *Ilex aculeata Cocciglandifera*, vel *Ilex coccigera* dicitur, magna copia existit. Quæ arbusculæ in omnibus tractibus meridionalibus regionum *Provinciæ & Occitaniæ*, nec non *Lusitaniæ* & *Hispaniæ*, (ut quædam Italiæ loca in Thuscia & vicinia Territorii Romani, ubi dictæ plantæ rarius occurrunt, nec ordinarie *Kermes* producunt, nunc taceam) admodum frequentes sunt, ibique feliciter *Grana Kermes* proferunt, quibus collectis homines inferioris fortunæ liberum atque haud exiguum quæstum faciunt, mercatoribus eadem ad usus jam memoratos divendendo.

Hæ arbusculæ, quæ Provinciæ & Occitaniæ incolis *Languiscola* audiunt, nascuntur in solo steriliſſimo, coloris ut plurimum rubicundi, sabulo intermixto; Quorum fruticum altitudinem, nunquam duos cubitos excedentem observavi. *Radix* eorum est longa & quasi semper directa; è qua surgit *truncus* tortuosus, non facile, quantum ego vidi, crassitudine digitum superans, *rami* quoque ipsi tortuosi, in gyrum circum eundem truncum acti, parvis *foliis, aculeis* quodammodo circumdatis, vestiuntur, eodemque ipso anni tempore, quo reliquæ quercus *glandes* suas formant & maturant, *Coccigera* quoque hæc *quercus*, (quæ species illarum est) fructus suos ad maturitatem perducit.

Quod autem ad *generationem grani*, *aut* KERMES, supra hanc plantam, attinet, (cujus primus & accuratior explicator, testimonio quorundam, DN. FAGON, Medicus Regis Christianissimi primarius & dignissimus, extitit), ea huncce

in modum procedit. Circa primos Aprilis menſis dies, in plagis impetui ventorum, qui in hiſce provinciis plerumque flare ſolent, minus expoſitis, conſpiciuntur *grana minutiſſima* propullantia, fruticum iſtorum ramis, præcipue in eo angulo affixa, quem vel inferior folii pars cum ramo, vel ramuſculus tenuior cum craſſiori efficit; unde perraro, quædam illorum ſupra folia aut ſupra ramos ipſos reperiuntur.

Hæc *Grana*, initio exigua, ad *inſtar granorum milii, colorem* præ ſe ferunt *viridantem*, quem poſtea magis adulta, *cum rutilo commutant*; & quum primo teneræ ſint conſiſtentiæ, ſubſtantia quadam fluida repletæ, temporis progreſſu, nempe circa menſem Majum, duritiem quandam aſſumendo, *colorem rubrum ſubobſcurum in alium ex ruffo-cinereum convertunt*; quin etiam in quolibet *grano* tunc melius ſe diſtinguit pellicula alba & denſa, ſubſtantiam mucori vini ſimilem quodammodo referens, quæ ligno plantæ & inferiori grani baſi interjacet. Quamdiu ſubſtantia mollis eſt, ovula inſecti nullam habent conſiſtentiam, nec ſufficientem ad fœtus formationem maturitatem (ſiquidem ex ejusmodi granis intra vitrum reconditis atque aſſervatis, nullum unquam prognatum repertum eſt inſectum) ſed quum majorem nacta ſunt conſiſtentiam, aliumque induerunt colorem, tunc Microſcopii beneficio, ovorum quæ inſecta pariunt figura ſe melius exſerit, & tunc quoque commodum tempus eſt, illa in Medicorum Tinctorumque colligendi uſum.

Quodſi hæc *grana* in ramis ſuis relinquuntur, aut vaſis includuntur, intra ſpatium aliquot dierum certæ *muſcæ* (ſi ita nominare fas eſt) in magno numero egredientes conſpiciuntur, coloris cinerei grana ab omni ſucco evacuata relinquentes, non niſi pellicula reſtante ſola, omni virtute ad uſus laudatos inſerviente deſtituta.

Ut igitur grana ſuo tempore colſecta, ad uſum deſtinatum, inprimis artis tinctoriæ, (quia pro Medicorum intentione

tione ſtatim applicantur ad formandas exinde confectiones) rite conſerventur, aceto illa conſpergunt, perque tres dies ſolis calori exponunt, quo fit, ut inſecta, quæ intus latent, moriantur, & eorum ſubſtantia, quæ tantum virtutem granorum præſtat, hoc modo integra remaneat.

Non multum hic diſputabo, *utrum hoc Granum ſit Galla quædam* dicendum proprie? mihi tamen MALPIGHII noſtri ſententiæ innixo, liberum erit illud hoc nomine inſignire, quandoquidem ille *in Anatomiæ Plant. parte altera, tit. de Gallis*, ita ſcribit: *Licet antiquum Gallæ nomen pilulis quibusdam, in glandiferis præcipue arboribus enatis, proprie competat, attamen attenta generationis ipſarum methodo, & perenni animalium in illis nutritione, licebit Gallæ hoc nomine abuſive uti in reliquis morboſis ſubcreſcentibus tumoribus* &c. Hoc *Granum* igitur aut *Galla* eſt figuræ rotundæ, magnitudine circiter piſum æquans, & prouti in experimentis chimicis patebit, *cum Vitriolo mixtum, atramento conficiendo non minus, quam Galla quercina inſervit.* Et ſicuti Gallæ vulgares aliæque originem ſuam punctioni cuidam a certa inſecti ſpecie parti cuidam ſtirpis inflictæ debent, ita quoque ceu idem MALPIGHIVS l. c. accurate obſervavit, *Grana Kermes* ſuam derivant ab inſecto peculiari, cujus figura, libero & armato oculo conſiderata, infra à nobis repræſentabitur.

Hoc animalculum invenit, quaſi per inſtinctum naturalem, in cortice, vel rarius in folio iſtius *Ilicis* nidum & fomentum pro ſuis ovis, quæ probabiliter ante Autumnum ibi deponit, *forte per aculeum, in infimo ventre ſitum, faciens aperturam;* quæ *ovula* nobis per totam hyemem inviſibilia permanent; ſed vere ingruente, ſimulatque ſuccus plantæ intra illam copioſius exſurgit, ſeque movere incipit, tam ova inter ſe invicem, quam fœtus illis incluſi adeo vegetum accipiunt fermentum tamque copioſam materiam alimenti, ut

amplius dilatentur, eamq; majorem in formam sese extendant, quæ in *figuris* proponetur. Ejusmodi consuetudinem, cum aculeo nimirum perforandi, multorum insectorum, quæ Natura spiculo armavit, deprehendi in *Locustis* in Hungaria, anno 1691. ubi primis Octobr. diebus, post pluvias diuturnas, per quas omnes viæ supra *Lippam* redditæ erant limosæ, observatæ sunt hæ locustæ innumerabiles mortuæ, aculeis luto obvolutis, quod perforaverant, inque foramina ista depositerant ovula, quæ ibi sopita expectabant beneficium veris ineuntis, & nisi hyems cum ventis, illorum conservationi valde contrariis illis offeciisset, locustæ novæ maximo cum damno camporum exclusæ fuissent, eundem in modum, quo eas turmatim in Wallachia grassantes conspexi anno 1689.

Si quis in provinciis supra nominatis, tanquam patriis *Granorum Kermes*, per aliquot annos continuos hybernorum temporum conditionem observaret, atque ventorum inprimis, tum & aliarum sensibilium cœli aërisque mutationum in illis diversarum rationem haberet, facile perspicere posset, quænam illæ sint, quæ *fœcunditati horum insectorum* adversantur, aut contra favent abundantiæ *Granorum Kermes*, quæ anno 1710. seorsim fuit maxima, quum tribus prægressis admodum exiguus eorundem fuisset proventus. Instituto nostro haud inconveniens fore existimavi, *duabus in Tabulis*, ad calcem harum Annotationum positis, diversas *Granorum Kermes* figuras repræsentare, eo quidem in ordine ac situ, quo ramis ilicis adhærent, naturali forma & magnitudine, ut & ova & muscam, quæ ex his egreditur; eademque singula, quemadmodum microscopii ope aucta & amplificata luculentius comparent, nec minus *structuram internam*, & *mutationes insectorum illorum*, ut omnia clare oculis perlustrari queant.

Sæpe-

Sæpenumero in *ulmis* arboribus Italiæ deprehendimus quosdam *tumores*, quorum ſtructuram *Malpighius* noſter l. c. exploravit, qui in ſe continent humorem valde glutinoſum cum *magno ovorum numero*, unde poſtea naſcuntur *inſecta*; Illi tumores inæqualis magnitudinis, nonnunquam pugno paulo minores, colorem e viridi & rubro mixtum referunt, qui temporis ſucceſſu, niſi mea me fallit memoria, magis obſcurus redditur. Humor iſte glutinoſus, uti in juventute mea per experientiam doctus ſum, utiliter ad ſanandas plagas & leviora vulnera adhibetur. Poſſet autem non inutiliter obſervari proximo vere congruentia ejusmodi tumorum ulmi cum formatione *Kermes*, ut ſemper novis obſervationibus magis confirmetur, quomodo natura in diverſis plantarum generibus cum multis *inſectis* æqualiter operetur. Silentio hic præterire non poſſum (ne longius a *Granorum Kermes* conſideratione digrediar) quomodo in *Ilice coccigera* præterea generetur *alia adhuc grani ſpecies*, paulo grandior, figuræ propemodum ovalis, & coloris cinerei; quæ cortice demto apparet plena ſubſtantiæ albicantis, ſtriatæ amianti adinſtar; cujusmodi *Grana* repræſentant *Tabulæ meæ primæ* fig. 7. 8. ſed nullum uſum medicum, neque tinctorium præbent; non minus tamen fœcunda ſunt inſectorum, quantum ego quidem hucusque obſervare potui.

Cæterum, tametſi præclara illa exiſtimatio, in quam *Grana Kermes* inde à longo tempore, propter uſum in Medicina celebratum venerunt, vulgo ſufficere videatur, ad perſuadendum hominibus de natura & proprietatibus ipſorum, ego tamen in hoc nolui acquieſcere, quin potius inſtituere volui artificioſas diſſolutiones per ignem, & liquorum diverſorum, acidorum & alcalicorum commiſtiones cum granis illis, aut per ignem extractis ſeparatisque partibus.

Subſtantia igitur cortici *Kermes* incluſa, quæ, uti ſupra explicavimus, eſt coacervatio ovorum involutorum, liquore

rufo

rufo aut lateritio, refertorum, non opportunius colligi potest ad usus desideratos, præsertim medicos (ad quos ego hic unice respicio, reliquos nempe tinctorios omittens) quam eo tempore, quo ova jam sunt perfecta & succo illo maturo & rubente repleta, cum fœtu intus formato, id quod exinde conjicitur, quando granum incipit nanciscì consistentiam, a me antea notatam, qualis etiam collectoribus inservit pro signo perfectionis & desideratæ maturitatis, dum postea muscæ, intra 15. aut 22. dies inde prodire solent.

Materiæ illius interioris *sapor* est *amarus* & *adstringens*, adeo per omnia similis sapori corticis.

Brevitas temporis elapsi mensis Maji eripuit mihi commoditatem instituendi chimicam analysin hujus corticis & ligni plantæ, ut & radicis à trunco separatæ, quo minus illas partes cum cortice Grani comparare potuerim; Quamvis etiam multiplicia experimenta doctissimi Domini *Hombergii*, Academiæ Regiæ Scientiarum Parisiensis Socii, me jam induxerant, ut facilem opinionem, quam primo de hujusmodi per ignem dissolutionibus tenebam, missam facerem; quum mihi in ædibus suis monstrasset, quomodo e. g. partes a Crambe vulgari, tum & Solano, Botanicis furioso dicto, (quia planta venenata est) vi ignis separatæ, diversis animalibus ingestæ, neutiquam eundem effectum differentem ac specificum ediderint, quem integræ illæ herbæ, in sua naturali compositione producunt. Sed hæc jam prætermittens, ea duntaxat *tentamina*, *quæ cum granis Kermes ipsemet institui*, exponam sequenti ordine.

Experimenta cum Granis tinctorum, Kermes dictis, instituta:

I) *Admistio illorum cum Vitriolo.*

Substantia granorum cum Vitriolo, ea proportione mixta, quæ in gallis ad atramentum conficiendum adhibetur, *nigrum* profert *colorem;* quo atramento tunc statim multas voces scripsi. II) *Ad-*

II) *Admiſtio Alcali cum ſubſtantia granorum.*

Cum *oleo tartari* p. d. mutat *colorem* lateritium in pulcherrimum *coccineum*; qui quoad excellentiam colori *Cocciniliæ* parum cedit.

Cum *aqua calcis vivæ* idem color ac cum oleo Tartari obtineri poteſt.

Cum *Spiritu Salis Armoniaci*, mutatur in colorem rubrum perpulcrum, non adeo tamen præſtantem ac in duobus prioribus Alcalicis liquoribus.

III) *Admiſtio Acidi cum Subſtantia grani.*

Cum *Spiritu Vitrioli* ac *Sulphuris* commixta, colorem lateritium nequaquam mutat, nec ullam fermentationem concipit.

Cum *ſpiritu nitri* illum mutat in *colorem ſubflavum*, absque omni fermentatione.

In *ſpiritu aceti color* illius naturalis fit *paulo obſcurior*, & non multo poſt fit *præcipitatio.*

IV) *Permiſtio cum Decoctis quibusdam.*

In decocto *florum Maluæ*, ut & infuſo *Tornaſolis*, nullam Grana Kermes faciunt mutationem, neque Chartæ cœruleæ aſperſa eorundem ſolutio, colorem ejus quicquam mutat.

V) *Experimenta per ignem facta.*

Duæ Libræ ſubſtantiæ *Granorum* puræ, dempto cortice, in aqua pluviali diſſolutæ, igni blando fuerunt appoſitæ, ut neceſſariam acquirerent ſpiſſitudinem, periculi faciundi gratia, an forte ſal ſolidum eſſentiale hinc obtineri poſſet? Veruntamen ſucceſſu caruit hoc experimentum, quamvis omnis opera diligentiaque fuerit adhibita.

Duæ igitur aliæ libræ *Granorum* integrorum ac recentium, in laboratorio chimico Dn. *Bom* (qui patri ſuo in dignitate Præſidis primarii ſucceſſit) immiſimus in Retortam, chimico luto bene oblitam, ipſique applicavimus recipiens vas in quod omnem ſubſtantiam per ignem reſoluta colligeretur.

Gradibus ignis, ſecundum artem decenter obſervatis, intra quatuor horas aut paulo amplius deſtillatio ad finem fuit perducta, quæ initio exhibuit liquidum quoddam aquoſum, quod deinceps inſpiſſatum, colorem ſanguineum referebat; quumque particulæ oleoſæ inciperent aſcendere, totum vitrum replebatur nubeculis, à ſpiritu quodam ſalis volatilis ortum ducentibus, qui poſtea refrigerato vaſe, conſpiciebatur totus coagulatus ad parietes ipſius Recipientis.

Caput mortuum in Retorta reſiduum, trium unciarum pondus habebat; reliqua materia omnis (exigua quantitate, quæ in operatione per ignem periit, detracta) conſiſtebat in ſubſtantia fluida aquoſa, oleoſa & ſale uolatili colliquato perfuſa. Liquor hic omni ſale volatili, quod parietibus vitri adhæſerat, abſorpto, ſpargebat odorem valde urinoſum, non tamen adeo fortem, qualis in cornu cervi ſpiritu obſervatur. Illius maſſa, per chartam filtrata, ſeparatas exhibuit tres uncias olei fuſci.

Liquor clarus & à parte oleoſa purgatus, cucurbitæ impoſitus, reddidit per alembicum decem uncias ſpiritus ſalis volatilis pleni, odoris urinoſi, penetrantis & adeo fortis ut quaſi ex mero ſale volatili conſtare videretur. Continuata ſublimatione alius prodiit ſpiritus, ſed priori debilior.

Admiſcui illum ſpiritum, ſale volatili abundantem, *decocto florum Maluæ rubræ*, & induit colorem *Chryſolitho-viridem*, qualis etiam evenit cum aqua marina, in experimentis a me factis circa naturam ipſius; qualis mutatio alias fit à materia perfecte alcalica.

Caput mortuum primo *calcinatum*, poſtea *elixiviatum*, humore ad ſiccitatem usque evaporato, exhibuit drachmam dimidiam tantum ſalis fixi.

Horum igitur experimentorum, per varias commiſtiones liquorum, alcalici & acidi, cum ſubſtantia granorum, indeque per ignem ſeparatorum, beneficio animadvertimus,

illam

illam esse refertissimam sale volatili, quod cum isto liquore affluit, qui ovulis pro fermento, insectis inde natis pro nutrimento inservit, nihilque aliud esse, quam *Alcali suave*, *analogum naturæ salis marini*, uti decoctio FL. Malvæ indicavit. Ejusmodi natura (quæ a me fuisset accuratius examinata, nisi tunc instar simplicis peregrinantis parum ad id præparatus & instructus, in Monte Pessulano commoratus essem) nobis ostendere videtur, quod melius esset futurum, si sal istud volatile, aut in formam solidam redactum, aut fluidum in spiritu, loco Confectionis adhiberetur, ad usum medicum; Cum enim ista *succi Kermes* substantia, æquali Sacchari pondere permista, aliquid temporis exigat, usque dum in stomacho ægroti debilissimo resolvatur, partesque volatiles hinc expeditæ, in sanguinem penetrare queant: hoc ipsum statim fieret ope laudati *spiritus*, ægrotanti cum aquis cordialibus propinati.

E quibus omnibus patet, facile posse colligi, abundantiam *salis volatilis*, ab hisce insectis intra grana conclusis submini stratam, cum alimento amaro, & quodammodo adstringente plantæ permistam, in compositione totius grani formare *singulare balsamicum quoddam* (uti medicus usus nobis comprobat) multo Alcali instructum, & *valde idoneum ad conservandam dispositionem naturalem humorum vitalium in corpore nostro*, qui in febribus seorsim malignis notabiliter corrumpuntur.

Veteres Medici, qui aliquam proprietatis *Granorum Kermes* habebant notitiam, secundum consuetudinem illorum temporum, non sine pompa multorum ingredientium, tametsi ad desideratum medicamenti effectum minus facientium, satagebant formare *Electuarium compositum*, è substantia *Kermes* & lapillorum pretiosorum, aliarumque rerum, non tam superfluarum, quam potius, ad supprimendam naturam volatili-alcalicam *Kermes* aptarum (e. g.

Lapidis Lazuli, in cujus apparentibus auri venis, nihil eſt quam materia Sulphuris & Vitrioli, ultra alterum tantum in colore ejus coeruleo comprehenſa; unde multum acidi, naturæ granorum alcalicæ contrarii, & in morbis acutis aliisque damnoſi continet). Quamobrem ejusmodi *multiplicitas ingredientium in Electuario*, cujus baſis præcipua eſſe debebat *ſubſtantia Kermes*, illam convertit in rem plane aliam, intentioni minus conformem. Et proinde dubito, an promiſſis & expectationi reſpondere queat iſta *Confectio Alkermes*, cujus, licet a multis diverſo modo conficiatur, communior tamen præparatio eſt ſequens:

℞. *Folliculorum Serici, e quibus manu extracti, non enati ſint bombyces, minutim inciſorum* ℔j. *macerentur per horas XXIV. in aquæ buglоſſæ deſtillatæ, & ſucci depurati pomorum Appianorum* ℔jß. *pro ſingulis, in quibus ſint infuſæ, & parum etiam conferbuerint* ʒiv. Granorum Kermes, *nondum exanimatorum, ſed contuſorum; ferveant deinde omnia ſimul lento igne, neque prius extrahatur Sericum, quam probe ſit intinctum, exprime porro diligenter, mox infunde Sacchari albiſſimi* ℔jß. & ʒvj. *ad mellis conſiſtentiam decoque, amove ab igne, atque adde Ambræ gryſeæ ſinceræ, minutim inciſæ* ʒij, *qua liquata injice hos pulveres, videlicet:*

Ligni Aloës,	*Lapid. ppt. Lazuli*
Cinnamomi ää ʒvj	*Margarit. Orient.* ää ʒij
Moſchi orient. ʒj	*Fol. Auri puriſſ.* ʒj.

M. & ut artis eſt F. Confectio.

Quum igitur noſtris temporibus multo felicius, quam olim factum eſt, natura earum rerum, quæ ad *Confectionem Alkermes* adhibentur, ſit detecta, non ſine ratione concludendum erit, partem illarum alteram eſſe ſuperfluam, alteram virtutes nativas *Kermes* meliores ſupprimere, atque ita conſequenter compoſitionem tam multorum ingredientium

tium non prodeſſe, niſi ad formandam *confectionem heterogeneam*, ex qua ut rite ſeparare Natura queat particulas utiles abſconditas, vires morbo debilitatæ vix permittunt; Verum hæc amplius disquirere jam minus convenit.

Ad *uſus* igitur *Kermes* tantummodo revertens, quæ animum meum ſubiit, communicabo cogitationem; poſſe nimirum fieri, ut & aliæ forſitan plures *Gallæ*, eandem cum *Granis Kermes* exercerent virtutem, ſi non ad tingendum conſimili colore, certe ad medicinæ uſum. Quapropter eundem in modum forſan quoque *tumores Ulmi*, quorum ſupra mentionem feci, prodeſſent, ſi quando tempus quo ova illorum ad maturitatem pervenire ſolent, perinde ut in *Granis Kermes* accidit, obſervaretur. Et profecto deprehendimus inſuper in *roſis ſilveſtribus vulgaribus* certas *Gallas hiſpidas*, Botanicis *Spongiolæ Roſarum* dictas, quæ inſtar aliarum Gallarum intra ſeſe vermiculum continent, ac medicamentum præſentiſſimum contra malum equorum, vulgo *Vermis* dictum, ſuppeditant; quem in uſum in Germania ſingulari, & fere dicerem ſuperſtitioſa, diligentia colliguntur, & per aliquot dies, contritæ prius, avenæ poſtea commiſtæ, equis ægrotis propinantur, tanquam probatum remedium, quod ipſe in proprio meo ſtabulo obſervavi. Jam autem malum iſtud *Vermis*, uti notum eſt, oritur ex humore quodam acido abundante in fluidis equi partibus, ad quem corrigendum opus eſt, ut applicetur Alcali volatile valde activum, cujusmodi illud erit, quod cum inſectis & ſucco illis conjuncto *Gallis roſarum ſilveſtrium* includitur.

Tempus quidem jam foret, ut hisce meis *de Kermes Annotationibus* finem imponerem: attamen ut curioſioribus ſatisfiat, ſicco prorſus pede præterire nolui *duo alia Kermes genera*, ut ita dicam, quæ, ſi forte in praxi medica nondum magnopere celebrantur, attamen commodare poſſunt arti tinctoriæ, reſpectu *coloris illius nobilis*, qui *coccineus* nominatur.

Primum granorum illorum è Peru, Mexico aliisque Americæ regionibus adfertur, & sub nomine *Cocciniglia* venit; quod secundum relationes *Laëtii*, & inter recentiores P. *Plumierii*, qui sæpius in Americam profectus est, *insectum* existit, quoad figuram *cimicibus simile*, quod variis novæ Hispaniæ arboribus insidet, sed ab Americanis colligitur & supra speciem *Ficus Indiciæ, Opuntia major, spinosa, fructu sanguineo* dictæ, transportatur: ubi insectum, succum hujus fructus pro alimento capiens, induit *colorem pulchrum rubicundum*, ob quem suo tempore collectum siccatumque, postea communiter a tinctoribus adhibetur, *ad colorem coccineum, Kermes similem*, producendum.

Dixi, secundum relationes *Laëtii* & *P. Plumierii*; quia in contrarium *Pometius* in Historia simplicium pag. 31. testatur, se, ob relationes, quas in dicta Historia exponit, ipsi a Dn. *Francisco Russeau* communicatas, qui non instar simplicis peregrinantis Americam perlustravit, sed continuo ibi habitet, neutiquam subscribere posse illi sententiæ, quam *P. Plumierius* & alii, hac in re decepti, venditent, quum *Cocciniglia* nihil aliud sit, quam *simplex granum*, (neutiquam insecti naturalis nidus) plantæ cujusdam, quam ipse describit, insuper addens, quod, quicunque armato etiam oculo *Cocciniglia* bene observet, neque pedes, neque alas, neque caput, neque aliam animantis partem detegere possit, sed duntaxat simplicis grani signa.

Ego quoque, ut verum fatear, cum aliis amicis eandem examinavi, non solum oculo nudo, sed etiam optimo Microscopio armato, nec tantum siccatam, uti apud myropolas prostat, sed in aqua tepida prius emollitam, ut ejus partes possent paullo melius sese explicare & aperire; omni tamen hac opera impensa, hucusque obtinere non potui, ut partes alicujus animalis detegerem, sed tantummodo formam rudiorem, qualem vel nudis

dis oculis observare licet. Quod itaque ad me attinet, jam quidem utramque opinionem in medio positam relinquo, & ad alterum Granorum, ad *Kermes* accedentium genus me confero. Hoc a nonnullis appellatur *Cocchinilla silvestris*, sed communius *Coccus radicum*, quia herbarum radicibus adhærens nascitur, *pimpinellæ* nimirum *saxifragæ majoris*, de qua bene annotat *Bauhinus* in Pinace p. 159. Ad hujus radicem *quibusdam in locis grana reperiuntur, quorum medulla in colorem rubeum mutatur, cujus ad tincturam Carmesini usus est* : Attestantibus *Lacuna*, *Anguillara* & aliis; nascitur quoque adhærens *radicibus Polygoni minoris*, quod *Polygoni cocciferi* nomine appellavit *Camerarius* in Epitome *Matthioli* pag. 691. ubi nota, quod a Polonis nominetur *Kosmach Zeb*, quia in arenosis Poloniæ locis reperitur; id quod etiam affirmat idem *Camerarius*, addens, quod ad radices ipsius *Coccum* adnascatur *elegantissimo rubro colore commendatum*, quod idem à *Bauhino* in sua Pinace repetitur. Et hæc quidem in præsenti sufficiant, non solum circa duo diversa granorum genera, sed etiam pro *Annotationibus*, quas de *legitimis granis Kermes* instituí.

Bononiæ a. d. 7. Martii
1711.

* * *

Subjiciendæ nunc essent *duæ figurarum Tabulæ*, ab *Illustriss. Comite* MARSILLIO propositæ: Quoniam vero prima earum, præter *iconem ramuli coccigeræ Ilicis*, parum accurate expressam, nihil consideratione dignum exhibet; Nos sumptui haud necessario parcentes, reliquam *figurarum* seriem *unicæ* includendam curavimus *Tabulæ*; cujus hæc in universum est ratio, ut minoribus literis indicentur res repræsentatæ naturali magnitudine, majoribus vero eædem, quales ampliatæ microscopio conspiciuntur.

Explica-

Explicatio Figurarum.

Litt. a. & A. Fruſtulum ligni Ilicis coccigeræ, cum adhærente Grano Kermes.

b. & B. Granum, quod inverſo ſitu repræſentat pelliculam albam, & foraminoſam, quæ ſubtus illud cingit.

c. & C. Idem granum, pellicula iſta denudatum.

d. & D. Granum verticaliter poſitum, ſucco rubro plenum, & ovulis *, quorum illa, quæ ſunt prope verticem , magis apparent diſtincta cateris ad fundum collocatis.*

e. & E. Granum , intra quod conſpiciuntur folliculi vacui ovorum , *inſectis per foramina manifeſta jam egreſſis.*

f. & F. Ovulum, à Grano ſeparatum.

g. & G. Ovulum , ex quo inſectum prodire cœpit, exerto capite.

h. & H. Inſectum, magna ex parte ovulo excluſum.

i & I. Penitus excluſum inſectum , ventre tamen adhuc cohærens per filamentum (tanquam funiculum umbilicalem) folliculo ovuli.

k. & K. Inſectum omnino perfectum , utraque parte, ſuperiore ac inferiore repræſentatum.

l. & L. Grana Kermes ſpuria, majuſcula quidem, aſt tingendo ſaltem inepta , quorum mentio ſit pag. 39.

DN. NIS-


Append. Actor. A.N.C. Volum. III pag 48
F
G
H
f
g
h
a
A
I
i
b
B
C
c
K
k
K
k
D
d
E
e
L
L

DN. NISSOLII
DISSERTATIO BOTANICA
DE
ORIGINE ET NATURA
KERMES.

QUum in historiæ naturalis investigatione inprimis occupetur *Societas Regia* hujus Provinciæ ; nullum sane argumentum ipsius instituto convenientius eligere potui, quam quod *Kermes* naturam declarat. Verum enim vero, cum jam sæpius ab aliis tractata sit eadem materia, dubitare forsitan poterunt lectores, num aliquid novi afferam, quod à tot tantisque viris, quos & nominis celebritate & eruditionis laude mihi superiores agnosco, nondum sint expositum. Hoc tamen constare puto, me in diversis rerum disquisitionibus, quas suscepi, utique singularia quædam & ab aliis scriptoribus intacta prorsus relicta aperuisse; sicut etiam ex sequenti apparebit tractatione. *Kermes* est parvum putamen, rotundum, membranaceum, læve ac splendens, coloris subruffi, ex albo & cinereo variegati, ordinarie in duas cavitates inæquales divisum, quarum major referta est infinita multitudine ovulorum oblongorum, intense rubrorum & miniatorum ; minor autem turget liquore mucilaginoso, pariter rubro, sanguini humano haud absimili.

Autores, qui hanc in rem commentati sunt, varia tradidere nomina. Arabes vocant *Kermes*, quod ego vocabulum omnibus aliis antefero, utpote jam pridem nobilitatum famigerabilis electuarii, seu *Confectionis Alkermes* appellatione. Quibusdam, mutuato à Græcis nomine, *Coccus baphi-*

baphica, aliis *coccus infectoria*, *coccum squarlatinum*, *granum tinctorium*, vulgo *Graine d'écarlatte* nuncupatur.

Colligitur ordinarie declinante vere, hoc est a fine mensis Maji usque ad festum S. Joannis, quin & interdum copiosa messis per integrum durat Junium, & comprehenditur arbuscula sub specie quercus, a *Casp. Bauhino* nuncupata *ilex aculeata cocci-glandifera*, *à Jo. Bauhino*, fratre, *Ilex coccigera*. Autor historiæ plantarum Lugdunensis, post *Plinium*, vocat *ilicem agrifoliam*, & *Valerius Cordus* in annotationibus super Dioscoridem, *Lobelius* item, in adversariis suis, *Castor Durantes*, denique & *Tabernæmontanus* appellant *coccum infectoriam*. Ast hoc posterius nomen neutiquam ipsi arbori convenit, sed laudato Grano, quod eidem innascitur, *Kermes* scilicet.

Arbuscula illa assurgit in altitudinem duorum pedum, radix est lignosa, & cortice similis cum superjacente terra coloris circumvestita; diversam habet crassitiem, in aliis truncis explet unum & dimidium pollicem, in aliis tres aut quatuor lineas. Instructa est nonnunquam fibris & cruribus, interdum iis plane destituitur. Varios arbuscula in ramos se explicat, quorum cortex pertenuis, ad colorem cinereum accedit. Hi dein abeunt in alios minores ramulos, *foliorum* largo apparatu, inordinate tamen ornatos, quorum margines undulati ac sinuosi & aculeis muniti existunt, ita, ut *agrifolii* formam præbere videantur: Ast parvitate differunt, siquidem octo vel decem lineas secundum longitudinem, & sex vel septem secundum latitudinem vix superant, per petiolum unius lineæ longitudinis adhærent, diluteque viridem gerunt colorem. *Flores* nucamentorum instar prodeunt, quercuum floribus similes, plerumque virides, è multis componuntur flosculis, in summitate laciniatis, in fundo stamina quædam eminent; *fructus* pro modulo arbusculæ glandes majores exhibent, cupula hispida penitus inclusas. Aliam

quoque

quoque speciem tellus nostra alit, quam *Lobelius* in Adversariis suis vocat *Ilicem mediam, coccifera ilici plane supparem, foliis aquifolii*, cujus differentia ante fructificationem non facile apparet: Glandes enim longiores & ampliores profert, luculento sane præ altera discrimine. Nondum observare mihi licuit, utrum *Kermes* in ea pariter nascatur? Sicuti autem spes est fore ut abundantem hoc anno habituri simus granorum messem, ita non omittam, in ista etiam inquirere.

Tot fere discrepantes sententiæ circumferuntur, *de origine Kermes*, quot scriptores de ista re extant. Quidam statuerunt, certam vermium progeniem pungendo hanc arbusculam, in nutritionis suæ commodum vesiculam, sive folliculum conficere, qui pedetentim impleatur liquore, per maturitatem rubro; idemque insectum sese involvere huic putamini. Amplius autem corroborari hanc assertionem autumant, quia *Kermes*, dum exsiccatur, insignem multitudinem vermium & culicum, oculos pene fugientium emittit, ut tota ejus interna substantia in ejusmodi insecta minuta videatur conversa esse, nihilque reliquum sit amplius præter vacuam membranulam; illi vero vermiculi aut culices prodierint ex ovulis, quæ antea in putamen deposita fuere.

Alii, eandem quidem verminosam progeniem agnoscunt, at ipsius originem referunt ad arbores, quibus *Kermes* innascitur. Existimant enim, hasce arbusculas primo vere exstillare guttas quasdam liquoris, qui calore solis condensatus pelliculam efformet, guttulas illas includentem, ita, ut ad certum perfectionis gradum perductus liquor evadat idoneus ad se transformandum in vermiculos, qui dum postea è putamine, intra quod exorti sunt, prodire volunt, eandem humiditatem è poris arbusculæ fugunt & extrahunt, quam natura pro ipsorum sustentatione ministraverat, & hujus humiditatis beneficio illos conservari, instar embryonis

in matrice, usque dum adulti alas consecuti fuerint ad evolandum.

Perhibent denique alii, *Kermes* originem suam ducere *ex seminio vel ovulis*, quæ certa animalcula, arbusculas, in quibus illa Grana reperiuntur, naturali quodam instinctu inhabitantia, ibi deposuerunt.

Ultima hæc sententia, quam *Strobelbergerus*, in tractatu de confectione alkermes attribuit *Brassavolæ*, simulque improbat, mihi maxime verosimilis, & duabus prioribus præferenda videtur, quia melius respondet observationibus circa hanc materiam crebro institutis.

Sub initium mensis Maji in variis locis *Ilicis aculeatæ cocci-glandiferæ*, penes truncum, ramos, & foliorum alas, candida sese offerunt punctula, initio quidem lineam dimidiam in diametro non excedentia, rugosa & villosa, quæ, dum conteruntur, liquorem rubeum fundunt, sanguini simillimum. Hæcce minuta puncta lentum capiunt incrementum, & adolescunt in folliculum albicantem, teneræ lanugini candidæ insidentem, qui ubi justam obtinuit magnitudinem, innumerabili multitudine ovulorum saturate purpureorum scatet, quibus pro involucro pellicula pertenuis & alba inservit. Unum quodq; ovulum continet *animalculum valde rubrum*, sex pedibus, ternis in quovis latere, duobus corniculis, & cauda duplici, falcata, præditum.

Folliculus iste facillime separatur à subsstrata lanugine, ex qua enatus esse videtur, eademque pariter facile sejungi potest a loco arbusculæ, cui adhæserat, ut nulla hinc observetur læsio, aut inæqualitas, ne quidem detracta simul corticis particula. Id quod evidenter nos convincit, ovula passim deposita ibi exclusa fuisse, & prognatum inde insectum occupari instruendo sibi domicilio, cui ordinate insinuet ovula, quæ deinceps recondit putamen, nobis sub *Kermes* nomine celebratum. Major præterea probabilitas nostræ opinioni accedit,

cedit, dum ſcilicet poſt uberrimam unius anni meſſem, aliqui deinceps anni propemodum ſteriles ſequuntur, quia minus ſufficiens inſectorum copia fuit relicta in futurum tempus ad largam propagationem.

Excluſa animalcula deſerunt putamen, paſſimque diſcurrunt, ut nutrimentum locique opportunitatem pro ſuis ovulis invenire queant. Hoc autem minus veritati conſentaneum eſt, quod alata exiſtant inſecta illa, prout fere omnes, qui de illis ſcripſerunt, ſibi imaginantur. Interdum quidem accidit, ut culices aut muſcæ exiguæ inſecta circumvolitent, aſt hæ muſcæ ab aliis quibusdam vermibus gignuntur, qui, licet rarius, prope *grana Kermes* reperiuntur, magisque credibile videtur, illos vermes prodire e tumoris quadam ſpecie, ramos *ilicis cocci - glandiferæ* obſidentis, quorum ova ibi depoſita, per ſucci crudioris & indigeſti aliquam partem ſuſtentantur, admixto ſic vernantis arboris humore, factaque ſtaſi, non poteſt liquor amplius circumagi per tubulos arbuſculæ, hinc ibi ſubſiſtit & inſolita ſubſequitur dilatatio majorque tumoris expanſio. Ubi jam per calorem veris ab ovulis ſuis ſunt excluſi vermes iſti, in *grana Kermes* nutrimenti cauſſa ſenſim irrepunt, quale aptum ſuppeditant liquor ovulaque intus incluſa. Simile quid deprehendi in pluribus capitibus carduorum, Cyani moſchati, Jacearum & his affinium plantarum, ſed nihil tunc ſeminis vidi, quoniam iſtis ſaltem pro pabulo vermes uti ſolent.

Quamprimum *Grana Kermes* maturuerunt, decerpta ſeliguntur, diverſæque præparationi, ob varios uſus committuntur. Quæ deſtinata ſunt *confectioni Alkermes*, pulpæ formam ſyrupique conſiſtentiam ſubire debent. Quamobrem collectores neceſſariam quantitatem maxime recentium granorum depromunt, demptisque foliis aliisque ſordibus, in mortario marmoreo cum piſtillo ligneo ſubtiliter contundunt, & pulpam per cribrum ſetaceum, itidem ſpatula lignea

agitatam trajiciunt, trajectam ponderant, partesque æquales sacchari optimi in pulverem triti admiscent; peracta sic frigida miscela, asservant in vasis Faventinis aut fictilibus aliis intus vitro obductis, ad usum desideratum: Sollicite autem sæpius massam agitant; donec saccharum cum pulpa satis permistum sit.

Qui vero alium conservationis finem intendunt, linteis in camera, libero aëri exposita, inspergunt Grana, subinde agitando & commovendo extremitates linteorum, ut in medium cogantur locum ova & insecta elapsa, ubi pulveris instar valde rubri comparent, qui pulvis deinde per cribrum trajicitur, ac tandem manibus subigitur in pastillos; folliculi autem in cribro inanes relicti, neutiquam rejiciuntur, utpote aliquem adhuc usum habentes.

Cæterum magna est utilitas *Kermes* in Medicina; refertur enim inter præstantissima cordialia; basin constituit confectionis, quæ, inde nomen acquisivit: Ingreditur quoque illas de hyacintho; & olim quidem integræ baccæ, hodie vero surroguntur pastilli, quorum antea mentio facta est, propter efficaciam scilicet longe majorem. Felici cum successu adhibetur ad confortandum fœtum in utero, & abortum præcavendum, multoque plura suggerit auxilia, si quis vellet vires amplius explorare, & in usum convertere. Chimiæ cultores varias inde conficiunt essentias, sane dignas commemoratione, iidemque affirmant, quod eodem, quo alia animalia sale polleat volatili.

Cum igitur in arte salutari tanta sit Facultas *Granorum Kermes*, haud minorem quoque *tinctorum opificia* commoditatem inde percipiunt; quod bene intelligunt exteri pariter ac nostri mercatores, ideoque isto, quem indicavi modo, præparant, atque insuper ac sensim putamina insectis jam vacua in corbes vimineos conjiciunt, bonoque vini aceto imbuunt, sæpius idem repetendo; hinc extillare sinunt liquorem,

rem, ipsaque grana super lintea expansa desiccare. Conciliat autem acetum Granis colorem rubicundum ac rutilum, quod decepit autorem quendam ut assereret, nativum esse illum colorem; verum is fortasse recentia grana nunquam vidit. Ad ova & insecta quod attinet, quæ putamina reliquerunt, & in linteis, sub forma pulveris rubri, a nostratibus *Pousset* nuncupati, subsiderunt, in patina fictili, aceto conspersa, leniter subiguntur donec massa consistens evaserit, quam deinde super corium extendunt probeque arefaciunt, ac tandem coriaceos pariter in saccos indunt, ut ad regiones dissitas, præcipue Orientem & Septentrionem versus, commode transmitti possit. Nostris autem in terris rarior nunc est illius ad tingendum usus, posteaquam increbuit *Coccinella*, quæ colorem suppeditat coccineum multo vividiorem ac splendidiorem, quam ille de *Kermes*; quippe qui ad purpuram veterem Romanorum propius accedit, majorique pretio venditur. Nostrates appellant *Ecarlatte de graine*; cujus tinctura præstantior in eo est *Coccinellæ*, quod panni illa imbuti, ab aqua decidente colorem non mutent; qui vero *coccinella* tincti sunt, protinus hinc nigricent. Diversus etiam est præparandi modus; ad *Coccinellam* enim requiritur compositio cum spiritu nitri; quum ex adverso ad *Kermes* aquæ tartaro aut alumine saturatæ sufficiant. Quoniam vero hæc materia præcipue ad tinctores pertinet, illi ipsi sunt adeundi, si quis pleniorem ejus notitiam habere desiderat.

Explicatio Figurarum.

A. Frutex, seu arbuscula, granorum Kermes ferax.
B. Ramus ejusdem cum floribus.
C. Alius ejusdem ramus, cum suis fructibus, sive glandibus.

D. Gra-

D. Granum Kermes apertum, microscopio consideratum.
E. Animalculum, quale in ovulis intra granum continetur.
F. Vermis, qui aliquando reperitur in grano Kermes.
G. G. Culices seu muscæ, quæ suam originem debent isti vermi.
H. Granum Kermes, naturali magnitudine conspicuum.
I. Ovulum, in grano contentum, microscopio aliquantisper ampliatum.

* * *

Constitutum equidem Nobis erat, *Marsilianis* atque *Nissolianis* animadversionibus *de Granis Kermes*, ejusdem argumenti *Garidellianam* quoque narrationem superaddere: Quia vero hæc paulo prolixior est, nec pauca complectitur, jam in prioribus illis proposita, mutato tantisper consilio decrevimus, singularia saltem nonnulla è contextu ejus largiori depromere. Omittimus igitur ista, quæ ex D. *Emerici* observatione, circa insectorum, *Grana Kermes* instruentium metamorphosin, D. *Garidellus* suæ Plantarum Gallo-Provinciæ indigenarum historiæ inseruit, D. *Breynius* autem in sua Cocci radicum historia, nostr. edit. pag. 7. summatim recensuit. Insectorum vero ampliatas per microscopium imagines, à *Garidello* exhibitas, sane luculentas, eo minus dubitamus apponere peculiari in tabula, quo magis acceptum curiosis Lectoribus fore confidimus, si easdem uno quasi intuitu cum *Marsilianis* pariter ac *Nissolianis* conferre potuerint. Neque erit, quod aliquem obturbet varians in quibusdam momentis repræsentatio figurarum: In tanta enim animalculorum naturali exilitate fieri vix potuit, quin diversi observatores, diversis usi microscopiis, diversas quodammodo figuras oculis perciperent, aut pictores sculptoresve in

iis

Append: Actor. A. N. C
Volum III. pag. 55.

iis exprimendis paululum aberrarent. Cæterum, sicut *Illustrissimus Comes* MARSILIUS in eo lapsus est, quod animalcula in *granis Kermes* generata, maturitatem consecuta, indeque prodeuntia, statuerit alata esse omnia, ita non minus à via declinasse videntur Clarissimi Viri, *Nissolius*, *Garidellus* cum *Emerico*, tum etiam *Cestonus*, qui genuinos incolas granorum istorum non nisi ἀπτερα & ἀνδρόγυνα esse insecta perhibent, *muscas* vero in iisdem granis occurrentes pro alienigenis venditant. Persuasum enim omnino habemus, eodem plane modo cum hisce insectis comparatum esse, quam cum illis in cocco radicum, de quibus accuratior ac repetita observatio Excell. D. *Breynium* nostrum edocuit, *alata mares*, *non alata fœminas esse*; vid. supra pag. 29. Nec mirum id videri debet, cum satis exploratum sit, eâdem penitus ratione sexum distingui in *Formicis* atque *Cicindelis*. Et ex his quidem mares, non solum alis gaudent, verum insuper ipsas vaginis contectas habent, uti omnes scarabæi; fœmellæ contra ne vestigium quidem ostendunt alarum, sed colore corporis etiam diverso, nempe exalbido præditæ, humi repunt, & à masculis subactæ ovula pariunt; quemadmodum non semel nobis conspicere licuit, idemque pridem observavit *Carolus Vintimillia*, referente *Fabio Columna*, Parte II. minus cognit. stirp. pag. 89. De *formicis* autem *alatis*, quod *unice mares* sint, testimonium inprimis fide dignum perhibet *Jo. Swammerdam*, Histor. Insect. p. 187.

* * *

Sequuntur nunc excerpta quædam è D. Garidelli Hist. Nat. Kermes.

Kermes ego *duas* observavi *species*, *primam coloris fusci*, quæ *ova* parit *rubra*; *alteram albicantem*, ejusdem cum antecedente magnitudinis; simili etiam contegi-

tur lana, seu pulvere, eodem tempore comparet, eodemque modo procreatur: *Ovula* quæ excludit *alba* sunt, *animalcula* vero, quæ ex his prodeunt, similia sunt illis, qui è rubris ovulis erumpunt, excepto colore. Cæterum *grana Kermes alba* rubris fere sunt *rariora*, & ab incolis *matrum Kermes* nomine veniunt.

Quando *vermiculi Kermes* adulti satis sunt, & ad quietem compositi, tanquam immobiles, tunc ventris cutem contrahendo dorsum versus, tanquam fornicem efformant, sub quo deponunt *ovula*, quorum immensa multitudine adeo exhauritur totum insecti corpus, ut eodem sic pereunte, nihil reliqui observetur præter pelliculam.

Sæpius accidit, ut uno eodemque anno secunda sequatur *granorum Kermes* procreatio, sed à priori multum differens: Etenim posterioris illius *grana* sunt *longe minora*, deinde situm vix alibi habent, quam in foliis arbusculæ, rarius in cortice ramulorum, utpote tunc solis ardore nimis jam indurato & exsiccato; unde etiam colorem acquirunt minus rutilum, sed obscuriorem; forsitan quia succus è foliis receptus deterioris est conditionis, parumque idoneus ad tincturam reddendam. Cæterum intempestivi sub autumnum imbres secundam messem illam facile perdunt.

Ruricolæ, qui in locis, ubi *Kermes* nascitur, vicinis instructa habent columbaria, haud exiguum inde damnum contrahunt; quandoquidem pulli, granis istis saginati, frequenter intereunt; adultiores autem columbæ, iisdem vescentes, difficulter evadunt, beneficio diarrhœæ, quæ columbarii parietas colore rubro inficit.

Quæ in Provincia Galliæ & Occitania nascuntur *grana Kermes*, præsertim tractibus mari propinquis, præstantiora censentur illis in Hispania procreatis, utpote colorem minus floridum suppeditantibus.

Expli-



Append: Volum. III Actor: A.N.C.
pag. 59.

Explicatio Figurarum.

1. *Kermes, arbuſculæ nuper affixum, microſcopio ampliatum.*
2. *a. Naturalis oculorum magnitudo.*
   b. Ovulum rubrum, aucta per microſcopium magnitudine, ſicut omnia quæ ſequuntur.
   c. Ovulum album.
3. *Vermiculus ex ovulo rubro.*
4. *Vermiculus ex ovulo albo.*
5. *Granum Kermes apertum, ut conſpici in ipſo queant ovula & nymphæ.*
6. *Nympha vermiculi Kermes, ſpectanda in dorſo.*
7. — — — — — *in ventre ſupino.*
8. *Muſca Kermes, nigra, pedibus inſiſtens.*
9. — — *alba, dorſo incumbens.*

DN. D. GODOFREDI, JVNIORIS OBSERVATIONES DE GVMMI LACCAE, aliisque materiis, prosapiæ animalis, quæ tincturam purpuream suppeditant.

INter alia Naturæ mirabilia, haud infimum sibi vendicat locum industrius *Apum* labor: In quem curiosius pervestigandum sapientiores mortalium jam olim adeo multum operæ impenderunt, ut unus ex illis, *Aristomachus*, sexaginta ferme annorum ætatem, illarum observatione consumserit. Recentiores non minus curiosi, sed majori adhuc studio & accuratione usi, novas addidere observationes; sicuti nuper admodum *Clar. D. Maraldi* nonnullas ejusmodi cum nostra communicavit *Societate*.

Quamquam vero hæc insecta omnino admiratione digna, singularem animi attentionem mereantur, ipsis tamen solis illa quam in condendis alvearibus ostendunt, solertia, tanquam propria, minime debet tribui, cum etiam alia dentur, quæ pari gaudeant dexteritate: Utut minor utilitas, quam ex labore quorundam horum animalium homines percipiunt, in causa forte fuerit, cur huc usque neglecta, parumque observata fuerint.

In numerum illorum non immerito ea referri poterunt *insecta, quæ in Indiis Gummi Laccæ proferunt*: Quod quamvis à longo tempore collectum fuerit, vel ad tingendum,

dum, vel ad alios usus, attamen quomodo idem comparetur, haud satis constat, sive ob eorum qui accuratius in id inquirerent in locis natalibus, defectum, sive, quoniam insecta, quæ illud componunt, non eandem curam admittant, quam apes nostræ solent, ideoque minus commode examinari queant.

Exiguae igitur notitiæ, quam Auctores de hac materia tradiderunt, meas insuper adjungam observationes, ut natura *Gummi Laccæ* melius fortasse, quam hactenus constitit intelligi queat. *Gummatis* nomen, quod huic materici vulgo imponitur, haud adeo adæquatum videtur, quia potius est *species ceræ*, uti in sequentibus demonstrabo. Nomen *Lac* aut *Loc* accepit ab *Arabibus*, a quibus ad *Indos* pervenit: Appellatur quoque *Trec*, in Regnis *Pegu* & *Martaban.*

Primi, qui de *Lacca* tractarunt, nos edocuerunt, illam nasci in *Indiis* & præcipue in Regno *Pegu.*

Sicuti vulgo creditur veteres nihil ignorasse, ita plures sibi persuaserunt, *Laccam Dioscoridi* & *Serapioni* jam fuisse cognitam, & illam quidem eos *Cancamum* nominasse. Verum enimvero descriptio, quam isti autores nobis reliquerunt, neutiquam sufficit, ut firmum de eo ferri posset judicium.

Praecipua *Laccæ* species, quæ observationibus instituendis potissimum ansam præbuit, est ea, quæ *Lacca in baculis* dicitur, quia arborum parvis ramulis, super quibus efformata est, adhærens ad nos advehitur.

Primum igitur quod disquirere convenit, hoc est, ut videamus, *annon hoc Gummi a parvis illis ramulis, quibus adhæret*, enascatur? Ast hoc vix est vero simile, quia si confringitur, & à bacillis sejungitur, nullus apparet locus, per quem egredi atque profluere potuerit. Quid?

quod hujus Gummatis magna ſæpe moles adhæret bacillis valde exilibus, luculento indicio, illud ex iis nequaquam proveniſſe: quam ſententiam quoque fovet P. *Tachard*, & hoc inſuper commemorat, quod ſi in *arbore Laccifera* inciſio fiat, Gummi quidem prodeat, ſed naturæ a *Lacca* longe differentis.

In genere notum eſt, illud eſſe opus inſectorum quorundam; quibus nonnulli nomen *formicarum volantium* imponunt, quæ hanc materiam ſuper ramulos arboris, *Ber* appellatæ deponunt. Alii *vulgaribus formicis eas ſimiles* eſſe ſtatuunt, & rurſus alii affirmant, illas eſſe parvas *muſcas*. Immo non deſunt, qui aſſerant, *Laccæ bacillos* nil aliud eſſe, quam virgulas quas incolæ terræ infigant magna copia, ut inſerviant qualibuscunque animalculis iſtis pro ſuſtentaculo opificii ſui.

Quod autem ad hujus attinet naturam, de ea nemo quicquam certi nobis tradidit. Aſt vero mihi paulo curatius inquirenti uiſum fuit, Laccam iſtam nil aliud eſſe, quam *ſpeciem alvearis*, illi quodammodo ſimilem, quem *apes* & alia conſtruere ſolent inſecta: Et profecto, ſi diffringatur, pluribus *cellulis* ſeu *alveolis*, figuræ plerumque æqualis intus diſtinctum deprehenditur, unde apparet, quod neutiquam Gummi vel reſina ſit ex arboribus prodiens.

Horum *alveolorum* quilibet eſt oblongus, interdum quoque rotundus, prout materies adhuc mollis inordinate fuit diſpoſita, ramulumque, qui eam ſuſtinent, circumfluxit.

Quæ inordinata diſpoſitio in cauſa eſt, cur hi alveoli, reſpectu conſtructionis quodammodo differant; quum interim majori ex parte circa medium ſint tumidi & quaſi inflati, in extremitate lateris, quo ramuſculum tangunt, valde acuminati, in altera vero parte paullo totundiore forma cuneati,

cuneati, ubi etiam perforati sunt, exiguum ostendunt foramen, cujusmodi sunt illa, per quæ *Laccæ* superficies videtur perforata, si cominus inspiciatur. In alveolorum extremitatibus ut plurimum observantur duæ lineolæ albicantes, quarum & materiam & usum determinare difficile est.

Parietes quasi intergerini horum alveolorum elegantissime pariter sunt compacti, in omnibus fere similes iis, qui apum circumdant alvearia: verum quum nihil adsit, quod hos alveolos adversus cœli aërisque injurias defendat extrinsecus, ejusdem materiæ ceruminosæ crusta, valde dura nec parum crassa obteguntur, quæ ipsis sufficientem defensionis præstat usum.

Facile autem hinc apparet, animalcula ista non minori elaborare cum industria quam apes, quo paucioribus in ædificando gaudent commoditatibus. Hoc certum est, illos in Lacca alveolos ad certam rem recipiendam esse conditos, nec merum excrementum esse id, quod insecta in iis deponunt, quemadmodum nonnulli autumant; siquidem ibi quoque reperiuntur tenuia corpuscula, plus minusve inflata, ibidemque efficta; quæ primi observatores pro alis aut aliis particulis formicarum, quibus *Laccam* adscribunt, venditarunt, in alveolis forte reconditis. Exigua vero ista corpuscula sunt eleganter rubra, plus minusve saturati coloris, & ubi conteruntur, in pulverem abeunt, qui præstantia coloris nec ipsi *coccinellæ* cedit.

Illa igitur animalculorum, *Laccam* efformantium esse particulas aut membra, verosimile vix videtur; nec ulla ratio dari poterit, cur ejusmodi tumulos sibi construerent.

Quare magis est credibile, alveolos illorum insectorum iisdem, quibus apum favi, destinatos usibus, parvaque corpuscula illa insectorum aut embryones esse, qui excludi debebant, aut involucra eorum, quæ jam excluſa sunt, quemadmo-

admodum idem in *Kermes* obſervatur, quod alias etiam *granum coccineum* dicitur, ut & in gallarum globulis & aliis arborum tuberibus, quæ inſectorum punctioni originem debent; de quibus, ad materiam præſentem amplius declarandam, plura differendi infra dabitur occaſio.

Iſta, de quibus nunc ſermo eſt, corpuſcula, figuræ ſunt oblongæ, rugoſæ, ut *Cocciniglia*, ab uno latere in unum apicem, ab altero in duos, nonnunquam etiam tres apices terminata. Si in aquam injiciantur, inſtar *Cocciniglie* intumeſcunt, adeoque pulcro colore eam tingunt, deinde magis magisque illius formam induunt, ita ut vel hoc ſolo aſpectu judicari poſſit, ea parvula inſectorum eſſe corpuſcula, qualiscunque etiam generis exiſtant. Et hæc ipſa ſunt, quæ *Gummi Laccæ* tincturam conciliant purpuream, quippe quæ iisdem corpuſculis deſtituta, vix dilutam exhibet tincturam.

Videtur itaque *Lacca ſpecies* eſſe *ceræ*, quæ corpus conſtituit, ut ita dicam, alvearii.

Hæc *cera*, igni injecta, ſuavem ſpargit odorem; corpuſcula vero alveolis incluſa, igne concremata fœtorem reddunt, qualem partes pleræque animalium incenſæ ſolent.

Complura horum corpuſculorum, maximam partem ſunt inania, interdum deprehenduntur putredine ſituque corrupta, repleta pulvere quodam, in quo per Microſcopium apparet multitudo inſectorum oblongorum, transparentium, multipedum, quorum ſpecies ægre definiri poteſt. Forſitan ſunt proles ipſorum *inſectorum*, quæ *Laccam* componunt, niſi potius ab aliis ibidem generata.

Variæ enim illorum dantur ſpecies, quæ totam *Laccæ* ſubſtantiam penetrant, ſedem in ea figunt, ovulaque ingenti copia deponunt, veluti nonnunquam in apum contingit alvearibus: Et illud quidem facile apparet, immiſſa forinſecus ſeta per aperturam, quam vermis ſe inſinuando fecit, ſub qua invo-

involucrum ejus detegitur, quod *Nympha*, *Chrysalis* vel *Aurelia*, nominatur & utplurimum notabiliter crassum est.

Proximo apud has exuvias loco conspicitur acervus ovulorum rotundorum, planorum, transparentium & æque rubentium, si confringantur, ac corpuscula alveolis inclusa.

Iste folliculus, cujus finis exterius conspicitur, inservit *Chrysalidi* pro involucro, & interdum ovulis, pro sustentaculo.

Vermis (peregrinus) in *Laccam* penetrare vix potuit, quin magnum alveolorum numerum destruxerit, & quicquid invenit, consumserit: In illos igitur præsertim se insinuat, neque lignum, quod *Laccam* sustinet, neque superficiem ejusdem *Laccæ* lædens, præter foramen haud exiguum, per quod ingressus, & post metamorphosin suam egressus observatur.

Omnia hucusque observata me facile inducunt, ut concludam, illud quod *Gummi Laccæ* nomine venit, proprie neutiquam ex genere gummatum aut resinarum esse, sed potius speciem ceræ, per certa insecta collectæ, ad modum *favi apum* conformatæ, quorum alveoli eorundem examine sunt repleti, albosque favos, quos in alveolis observavi, forsan esse residuum materiæ ad parva insecta, quæ excludi incipiunt, alenda comparatæ. Amplius in hac opinione, *quod Lacca sit verum favi specimen*, me confirmavit disquisitio quam instituì cum *Lacca*, ex insula *Madagascar* apportata, hæc enim nihil fere differt a cera, cujus & colorem & odorem habet. Inquilini illam appellant *Lit-in-hil-sic*. Unicus *Flacourt*, *in Insulæ Madagascar descriptione*, illius fecit mentionem. Frustula paulo crassiora sunt illis Laccæ communis. Color ad *succinum* aut *Karabe album* transparens accedit. Conformata est perinde ut *Indica*, circa arborum ramos, atque similiter in alveolos est distincta, qui aliqua specie *Chrysalidum* grandiorum replentur,

quarum figura cum iis quæ in *Lacca* vulgari reperiuntur, convenit, nisi quod coloris sint grisei.

His debentur illæ membranulæ, quæ melius haberi queunt pro alis formicarum, propter colorem, qui facilius eo inducere posset, quam chrysalides *Laccæ nostræ*, quæ adeo impense rubent, ut nigræ appareant. Ceterum hæc *Lacca de Madagascar* non iisdem quibus illa *Peguana*, usibus impendi potest, quum ad tincturam, pariter ac ceram signatoriam conficiendam inutilis sit, unde etiam minus est cognita.

Per omnia, quæ circa *Laccam* illam institui experimenta, invenire vix potui differentiam inter hanc & nostrarum apum ceram, unde confirmatur haud parum conjectura, materiam istam similiter esse opus cujusdam apum speciei, nisi alveolorum figura & dispositio nimis conveniret cum ea *Laccæ veræ*. Utriusque etiam *Chrysalides* eandem ferme habent figuram & colorem, & tam inferior quam superior alveolorum pars albos continet favos prouti in *Lacca veræ* observavi.

Convenientia igitur, quæ in hisce duabus Laccæ speciebus animadvertitur, omnem auferre poterit de *Lacca bacillorum* præconceptam opinionem; atque in contrarium ostendere, hasce materias non esse productas ex arboribus, super quibus reperiuntur, sed congestas aliunde per insecta, ex relatione P. *Tachard*, formicis similia, quæ eas colligunt, sicut apes nostræ ceram. Jam vero constat, apes nostras ceram non ex semetipsis producere, sed tantummodo eam è stirpium floribus collectam comportare, id quod optime atque accurate observavit Clar. *Maraldi* in Dissert. de *Apibus* seu *muscis melliferis*, ita ut animalculis hisce deficientibus, & cera & mel nos deficerent. Quamquam enim non ignoretur, ubi ista colligantur, omnis tamen hominum ope-

ra

ra vix sufficeret, omni licet diligentia adhibita, per longum temporis spatium tantillo colligendo, quantum duæ exiguæ constituunt lenticulæ, cujusmodi sunt ordinariæ apum sarcinulæ.

Haud inepte igitur *Laccam bacillorum*, alveolis instructam, cum *cera nostrarum apum* comparare possum, similemque in modum argumentari, *absque formicis illis neque Laccam extituram*, quippe quibus curæ est, illam colligere, præparare, huicque labori octo per annum menses impendere, ad usum proprium, speciei puta suæ propagationem & conservationem; quamvis postea materiam istam homines in suos quoque converterint usus, ad producendum nempe colorem coccineum, qui in Oriente hinc perficitur, ceramque signatoriam, qua utimur, ut & *Vernicem*. Ea propter tamen neutiquam illorum evertere cupio sententiam, qui perhibent *Gummi Laccæ* dari, quod e foliis quarundam arborum sponte sua destiller; quia facile fieri potest, ut formicæ quæ secundum relationem P. *Tachard*, illud à diversis colligunt floribus, idem quoque exudans reperiant in quibusdam arboribus, à quibus absque insectorum ope possit separari. Fautores hujus sententiæ existimant, illud esse eam *Laccam*, quæ ad nos *in massis* adportatur, in qua nec alveoli, nec exigua illa corpora, uti in ea quæ bacillis adhæret, cernuntur. Sed vero simile videtur, omnem hanc materiam a formicis esse elaboratam, massasque ita ab Indis coactas esse, postquam tincturam extraxerunt, aut a sordibus *Laccæ* immistis ipsam purificarunt. Ejusmodi mutatio externæ formæ non prorsus caret exemplo, quandoquidem novimus, opifices, qui *Lacca bacillorum* utuntur, ad colorem inde conficiendum, illam in aliam *Laccæ* speciem transformare, quam *Laccam in granis* appellamus, quia exiguis

constat granulis. quæque ad alia etiam adhiberi potest opera, quapropter illi, quæ *in massa* constat, præfertur.

Et hæ quidem sunt de *Lacca in massa* conjecturæ nostræ, quæ deberent utique in locis ubi ea nascitur inquirendo confirmari; nisi mallemus hac in re potius *Tauernierio* fidem habere, qui perhibet, dari in regno Pegu *Laccam* minus æstimatam, quæ communiter multis sordibus permista existat, ideo quod formicæ materiam istam in terra deponant per acervos, nonnunquam, ut ille refert, cadi amplitudinem exæquantes.

Diversæ igitur ut *Laccæ* constituantur *species* necesse est; *Primum locum occupat Lacca bacillorum*, cujus duas iterum constituo differentias, unam *coloris intense flavi*, instar succini, quæ suos quidem habet alveolos, minus tamen sufficienti calore digesta est, ut colorem rubeum e partibus animalibus ibi comprehensis assumere potuerit, vel potius quoniam cera nimis fuit copiosa respectu animalculorum, quæ continet.

Secunda species est *coloris obscurioris*, quoad superficiem, sed interius adeo rubri, ut claro lumini opposita transpareat. Elegans hic color inde oritur, quod alveoli bene sunt repleti corpusculis animalium, in magna abundantia ibi hospitantibus, quæ tincturam suam cum cera, beneficio caloris solaris communicarunt. Dici recte potest, hanc esse *Laccam in sua quasi maturitate*, quia & ponderosior, atque densior & solidior est, quam illa ante proposita, nempe flava.

Tertia species est *Lacca impura*, seu sordida *in frustulis, mixta cum terra, ligno* &c. ubi vix quidam deprehenduntur alveoli; & hæc quidem species forte illa est, de qua *Tavernierius* verba facit.

Quarta est ea, quam *Madagascar* insulæ adscripsi, quæ

quæ, uti indicavi, *magis ad noſtram accedit ceram*, quam vulgaris.

Quinta ſpecies eſt ea, quæ *granulata* eſt, coloris rutili.

Sexta ſpecies magnis conſtat *maſſis* ſeu *panibus*, cumulo parvorum granorum inter ſe redunitorum ſimilibus, *colore fuſco*. Hæc ultima ſpecies proxime ad illam accedit, cujus meminit Dn. *Raius*, ſi quidem verum eſt, quod refert, eam naturaliter ex arboribus effluere.

Quum ita demonſtratum ſit, *Laccam bacillorum* nihil aliud eſſe quam alveare elaboratum & formatum eadem, qua apium noſtrarum favi, induſtria, ad unum eundemque uſum, qui eſt novi examinis inſectorum ſui generis productio; ad alios jam progrediar uſus, quibus communiter hæ materiæ accomodari ac deſtinari ab hominibus ſolent.

Præcipua *Laccæ* pars eſt, uti oſtendi pluribus, ea quæ alveolis incluſa deprehenditur, materia, quam *ſpeciem* nominavi *Chryſalidum*. Iſtud igitur, quod oculis maxime patet, hoc quidem non admodum conſiderationē dignum eſt; quod autem minus obſervari conſuevit, revera id ipſum eſt, quod *Laccæ* conciliat colorem, qui eam fecit adeo memorabilem, atque primis inventoribus apta fuit viſa, ut pulcra inde tinctura eliceretur purpurea, quæ ab omnibus ſemper populis plurimi æſtimata fuit. Hæc *chryſalidis ſpecies*, alveolis ſuis extracta, & aquæ aut ſpiritui vini immerſa, utrique liquori colorem impertit pulcre rubrum, qualem *Coccinigliæ* ſuppeditat, quæ hodienum ad pulcerrimas tincturas purpureas ſeu coccineas adhibetur.

Materia autem alveolorum, diverſis liquoribus haud plus coloris præbere poteſt, quam ſecundum proportionem eam, ſecundum quam a *chryſalidibus* illum, ſicut ſupra jam monui, accepit. Ad comprobandum id quod modo aſſerui, haud parum facit, quod alveoli primæ ſpeciei *Laccæ*, videlicet

licet flavæ, non nisi exiguam reddant purpuram, aut pene nullam, quibuscunque institutis experimentis. *Lacca* igitur, in arte tinctoria maxime æstimata, est ea, *quæ bacillis adhæret*, quia pluribus particulis animalibus instructa est; eligitur ideo communiter *maxime rubra*.

Si *Tauernierio* credimus, *Lacca Bengalensis* multo pretiosior est ibidem, *Lacca Peguana*; quia Bengalam inhabitantes eadem utuntur, coloremque pulcre coccineum inde eliciunt, quo sua tingunt linteamina; hæc ea quoque est, quæ in Persiam ad tingendum transportatur. Idem nos edocet, *Peguanam* propterea fieri minoris, quod in regione ista formicæ sunt negligentiores, eamque intra terram acervatim disponant.

Ad colorem autem rubrum e *Lacca* extrahendum, ipsa, P. *Tachardo* commemorante, a ramusculis separatur, in mortario contunditur, aquæ ferventi injicitur, quæ probe tincta separatur, & alia affunditur, usque dum *Lacca* non amplius tingat. Aqua hunc in modum tincta soli exponitur, ut maxima illius pars exhalet. Residua tinctura sic inspissata in linteo claro, igni admovetur & per linteum exprimitur. Ea quæ primum est expressa, guttisque transparentibus constat, *Laccam* sistit pulcherrimam; Posterior, majori cum vi expressa, quæ etiam cultello est abradenda, obscurior atque vilior existit. En *Laccæ* præparationem simplicissimam, quæ nil est nisi extractio rubri coloris, quem particulæ animales suppeditant. Hæc materia sic præparata obtinet *Laccæ* nomen, & primæ est inventionis, unde postmodum aliæ, diverso artificio productæ, nomen suum sunt mutuatæ.

Communi hoc fundamento nituntur omnes *Laccæ*, ad pingendum usitatæ, quæ sunt massæ siccatæ, quibus *color Laccæ* pro diverso tincturæ gradu est inditus. Postea hoc vocabulum extensum est ad magnum numerum massarum siccarum,

carum, vel pulverum vario colore ex variis materiebus imbutorum.

Obſervare autem licet, in omnibus rubris pulveribus, qui hodie ſunt in uſu, unicam præſto eſſe *Laccam Coccinigliæ*, quæ nomen mutavit, ut *Carmin* nuncupetur, quum tamen hoc verum ejus nomen non ſit, quippe quod à *Kermes* aſſumſit. Cæterum è *Lacca* præparatio fit magis compoſita, qua rubro colore tinguntur coria caprina, vulgo *Marroquin* appellata. Ejusmodi coriorum pulcherrima ab Oriente (*Levante*) advehi ſolita, videntur tincta eſſe hac materia, (nempe *Lacca vera*) quamvis nullo huc usque ſatis certo indicio id exploratum habeamus. Hoc autem plane conſtat, quod opifices, qui in Galliis talia præparant coria, & ab Oriente advecta iſta haud infeliciter imitantur, *Laccam* adhibere conſueverint; ſive ad hoc permoti fuerint per conjecturas, ſive per notitiam quandam ſecretam, quam ſibi compararunt, & forſitan adhuc pro arcano cuſtodiunt: Quæ vero de hac re mihi innotuerunt, ſequentia ſunt: Nimirum *è Lacca bacillis adhærente* iſta eligitur, quæ colorem maxime floridum refert, à bacillis ſeparata, in pulverem redigitur & aquæ fervidæ injicitur, una cum *nucibus gallarum*, ſpinoſis & levibus, *alumine* & quadam *Coccinellæ* portione. Poſtquam tinctura eſt confecta, caprinæ pelles per eam traducuntur, antea ſingulari quadam ratione præparatæ, quam vulgo *le confis* appellant. Fit autem ſi pelles, quo melius tractari ac ſubigi poſſint, immerguntur balneo e ſtercore canino confecto, quia hæc excrementa magis apta eſſe videntur ad colores illuſtrandos, quam cortices quercini vel aliæ conſimilis materiæ. Hæ pelles diligenter lotæ, hinc duplicatæ & conſutæ, ut unum tantum utriusque latus colorem recipiat, per hanc tincturam tamdiu trahuntur, usque dum ſatis ſint coloratæ, poſtmodum ſiccantur, & oleo lini fulgi-

dæ

dæ redduntur. Alium in modum proceditur cum pellibus vervecinis rubris, quæ *Limovici* perficiuntur. Ad eas enim tingendas, utuntur duntaxat *Lacca vulgari è ligno Braſiliano* præparata, cui de *Lacca bacillorum* nihil additur.

Materia quæ ſupereſt è tinctura, pellibus hircinis perficiendis adhibita, conſiſtit in maſſis levibus, raris ac turgidis, varie figuratis, plus minusve rubentibus, quas cerdones *gravois* vocant, quæque cum aliis materiis ad *ceram ſigillarem*, ſeu *Hiſpanicam* conficiendam inſerviunt.

Quod autem ex materia *Laccæ* alveolos conſtituente, extracto colore ſupereſt, id adhibetur ad *Laccam in tabulis*, vulgo dictam, forma foliorum pellucidorum efformandam. Habetur quoque eadem in fruſtulis planis, ab una extremitate convolutis, auriculæ inſtar, ob eamque figuram *Lacque à oreille* nominatur.

Omnes hæ Laccæ *Vernici* adduntur, præcipue tamen *Lacca bacillorum, & in tabulis*. Cæterum Analyſis *Laccæ* facit etiam ad confirmandam comparationem, quam ſupra cum noſtrorum favorum cera inſtitui; In eadem enim propemodum, vi ignis principia reſolvuntur, ſpiritum nempe acidum & butyrum, Dn. *Lemery* id annotante. Sed quemadmodum particulæ animales, in *Lacca* contentæ, diverſum omnino aliquid proferre debent, ſeparata vero illarum diſquiſitio haud ita facilis eſt, neceſſarium duxi, ut pro ratione inſtituti, eam eligerem Laccæ ſpeciem, quæ in grana redacta, poſtquam tinctoribus uſum præſtitit, ab omnibus particulis animalibus liberata in totum exiſtit: unde per chimicam analyſin hujus granulatæ & bacillorum Laccæ inſtitutam, obſervavi quandam differentiam, quæ meas de animalculis alveolis incluſis confirmavit conjecturas; ſpiritus enim acidus, qui ex hac extrahitur, temperatus eſt per ſpiritum volatilem urinoſum, quem ſola miniſtrare potuit materia animalis,

malis, id quod facile cognoscitur ex albo præcipitato, quod ex illius commistione cum solutione corrosivi mercurii sublimati resultat; quale quid à spiritu acido puro è *Lacca granulata* extracto minime contingit, quia nihil illius materiam animalis continet.

In observandis particulis animalibus, quæ in duabus *Laccæ* speciebus continebantur, occupatus, facere non potui, quin ea cum aliis materiis prosapiæ animalis, e quibus etiam purpura conficitur, conferrem. Una illarum, quæ diu in usu fuit, est *Kermes*, quod in numerum *Specierum Gallæ* refero; quia est excrescentia in arbore quadam, per punctura insecti producta. *Kermes* vocabulum origine est Arabicum, quod *vermiculum* denotat. Et quamquam in dubium vocari non possit, quod *Kermes* Antiquis non plane incognitum aut extra omnem usum fuerit, constat tamen, multiplicem olim diversarum materiarum extitisse apparatum, quæ diversis in regionibus nascuntur, & in variis arborum vel plantarum speciebus, quæ omnes ad *colorem coccineum* adhibitæ fuere; sed ex hisce materiis omnibus *Kermes* unica est, quæ in tincturis nostris adhuc aliquando adhibetur.

* * *

Quæ porro in contextu narrationis Godofredianæ *sequuntur, magnam partem* Granorum Kermes *historiam naturalem & analysin Chimicam, multis periodis complectuntur; quæ omnia, utpote in* Marsiliana & Nissoliana

tractatione *uberius atque accuratius jam proposita, omittere maluimus, quam inutili & otiosa dictorum repetitione* Lectores *detinere. Juvabit tamen, singularia quædam, nec in antecedentibus similiter tradita, (cumprimis ad* Coccinellæ *historiam facientia) per modum spicilegii saltem adstruere.*

Quæ ex *Granis Kermes* per ignem destillando eliciuntur, vix possum comparare melius quam cum istis, quæ *sericum*, secundum institutam à D. *Tournefortio* analysin exhibet. Est igitur materia *Kermes* animalis potius quam vegetabilis naturæ.

Utilitas *Kermes* in tingendo exigua est hodie, & propemodum negligeretur, nisi usus in medicina collectionem illius commendaret. Alias idem ipsi eveniret quod compluribus ejusmodi rebus, ad tingendum quondam adhibitis, nunc oblivioni fere traditis, e. g. *Purpuræ veterum, è conchyliis olim paratæ*, quam *Dn. de Reaumur* denuo observavit atque descripsit; *Insectis* item, *quæ radicibus variarum stirpium*, videlicet *pimpinellæ, Lentisci, Parietariæ*, & herbæ *Knavel* dictæ, adhærent; quamvis hæc posterior species adhuc hodie in Polonia copiose reperiatur.

Ut *Cochenillæ* naturam penitus pernoscerem, illam aquæ injeci, unde intumuit, & mollitiem formamque talem acquisivit, qualis non nisi insecto convenire potest. Meis etenim oculis & *caput* & *anum* potui discernere, *annulos in corpusculo, ac pedum vestigia*; quæ singula per microscopium luculentius apparebant. In aliquibus istorum granorum, dicto modo præparatorum, conspicere licuit *pedes be-*

ne

ne articulatos, tres in utroque latere, sed nulla alarum vestigia, quod annotare volui adversus sententiam nonnullorum, qui statuunt, Cochenillam esse *scarabæorum genus*. Quibusdam è grandioribus apertis, liquor rubicundus prodiit, comparente racemi quadam specie, adhærente canaliculo cavo, multis exiguis granulis stipato, quæ per microscopium considerata exilissimas repræsentabant *cochenillas*.

Admiratione inprimis dignum est, *quod cochenilla colorem purpureum adeo elegantem adipiscatur à foliis pallide viridibus opuntiæ*. Testatur enim *P. Plumier*, insecta quidem ista in diversis reperiri arboribus, sed nulla ipsorum acquirere *coccineum colorem*, nisi super foliis modo dictis enutrita. Sciendum autem est, *opuntiam* ferre fructum, *ficus Indicæ* nomine appellatum, coloris intense rubri, qualem etiam hominum comedentium urinæ conciliat, non sine quorundam rei ignarorum terriculamento, quasi purum sanguinem emingerent. Probabile igitur est, *succum opuntiæ* corpuscula insectorum ingredientem, subire consimilem *coloris mutationem*, qualis ea est quæ fit in fructibus.

Placet hanc in rem proponere exemplum, forte non alienum. Observavi in *rosis rubris* vermiculum album, 4. aut 5. lineas longum, capite præditum rutilo. Alimentum quod ipsi *rosa rubra* suppeditat, in stomacho illius amittit fere colorem suum, quod patet ad oculum, quia vermiculus est pellucidus, nec alius color in ejus corpusculo quam sublividus apparet; ipseque vermis, si in charta conteratur, hanc imbuit colore viridi. Neque aliter id fieri posse existimo, quoniam particulæ volatiles, & succi alcalici animalium, viridem reddere solent succum rosarum, qui tamen novam alterationem in extremo vermiculi intestino perpes-

ſus, hinc abit in *roſacei coloris excrementa*, inſtar minimorum pulveris pyrii granulorum. Hæc deinceps cum liquoribus acidis & alcalicis tractata, easdem præbent colorum varietates, quas ipſæmet roſæ.

Cæterum quod *Cochenilla* ſit animalis proſapiæ, amplius oſtendit chimica ipſius analyſis, cujus eadem omnino ſunt producta, & ſingularum fere proportio eadem quæ à deſtillatione cornu cervi, quin & inſectorum quorundam, e. g. *millepedum* ſeu *aſellorum* conſequuntur.

CAR.

CAR. FRID. LOEW
NOBILIS,
Consiliar. et Archiatri Duc. Saxon. et Würtemb.
Academiae Imper. Nat. Cur. Adiuncti,

FEBRIS CATARRHALIS,

quæ anno 1729. mens. Nov. et Decembr.
per Europam epidemice grassata est,

HISTORIA,

accedit

CONSTITVTIO EPIDEMICA
ANNI MDCCXXX.

Quanto, quamque indefesso labore Societas Imperialis L. C. Nat. Cur. cum in *rariorum* perscrutatione, tum in *utilium* tam *physicalium*, quam *medicinalium* rerum detectione a primis incunabulis ad haec usque tempora, usa sit, Acta atque Volumina nostra satis superque testantur. Laudem merentur *Bauschius*, *Fehrius*, *Volckamerus*, *Schrœckius*, aliique tanto majorem, quo saepius a *Membris* Academicis eorum communicationem petierint, quae *utilitate majori* se commendaverint. Atque hinc est, quod toties de *constitutione aëris* non modo; sed & de *morbis epidemicis* accuratiorem descriptionem efflagitarint. Quo magis autem hac ratione inductus Parens pie defunctus, & de *mutationum aëris* genuina annotatione, et de *affectuum* inde dependentium diligentiori observatione, & de *probatissimorum remediorum* consignatione Societati per multos annos solicitum se praestitit; hoc fidelius haec ipsa ex Auctoris schedis posthumis aeque recensita, ac in ordinem digesta, sub titulo *Historiae Epidemicae Hungariae*, Act. Phys. Med. A. C. L. C. N. C. Volumini I. deinde a me sunt annexa. Neque per plures annos a me conscriptum, atque publico bono destinatum opusculum de *epidemica Vienensi constitutione* denegaturus, si sese haec qualiscunque opella lectori probaverit. Huius summa est expositio *febris catarrhalis*, quae *A.* 1729. sigillatim mense *Septembris* atque *Octobris*, Viennae epidemice grassata est, atque eo accuratiori delineatione opus habet, quod huius mali semina non tantum per *Sueciam*, *Daniam*, *Hollandiam*, *Angliam*, *Hispaniam*, *Galliam*, *Helvetiam*, *Italiam*, *Austriam*, *Germaniae partes reliquas*, *Hungariam*, *Poloniam*, totamque *Europam* eodem tempore sparsa sint; verum et in curatione *cautelae* nonnullae occurrerint, ut non adducam, morbum hunc esse *rariorem*, neque quotannis *obvium* neque

neque ab ullo sufficienter *descriptum*. Utut enim et *Schenckius* in Praefat. ad *Libr. obs.* mentionem faciat *febris catarrhalis*, quae *anno* 1580. praeter *Germaniam*, *Italiam* adeo afflarat, ut vel *Romae* saltim ultra 9000. hominum illata strages excreverit: et *Antonius Menjotius* in *Dissertat. Patholog.* p. 140. *tussim* ferinam, contagiosam, malignam, avorum memoria *populatim* sævientem, et a *cucullo*, quo capita solebant operire, *coqueluche* vulgo dictam, recenseat: et *Nicol. de Blegny* in *Zodiac. Med. Gallic.* sive *Miscell. Med. Phys. Gallic. Ann.* I. p. 184. paucula quædam de *catarrho* anno 1679. epidemio, tussi perpetua, vigiliis, oppressionibus, febre continua, dyspnœa, pleuripneumonia stipato, multis lethali, atque remediis *ordinariis* non cedente, nobis reliquerit; superficiaria tamen sunt, neque animum curiosiorem exatiant. Adeat, cui volupe est *Thomam Sydenham*, Practicum quondam Londinensem celeberrimum, ubi præter ea, quæ Doctissimus *Carolus Raygerus*, Pannoniæ decus illustre, atque *Paulus de Sorbait* nobis de *tussibus* tradidere, quæ *anno* 1675. per *autumnum* longe lateque depopulatæ sunt, plura adhuc inveniet. Quod enim *Car. Raygerus Ephem. Germ. Dec.* I. *Ann.* VI. et VII. p. 312. annotavit, dum per totum *Septembrem*, mediumque *Octobris* anni citati, ob *insolitam* aëris temperaturam, aestatem *pluviosam*, insequentem autumnum *inæqualem*, modo serenum, modo pluviosum, insolitos etiam catarrhos *Posonii*, *Viennæ*, per totam *Austriam*, in *Silesia*, inprimis *Vratislaviæ*, imo per totam *Germaniam*, homines eodem tempore, eodemque prope *modo* cum *rigore* et *calore* invasisse, nemini tamen exitiosos fuisse scribit, illud *Thom. Sydenham* in *Praxi Med. Experimentali* p. 275. et 304. seq. non solum confirmat, dum sub finem *Octobris* ob *tepidam*, atque ad instar æstatis placidam tempestatem, derepente in

frigi-

frigidam humidamque mutatam, *tusses* numerosiores grassatas adducit, quam alio quovis, quod meminit, tempore, nemini fere parcentes, cuiuscunque is fuerit sive *ætatis*, sive *temperamenti*, integras vero familias simul pervadentes; sed etiam evincit, febrem hanc *catarrhalem* fuisse *eandem* epidemicam, quæ *Iulio* 1673. *ingressa* progrediebatur, cum et *hæc* antequam *catarrhi* se ostenderent, et *illa*, quæ post catarrhos permansit, æque, ac *catarrhalis*, semper cum *dolore* capitis, dorsi, atque artuum quoslibet aggressa sit, atque V. S. aliisque similibus medicamentis tractari debuerit. Idem et nos *anno* 1729. experti sumus, cum per totum anni decursum usque in sequentem, *epidemica* quædam *febris* sese exeruerit, quæ et ante *catarrhalis* accessum, et post eius *declinationem* pro diversa *mutatione aëris*, aliarumque circumstantiarum, diversos *affectus* quidem simulavit, semper autem cum summa *lassitudine*, *dolore* capitis, dorsi, atque artuum *initium* sumsit, atque V. S. similibusque *remediis*, quibus *catarrhalis*, sublata est. Licet ergo mense *Ian. Febr.* et *Mart.* anni 1729. nonnulli *hepatitidem*, aliasque febres *inflammatorias* incurrerint, in plurimis vero *catarrhales* malignæ petechizantes in conspectum prodierint: *April. Maj.* et *Iun.* tam *benignæ* quam *malignæ* catarrhales, cum *variolis* malignitate non carentibus, continuaverint: *Iul. Aug.* et *Septembr.* non modo *catarrhales* malignæ, aliæque *continuæ*, atque ipsa *purpura alba* in puerperis; sed et frequentiores atque pertinaciores *diarrhœæ* æque, ac *tertianæ duplicatæ* observatæ sint: mense *octobr.* multi *anginæ*, *peripneumoniæ*, *pleuritidi*, aliisque febribus *inflammatoriis* obnoxii fuerint: die 21. *Novembr.* tepidiorem excipiente humido-frigida tempestate, præter *malignas*, sæpius adducta *catarrhalis* oborta sit, per *Decembrem* inaudito modo sæviens, atque 4. *Ian.* 1730. nonnisi *nivibus*, atque vento *frigidiori*

gidiori cedens: licet tandem *Ian. Febr.* et *Mart.* anni 1730. *anginæ*, *pleuritides*, *febres malignæ*, *petechiales* visæ sint; semper tamen *prior* illa *epidemica* sub iisdem latuit. Hoc certius, quod hæc *catarrhalis*, alias tum *abundantia* sive *sanguinis*, sive *seri*, nonnunquam *viscidioris*, nonnunquam *impurioris*, præditos, hincque *sanguineo-phlegmaticos* magis invadens, tum *sensibilioribus*, *relaxatis*, vel ob obesiorem, spongiosioremque constitutionem *rarioribus* fibris, vasis *minoribus*, *maioribusque* poris instructos afficiens, tum ratione *ætatis*, modo *infantibus* ob temperamentum *calido-humidum*, *teneriorem* texturam, maioremque *sensibilitatem* ab aëre externo familiaris, modo *adultis* ob naturam *sicciorem*, firmiorem atque *compactiorem* structuram hincque ob maiorem *congestionem* versus pectus tussi *sicca* molesta, modo *senioribus* ob humores *spissiores*, fibrasque de suo *tono* deiectas incommoda: tum ratione sexus, *sequiorem*, ob maiorem *sensibilitatem* infestans: tum eos occupans, qui vel alias huic obnoxii, vel *læsionem* in pectore sentiunt, vel *meticulosi* existunt, vel partes *capitis* atque *colli* glandulosas ab aëre *humido-frigidiori* non satis defendunt; quod inquam, hæc *febris* præterito *anno* tam *contagiosa* fuerit, ut fere *omnes* homines, sine ullo *discrimine*, et eodem *tempore*, et eadem *ratione*, iisdemque *circumstantiis* et *symptomatibus*, more omnium epidemicorum morborum, tam per totam *Europam*, quam *Viennæ*, multo celerius, vehementiusque petierit, quam ullo unquam tempore. Unde etiam est, quod in hac *Civitate* non 60000. hominum, quod novellæ tradidere, sed longe *maior numerus* hanc perpessus sit. Neque enim eadem *cholerico*, neque aliis temperamentis pepercit, sive deinde fuerint *plethorici*, sive *minori* quantitate sangvinis præditi. Neque in hominibus *viscido* abundantibus solum erant spectabiles, sed etiam in illis, qui san-

guinem *fluidiorem*, sufficientique *sero* dilutum obtinuere. Aeque in *macilentos*, ac *obesiores*, æque in robustos ac *debiliores* et sensibiliores, æque in *infantes* ac *adultos*, non modo *juvenes*, verum etiam seniores, cuiuscunque *sexus* fuerint, tam extra *coniugium*, quam in illo viventes, imo et in ipsas *gravidas*, ab epidemicis affectibus alias magis immunes, vehementer grassari cœpit, ita, ut neque *domi* hærentes, neque in *itinere* constitutos intactos reliquerit, sive *diætam* accuratiorem observaverint, sive minus. Etsi vero etiam *injuriis aëris* alias *adsuetos* sæpius aggressa sit, tantum tamen abest, ut hac vice *omnes*, in quibus ob majorem *sensibilitatem* alias continui, gravioresque *catarrhi* vigebant, in eandem inciderint, ut *multi* potius immunes manserint, *Perillustris* quidam *Dominus* mutato *climate* nulla febre *catarrhali*, licet alvi contumaciissima *obstructione* laboraverit, correptus fuerit, atque ex *gravidis*, quamvis in plerisque *debilitates syncopticæ*, *abortus*, aliaque periculosa Symptomata supervenerint, quædam tamen reperta sit, quæ sanguine *viscidiori* non obstante, nihil de eadem perceperit. Gravius decumbebant, nullis *medicamentis* utentes, hocque magis, si corpore calefacto, atque ad *sudorem* disposito, aëri *humido-frigido* sese exposuerint, quod in duabus *Sereniſſimorum Principum* aulis conspeximus. *Contagium* per totam *Europam* præ se ferebat, ut & *activam*, & ad *corruptionem* pronam materiam præsupponat. Quamvis autem *Viennæ* non tanta *malignitate* comparuerit; quanta quidem in *agro Bononiensi*, inque quibusdam locis *Angliæ*, cum ibi *petechiæ*, aliaque periculosiora Symptomata insimul accesserint, atque homines intra *paucos* dies instar pestis e medio sustulerint, nihilominus tamen & hic in altero præ altero major *malignitas* sese prodebat, prouti nempe vel *simplicem* regularem febrem catarrhalem, vel *aliis* morbis

bis gravioribus junctam expertus fuerit, cum hi *posteriores* non solum *anxietates*, pathemata *syncoptica*, *vigilias* extraordinarias, aliaque vehementiora symptomata post se traxerint; sed & in causa fuerint, quod quibusdam non IV. vel VII. sed XIV. vel XXI. demum die febris hæc valedixerit. In *omnibus* malum hoc epidemium *initium* sumsit cum spontanea *lassitudine*, *vigiliis*, *calore* majori, sine ulla tamen *siti*, *pulsu* tardiori, debiliori, suppresso fere, aliisque quæ *malignitati* tribui solent, symptomatibus, quæ comitabatur *inappetentia*, & *tussicula sicca*, tam ob *continuitatem*, quam ob *vehementiam* molesta. *Plerique* horum conquesti modo de *pectoris*, modo de *capitis* congestione, interdum *graviore*, interdum *leviore*, quam presso pede excepit nonnunquam *respiratio difficilis*, nonnunquam *vertigo*, ut & *gravitas capitis*, & *delirium*, & *coryza*, & *sternutatio*. Porro *quamplurimi* præter symptomata recensita afficiebantur vel *dolore dorsi* satis atroci, vel *stupore*, et *dolore articulorum*, *artuumque* tensivo, vel *horrore*, vel *diarrhœa*. In *quibusdam* tamen & alia notatu digna phænomena complicabantur, quæ pro diversitate *subjecti* fuere diversa, ita, ut alii non tam *horripilatione*, quam *horrore intensiori*, atque per *aliquot horas* durante correpti sint, alii *raucedine* laboraverint, alii ob plethoram, *calorem* majorem, *faciei inflationem*, *rheumatismum*, *obnubilationem* atque *obscuritatem visus* experti sint, alios alia occupaverint. Non attingam *dorsi* atque *abdominis* dolorem in *gravidis*, neque mentionem injiciam *anxietatum*, quæ *meticulosos* obruebant sæpius, neque *vomitus* atque *dolores* lumborum in *calculosis* observatos, neque pertinacem sensum *frigoris* in *hystericis* circa futuram sagittalem annotatum adducam; hoc saltim addam, in iis, ubi graviores *morbi* prægressi sunt. non tantum debilitates *syncopticas*; sed & *peri-*

culoſiora in conſpectum prodiiſſe pathemata, quod tum in aliis, tum in *Viro* quodam *Juvene*, nobisque *amico* videre licuit. Is enim exiſtens *habitus* macilentioris, *temperamenti* ſanguineo-melancholici, atque ad *hæmorrhoides cæcas* inclinans, licet ex *febre*, quæ poſt prægreſſam *iram*, *diætam* neglectam in itinere, *acidulas Selteranas*, neque decenti *tempore*, neque decenti *modo* in uſum vocatas, non tantum febris *continuæ*, *malignæ*, atque ob calorem ſummum, ſudorem fere colliquativum, alvi pertinacem obſtructionem, vigilias continuas, deliria, debilitatem pulſus, ſpaſticas torſiones oris, floccorum lectionem, *periculoſiſſimæ* typum præ ſe ferebat; ſed & die XV. in *tertianam duplicatam* tranſiit, ſequente deinceps triplici *tertianæ* ſimplicis *recidiva*, quarum *qualibet*, etſi *exceſſum* in *diæta* pro fundamento habuerit, *diverſiſſimis* tamen *remediis* tractanda erat, ut & *poſtrema* partim die *vacuo* initium ſumſit, partim loco *anticipationis* in prioribus ſpectabilis, *poſtpoſuit*, terminando deinde in febriculam *lentam* cum ſumma *debilitate*, continuo *ſudore*, fœtorem de ſe ſpirante, *purpura alba*, *tuſſicula ſicca*, *œdematibus*, aliisque; licet, inquam, hic Vir optimus ex hac febre *periculoſiſſima* æque ac *intricatiſſima* reſtitutus fuerit, *viresque* jam aliquantum redierint; eidem tamen *catarrhali* menſe *Decembris* expoſitus erat, hocque gravius, quod *deliriis* ferocioribus, *calore* ſummo, *vigiliis* ad diem vij. ſolutionis usque ſtipata fuerit. Progreſſu temporis, atque morbo in *ſtatu* ſuo conſtituto, & *Symptomata* ſenſim aucta ſunt. Pulſus, qui in *principio* fuit *debilis*, jam *fortior*, *celerior* reddebatur, ut de doloribus *pectoris* verſus *hypochondria* ſeſe extendentibus nil dicam. *Deliria* in quibusdam continuabant, plerisque *dolores* maximum faceſſivere negotium, ut neque tuſſire potuerint, ad unum omnes, qui præſente morbo auræ *frigidiori*

temere

temere sese commisere, sudoremque neglexere, vel *gravius*, vel *diutius* decumbebant. Conspexi id ipsum in *Illustriss.* atque *Excellentiss.* quodam sene, plethorico, *binis* vicibus, cum & post *primum* exitum, *catarrho* nondum penitus discusso, multa statim orta sint periculosa Symptomata, *congestio* versus *pectus*, *caput*, *ophthalmia*, *respiratio difficilis*, *anxietates*, *hæmoptysis*, *plenitudo pectoris* e spumido quasi sono inter respirandum colligenda, *pulsus suppressus*, *inquies nocturna* somnum turbans, *lassitudo* summa: & *altera* vice, etsi morbus ad *declinationem* pervenerit, ita, ut sub blanda *diapnoë* blandior *somnus* & *respiratio* accesserint, tantæ tamen *alterationes*, *vigiliæ*, *debilitates* eundem de novo invaserint, ut graviora metuenda fuissent, nisi V. S. *præservandi* fine instituta æque, ac continuis blandis excretionibus, tam per *poros cutis*, quam per *vias urinarias*, atque *alvum* sub specie *diarrhœæ*, quam denique per *tussim* vim morbi a vij. ad XIV. diem laxatam vidissemus. Adducta confirmat mors pauperculi, *hydrocele* simul laborantis, quæ *intumescentiam* totius corporis, ob denegatam *diapnoën* in hypocausto frigidiori excipiebat. Porro *infantes* ob deglutitionem materiæ rejectæ *torminibus* affligebantur: hinc erat *inquies* nocturna. Sic & in *puella* dilatationem *peritonæi* circa inguen dextrum cum metu herniæ, ob tussim *vehementiorem* non modo observavi, verum etiam in *gravida*, præter *dolorem*, qui & in *dorsum*, & *abdomen* sese diffudit, debilitates *syncopticas*, tonsillarum *inflammationem*, *lactisque* e mammis *eruptionem* deprehendi. *Lipothymiæ* utplurimum in *prædebilitatis* increbescebant, ut & *spasticæ strictura* circa *nucham* in vetula quadam, quæ *apoplexia* ante aliquot annos tacta erat. Sed cum morbus hic tam *varius* fuerit, sese transformaverit, ut aliquando febrem *continentem*, sæpissime *continuam*, ali-

quando *intermittentem* mentitus fuerit, quis quæso omnia *Symptomata*, quibus hic morbus exacerbatus est, enarrare queat. Sufficiat ergo, *horrorem* interdum *remissiorem*, interdum *intensiorem*; & per aliquot horas in IV. personis continuantem, *altera vice* non accessisse, cujus per *octo horas* cum *calore* majori, *sudore* copiosiori, *artuum dolore* immani, atq. *hæmoptysi*, durantis, & tamen *secunda* vice non annotati, exemplum præbebat *fœmina* quædam Juvenis, ut & *alius* febrem *catarrhalem* negligens, ex itinere *Taurunensi* redux. Sicuti autem in hoc *horroris* comes erat *dolor pectoris acutus*, *respiratio difficilior*, *calor* intensus, quæ partim ob *calidiorum* adhibitionem, partim ob *loci* in morbo mutationem, *graviora* sequebantur *Symptomata*, *strictura pectoris*, aliarumq. partium pertinaciores, *deliria*, *urinæ suppressio*, *subsultus tendinum*, *vigiliæ*, *pulsus debilis*: ita & XI. die rejectio *materiæ* copiosioris & *rubicundæ*, & *fœtorem* de se spirantis sub *tussi* fortiori in *eodem loco* junctum habuit *dolorem*, ut de *critica* atq. salutari excretione per *poros cutis*, *vias urinarias*, *aluum* sub forma *udoris* æque, ac *diarrhœa*, quæ a vij. usque ad XIV. perdurabant diem, nil adducam. Febres *compositæ* plerumq. ex duabus constabant *acutis*, *continente* nempe atque *continua*. Atque harum *tres species* occurrebant. Vel enim *catharrhalis* & *biliosa*, sicque duæ *continuæ*, vomitu *bilioso* initium sumentes, complicabantur, vel *catarrhalis* sociam habuit *continentem*, hincque in aliis, *juvenibus* non modo, verum etiam *senioribus*, ut plurimum IV. vel VII demum die *hæmorrhagia narium* salutari, in aliis *hæmoptysi*, in aliis *vomitu cruento*, in aliis sequioris sexus *hæmorrhagia uteri*, in aliis quatuor tam adsuetis, quam non adsuetis personis *hæmorrhoidibus* conspicua erat, imo *hæmorrhagia* critica per *aluum*, copiosissima, sine ullo incommodo in Juvene XX. circiter annorum, die VII. cum ægri levamine

vamine oborta est, vel *catarrhali* jungebatur in plethoricis, sanguine *viscidiori* præditis, tum *continens*, tum *continua* alia *inflammatoria*. Hinc conquerebantur sæpius de *phrenitide*, febribus *anginosis*, *peripneumonia*, *pleuritide*, *hepatitide*, aliisque. Pleuritidem *veram* animadverti in *gravida*, eaque juvene, plethorica, congestionibus pectoris dedita. Atque licet hæc, præter Symptomata *ordinaria* in febre *catarrhali* perspecta, & *sitim intensam*, *vomitus*, *dolores dorsi* atque *scapularum* experta sit, & II. die morbi V S. celebrata insignem *horrorem* observaverit, & III. partim ultra duas horas infantis *motum* senserit, partim dolor *latius*, versusque *anteriora* extensus fuerit, & V. ob doloris *vehementiam* tussire vix potuerit, donec VI. VII. VIII. *anxietates*, *vigilia*, *deliria*, *diarrhœa* sese exeruerint, & XI. etiam *melius* disposita sub blando *udore*, atque *urina* sedimentum jamiam deponente, *abortum* perpessa fuerit; tamen per Dei gratiam pristinæ *sanitati* restituta est, postquam nempe multum *sanguinis grumosi* per uterum excretum, aliquid *membranosi* a natura ejectum fuerit, atque tandem morbo *purpura rubra* supervenerit. Puer, quem enixa est, cum *septimestris* fuerit, atque in pectore, dorso, capite *inflammatio* adfuerit, diu non vixit, licet S. Baptismate adhuc tinctus sit. Angina *contagiosa* cum *febre* intensiori, majori *congestione* versus caput, *coryza*, *gravitate auditus*, difficultate *respirationis*, *deglutitionis*, *locutionis*, *vigiliis*, *alui obstructione* tum Illustriss. quendam Dominum, tum & Eidem a servitiis existentem *circumstantiis* iisdem eodem infestabat tempore. In utroque enim non modo morbus repetitis V. S. *resolventibus* atque *discutientibus* temperatis, cum *interne*, tum *externe* adhibitis, *clysteribus*, aliisque facta die IV. *discussione* atque excretione *sanguinis* grumosi per *nares* imminuebatur; sed & febris *catarrhalis*, morbo vix ad *declinationem* accedente, sese

sese prodebat, quæ tamen in priori *dolore auris* atque excretione *materiæ* cujusdam solvebatur, licet *angina*, quæ sublata videbatur, ob præmaturam *aëris* mutationem recruduerit. In *declinatione* morbi materiæ *viscosæ* facilior per *tussim* succedebat excretio, quam blandus *udor*, modo citius, modo tradius, comitabatur, ut & *urinæ turbatio*. Vtplurimum hæc *tenuissimam cutem*, vitro adhærescentem ostendebat cum sedimento *roseo-pallido*. Dolor æque in *pectore*, ac circa *hypochondria* remisit, nonnunquam facta dissipatione in *artus*, quod in *gravida* spectare mihi contigit, nonnunquam *auris* dolore sequente. Joh. Nic. *Pechlinus obs. med.* 45. L. II. p. 320. scribit, notum esse, quod vellicata *membrana* tympani, tremula vibratio cum *nervosa* epiglottidis, sicque concussis pulmonibus, ob consensum *tussis* producatur. Unde & ille *dolor* circa *aures* vel consensui *nervorum*, vel congestioni *humorum* tribuendus est. Hoc cessante plerisque, qui *vigiliis* diuturnioribus torquebantur antea, *somnus* obrepserat continuus. Etsi vero excretione materiæ peccantis per *sudorem*, febris hujus vis sublata aut minuta sit, nullaque *exanthemata* sese ostenderint, comparebant tamen in iis, qui *sudorem* neglexere. Hinc non modo post *inunctiones* crebriores puerpera & *rubra*, & ejusdem filia *alba* tentabatur *purpura*; verum etiam facta præmatura *frigoris* admissione nonnulli ob materiam incrassatam *parotidibus*, *bubonibus*, aliisque tumoribus glandulosis infestabantur. Adducta *symptomata* nonnisi per *aliquot* dies perstabant. Erant tamen & alia, quæ per *totum* morbi *decursum* urgebant. Sic inter *omnes* extraordinaria *lassitudo* dominabatur. *Nonnullis* ægrotorum *fluxus hæmorrhoidalis*, aliis *udor* continuus, aliis *diarrhœa*, aliis *vigiliæ* perpetuæ obortæ sunt, quas per *septiduum* durantes deprehendi in *duabus* personis, altera *pleuritica*, altera vero ab aliquot annis suppressione *hæmorrhoidum*

hoidum laborante, V. S. *solitam* prætermittente, alui *obstructioni*, animi *pathematibus*, affectui *oculi* obnoxia, atque *anno* 1729. mense *Septembris* febre *catarrhali* correpta. Febre autem sensim evanescente *lassitudo* in *omnibus* adhuc diu permansit: imo aëri *frigidiori*, sive nocturno, sive alteri sese exponentes, *tussi* diuturniori, *dolorosis stricturis* circa *scapulas*, aliisque atrocioribus vexabantur symptomatibus. Veram atque genuinam *causam* quod attinet, præ aliis noscenda est *proxima*, sive *immediata*, qua detecta non modo *proximiores*, tam *naturales*, quam *nonnaturales*, aliæque patescent. Certum autem atque evictum est, *immediatam*, modo *pulmonum*, modo *faucium*, modo *vicinarum* partium *stasin* constituisse. Hinc enim *motus* humorum *impeditior* hinc ad easdem partes *affluxus* copiosior, hinc ipsa tandem *febris* secundaria, *catarrhalis*. Ex mediatis *proximioribus* humorosa malum hoc insigniter fovebat cum ob nimiam humorum *quantitatem*, ab aëre *humido-frigidiori*, transpirationem impediente, inductam, tum ob *qualitatem* in aliis *spissiorem*, in aliis *acriorem*, ob eandem rationem enatam, tum denique ob *motum* humorum *progressivum*, & ratione *totius* massæ sanguineæ, & ratione *pulmonum* vehementiorem. Quamvis vero alias *temperamentum*, *constitutio corporis*, *fibrarum*, *pororum*, *ætas*, *sexus*, *vitæ genus*, *aliaque*, quæ partium *solidarum* & *fluidarum* dispositionem *naturalem* ostendunt, atque remotiores *naturales* audiunt, plurimum ad hunc morbum faciant, tantum tamen abest, ut hac vice aliquid contribuerint, ut potius *aër*, *cibus*, aliæque causæ *remotiores non naturales* attendendæ fuerint. *Aërem* si spectes, ubique *insolita* vigebat constitutio, quæ tamen hinc inde vel *quantitate*, vel *qualitate*, vel *motu* diversa fuit. Unde & *aër* corpora, dum eadem modo *ambit*, modo *intrat*, innumeris *modis* afficiens, non modo huic febri *catarrhali*

hali per totam *Europam*; ſed & hinc inde *diverſis* Symptomatibus principium dedit. Sic circa *Bononiam*, vicinaſque prouincias, in primis in *convallibus* depreſſioribus, incolæ hoc *gravioribus* pathematibus affligebantur, quo major *preſſio* ab aëre *graviori* nebuloſo in pulmones ibidem exercebatur. Sicuti vero aër *figuræ* atque *proportioni* contentorum acceptum referre debet, quod jam hanc vel illam *qualitatem* obtineat: ita etiam *effluvia* tam *ordinaria*, quam *extraordinaria*, menſe *Novembris* atque *Decembris* anni ſupra citati in aëre per totam Europam diſperſa, *qualitatem* illam *vitioſam* cum eadem communicarunt, a qua nominata *febris* proficiſcebatur. Hic loci enim menſe *Octobris* tempeſtas *placida* ac tepens obſervabatur, quam ſub initium *Novembris* excipiebat alia multum diverſa, *frigida* ſcilicet atque *humida*, *nebuloſa* ſubito ingruens, ut non attingam, aëris *intemperiem*, modo *nebulis* foetidiſſimis, modo *cœlo* magis *ſereno*, conſpicuam, interdum *pluviis*, atque *frigore*, interdum *calore* ſeſe exerentem, præter ſolitum per totum *Novembrem* & *Decembrem* perſeveraſſe, usque dum *ventus* ſeptentrionalis *nitroſis* atque *nivoſis* corpuſculis, quorum copiam huc ſecum deferebat, aëris labes noxias IV. die *Jan.* 1730. elueret. Neque *Viennæ* tantum *inconſtans* aëris conſtitutio erat ſpectabilis; ſed etiam iisdem menſibus per *Hungariam*, *Poloniam*, *Saxoniam*, *Angliam*, *Hiſpaniam*, *Galliam*, *Italiam*, inundationem aliqualem ob *pluvias* copioſiores perpeſſam, *Daniam*, *Sueciam*, *Moſcoviam*, aliasque regiones viſebatur. Cum ergo a copioſioribus *aqueis* particulis, & aër *humidiorem* æque, ac *frigidiorem* qualitatem per totam *Europam* ſub initium *Novembris* nactus ſit, atque ab eadem *relaxatis* fibris, porisque *conſtrictis* transſpiratio *impeditior*, hincque partium *bilioſarum*, aliarumque *inutilium* excretio imminuta, atque

humo-

humorum ad *corruptionem* producta dispositio, mirum non est, ingruente *placidiori* tempestate, humoribus ad vitiosam *resolutionem* jamjam inclinantibus *orgasmum* illatum, sicque febri *catarrhali*, malignæ, datam fuisse occasionem. Evincitur id ipsum ex eo, quod hæc *febris* & sub *initium* Novembris, præsente ubique *simili* constitutione aëris, in *Gallia*, *Anglia*, *Hispania*, *Italia*, *Austria*, *Hungaria*, *Polonia*, licet in *Suecia* prius, in *Helvetia* vero tardius, comparuerit, & sub *finem* Decembris, atque circa principium *anni* 1730. vehementia *frigoris* subsecuti mali hujus vis ubique sublata sit. Licet enim recedente febre *catarrhali* per *Austriam*, aliasque provincias *aliæ* febres spargi cœperint, nec tamen ita prorsus *epidemicæ*, nec iisdem *Symptomatibus* amplius stipatæ fuere. Sicuti vero particulæ *aqueæ* atque *igneæ*, etsi semper in aëre sint præsentes, alias neque *aëri*, neque *homini* tam subitaneam alterationem inducunt: ita in earundem *abundantiam* mense *Nov.* atque *Decembr.* præteriti anni perspectam unice causam rejiciendam censeo. Huic constitutioni favebant & alia *impuriora*, atque *extraordinaria* effluvia, sive a rebus *inanimatis*, sive ab *animatis* in aërem deducta perpendamus. Quod ad primum momentum spectat, nil dicam de influentiis *siderum*; utut veritati consonum, pro diverso situ, atque conjunctione *solis* cum *planetis* diversam materiam *subtilem* in terram deferri, hincque diversas corporis *affectiones* proficisci; paucis saltim addam, *anno* 1729. cum circa *Romam*, *Neapolim*, aliaque loca *Italiæ*, crebriores *terræ motus*, ob *Vesuvium* diutius occlusum sensisse incolas, qui 20. *Decembris* & per *Ducatum Mediolanensem*, & per *Helvetiam* sese ostendebant, tum eosdem 24. *Octobris* hora vj. *matutina* arcem *Fridericianam Hallensem Norvvegorum* æque, ac in *Nericia* civitatem *crebro* hora viij. tanta vehementia

occupasse, ut *caminos* decidentes viderint, tum denique *montem Islandicum*, Schwefelberg dictum, talem concepisse *flammam*, qua territorium ad distantiam ij. milliarium destructum, licet tandem *nivibus* copiosioribus extincta fuerit. Cumque hic ignis occultæ atque *subterraneæ* vi *Heclæ* adscribendus sit, neque illi *motus* Italiæ aliam, nisi similem efficaciam *Vesuvii* pro causa agnoscant, dubium non est, quin hac occasione & *Sulphureæ*, & aliæ *vitiosæ* particulæ per *aërem* longe lateque disseminatæ sint. Harum præsentiam probant *tempestates* cum inauditis atque insolitis *fulminibus* atque *tonitrubus*, & mense *Nov.* atque *Dec.* versus *Neapolim*, in *Monte Pessulano*, circa *Constantiam*, & circa *Hafniam*, *Vratislaviam* &c. *anno* 1730. mense *Ian.* sicque *inconsueto* tempore annotatæ non modo; sed & *phænomena* illa, quæ partim die 16. *Novembris* 1729. in *Hollandia*, *Coloniæ Agrippinæ*, *Francofurti*, *Hanoviæ*, *Lutetiæ Parisiorum*, *Varsoviæ*, partim die 15. *Febr.* 1730. *Viennæ*, circa *Coloniam Allobrogum*, aliaque loca *Helvetiæ*, in *aëre* conspicere licuit. Accedit & hoc, quod civitatibus *populosioribus* incumbens aër *fumeis*, aut aliusmodi *heterogeneis* effluviis scateat. Vnde in his & *gravior*, & *acrior* redditur, præstans deinceps majorem *pressionem* in pulmonibus, ut & *irritationem*. Atque hinc tam illud est, quod *Viennenses*, præsentibus die 4. *Dec.* *nebulis* oculum *vellicantibus*, frequentiori *screatui*, crebrioribusq; *tussibus* expositi fuerint, quam quod *vehementiora* Symptomata in *majoribus* Civitatibus viventes sint perpessi. *Viginosas* regiones si quis adeat, deprehendet aërem multo *humidiorem*. Hinc minor *motus* elevatarum *aquosarum* particularum, hinc tandem major ad *corruptionem* dispositio, cujus testes sunt nebulæ *crassiores*, *fœtidissimæ*. In his ergo locis *gravius* ægrotabant decumbentes, hocque magis, si & aliæ

causæ

causæ *occasionales* sociæ fuerint. Plurimum huc faciebant effluuia *animatorum*. Cum enim *semina* morborum *contagiosa* in subtilissimo, activissimo, corruptionique obnoxio *miasmate* consistant, atque hinc ab *animantibus* longe latequé *fermentescentes* particulæ in aërem deferantur, patet, non modo ab *ægrotis*, hac febre contagiosa laborantibus, in familiarius cum illis versantes effluvia similia vel per *pulmones*, vel per *poros cutis* derivata; verum etiam ob *luem* illam, quæ in *Italia*, *Palatinatu*, *Austria*, *Pannonia*, *Valachia*, *Podolia*, *Wollinia*, *Polonia*, inter *pecora* hinc inde serpebat, innumera *putredinosa* miasmata eodem anno in aërem fuisse dispersa. Hæc deinde & alios *contagione* infecerunt. Etsi enim quidam statuant, quod *contagium* nonnisi in *sua specie* radices agat, atque hinc defendant, *hominum* pestem *bruta* non afficere, *equorum* luem nonnisi in *equos*, *boum* in *boves*, & *suum* in *suillum genus* tantum ire, in alienum minus; vel inde tamen contrarium elucescit, quod & *Moscoviæ*, testante id ipsum *Gothofr. in Chron.* peste *anno* 1655. tantopere sæviente, ut & *corpora* terræ nondum commissa in plateis a *canibus* devorata sint, iidem *rabie* correpti, homines *vivos* dilacerarint; & interdum a *piscibus mortuis* contagio ortum duxerit, & nostro ævo *lues pecorum* tam in *Hungaria*, quam *Austria*, mense *Oct.* & *Nov.* 1729. se prodens febrem *catarrhalem*, initium sumentem cum *turbatione capitis*, atque intra quatriduum vel *hæmorrhagia narium*, vel hæmorrhagia per *aluum*, vel etiam *vomitu stercoreo* terminantem, junctam habuerit, & eodem tempore in *apris* aliquid *purulenti*, innuentis *corruptionem*, inventum sit. Neq. est, cur dubitemus, per *cibos* contagium quoque in homines manasse, cum non modo certo constet, cujusdem nebulonis audaciam eo processisse, ut *pecora* lue hac *demortua* hominibus vendere non eruberit; verum etiam probabile sit, pe-

cora fuisse consumta, in quibus *dispositio morbosa* adfuerat. Producuntur tales morbi eo felicius, si sive *solis*, sive *ignis subterranei* calore in aërem elevatæ *particulæ* decentem *motum* non obtineant. Concluſas enim *aqueas* mox sequitur *corruptio*. Hinc & in multis locis prope litora *Africæ* occidua a *tranquillitatibus*, quam a *procellis* impendentibus magis terra marique timetur, & in insula *Sancti Thomæ* statim a solstitio brumali menses duos, aut amplius *ventis silentibus* incolarum plerique languent, & *tranquillo* tempore *pestis* vehementius in homines grassatur, & circa *Bononiam* in convallibus, ob minorem *circulationem* aëris multi periere. Quemadmodum ergo *motus* aëris, qui *ventum* constituit, sanitati magis conducit: ita & aërem effluviis *pestilentibus* inquinatum emendat sæpius *tonitru* & *fulgur*, unde in tempestate pestilente in quibusdam urbibus populosis *machinæ murales* crebro disploduntur, & pulsantur *campanæ*. Neque tamen hinc omnis ventus pro *salubri* habendus est, cum *meridianus* corruptioni faveat, atque solus *Septentrionalis*, a plagis *nivosis* impetuose descendens, particulasque *nitrosas* secum ferens, aërem *puriorem* reddat. Atque hæc est ratio, cur non modo in *Lesbo*, flante *Austro*, incolæ ægrotent, *Coo* tussire ferantur, superveniente *Aquilone* protinus convalescant; sed & vento *frigidiori* suborto febris *catarrhalis* vis minuta atque sublata sit. *Prognosin* ratione *vitæ* & *mortis* quod attinet, tenendum est, febrem hanc, quamquam *Viennæ* omnes cum summa *lassitudine*, *vigiliis* continuis, *deliriis*, *dissimulatione* symptomatum, aliisque signis *malignitatis* aggressa sit, atque *gravidæ* nonnunquam debilitatibus *syncopticis*, nonnunquam *abortui* expositæ fuerint, in aliis *hæmoptysin*, *vomitum cruentum*, *phrenitidem*, *anginam*, *peripneumoniam*, *pleuritidem*, *hepatitidem*, aliaque *periculosiora* Symptomata socia habuerit, qualia

qualia in *plethoricis*, defectu *viſceris* laborantibus, inprimis *humoribus* male conſtitutis, animadvertimus, neminem tamen e *medio* ſuſtuliſſe. In *Helvetia* ab eadem, quam modo deſcripſi, febre nemo enectus. At e contra *Lutetiæ Pariſiorum* multis *exitioſa* erat, utut in *Anglia*, *Hiſpania*, *Italia*, atque *Polonia* adhuc pluribus *funeſta* fuerit. Etenim *Leopoli* pauci ſervati; *Ferrariæ* atque *Ravennæ* tot tantique hominum obiere, ut magiſtratus *Bononienſis* incolis acceſſum denegare voluerit; imo *Londini* medio *Nov.* intra *ſeptimanam* 908, atque deinde *majorem numerum*, quam quidem *anno* 1665. tempore *peſtis*, illata ſtrages excrevit. Si *prognoſin* ratione *modi* eventus attendamus, terminabatur partim *ſtaſeos* rheumaticæ *diſſipatione*, partim materiæ peccantis *excretione* ſalutari. Sic *ſomnus*, atque *reſpiratio* facilior ſub continua *diapnoë* æque, ac *turbatione urinæ*, in aliis jam poſt *primam exacerbationem*, in aliis, & ut plurimum IV. vel VII. in aliis quoque XIV. die accedebant; ut taceam de ejectione *copioſioris* materiæ per *tuſſim*, atque *rubicundæ* illius *fœtidæ*, quam in *pleuritico* gravius decumbente XI. cum levamine rejectam conſpeximus. Febris *continentis* interdum conjunctæ inſeparabilis comes erat *hæmorrhagia*, nonnunquam per *nares*, nonnunquam per *vaſa hæmorrhoidalia*, aliquando IV. aliquando vij. die, nonnunquam *parcior*, nonnunquam *copioſior* fuit obſervata, ut in Juvene XX. annorum, nunquam *hæmorrhoides* experto, & tamen die vij. ultra menſuram *ſanguinis floridioris* cum *ſolutione* morbi dejiciente. Sic & *uteri hæmorrhagia* largior in *puerpera*, quæ XI. die *abortum* perpeſſa eſt, oborta *ſalutaris*, qualia exempla in *vaccis* quidam habuere. Staſeos rheumaticæ *diſſipationem* probat *dolor pectoris* verſus *hypochondria* deſcendens, qui & in *artus*, & *aurem* nonnunquam ſeſe diffudit; ut & excretio lymphæ *cruentæ*

entæ secuta sit. Diarrhœa neque *solvebatur*, neque *gravior* reddebatur morbus. Nonnulli ægrotorum modo *liberiori aëri* sese exponentes maturius, modo *inunctiones* in usum vocantes, *sudorem* neglexere, quorum hi *symptomata acerbiora* non modo, verum etiam in *declinatione* morbi *purpuram* incurrebant, illi vero vel vehementiores *congestiones* versus *caput*, *pectus*, *ophthalmiam*, *catarrhum suffocativum*, *hæmoptysin* sensere, vel de *chronico* atque *pertinaciori* catarrho conquesti, vel etiam *tumoribus glandulosis* interdum circa *aures*, interdum circa *tonsillas*, interdum circa *inguen* infestabantur. Ex omnibus, quos sub mea hubui *cura*, habui autem quamplurimos, atque ultra ducentos, nonnisi *duo* sunt mortui, quorum alter *itineri*, durante morbo sese committens, alibi in *lethalem* morbum incidit, alter vero pauperculus, ob *sudoris* neglectionem, aliasque circumstantias *hydrope* funesto occupabatur. At *petechiis*, huic morbo in *agro Bononiensi*, *Britannia minori*, *Anglia* supervenientibus plerique sunt enecti. *Angina* quoque *Lincoloniæ* comparuit, quod pessimum atque *exitiosum* erat signum. Affectus hic, ratione *temporis* eventus, instar aliarum febrium *malignarum* cito sua decurrebat tempora, ita, ut plurimum *Viennæ* vel IV. vel VII. die crisi *salutari* solutus sit. Etsi vero in *Anglia* idem sub *initium* annotatum sit, grassari tamen *vehementius* deinde & in his locis, & circa *Bononiam*, *Florentiæ*, *Mediolani*, & per totam *Podoliam* cepit, ut intra *paucos* dies instar pestis plurimos e medio sustulerit. *Venæ Sectio* in *tussi* illa epidemica, quæ *anno* 1669. *æstivo* tempore cum *pleuritide* in conspectum prodiit, atque de qua *Thom. Bartholinus Ephem. Germ. D. I. A. I. p.* 130. agit, locum non habuit. E contrario in febre catarrhali, *anno* 1675. *Viennæ*, *Posonii*, aliisque in locis *populatim* sæviente, multi auctorum, & inter eos præcipui *Car. Raygerus*, *Thom.*

Thom. Sydenham, & *Paul. de Sorbait* l. c. *Venæ Sectionem* extollunt tanquam remedium præcipuum ac præsentissimum. In nostra deprehendimus, Venæ sectionem in *plethoricis*, *gravidis*, *adsuetis*, ad *apoplexiam*, *catarrhum suffocativum* dispositis, vel *angina*, *peripneumonia*, *pleuritide*, *hepatitide*, *hæmoptysi*, *vomitu cruento*, atque febre *continente* laborantibus, sub *initium* institutam, non modo *lassitudinem*, *cephalalgiam*, *vigilias*, *spasticas strictur as in pectore*, *dorso*, aliisque partibus sustulisse; verum etiam omnia *Symptomata* reliqua minuisse. Sicuti igitur in his subjectis ventilatio sanguinis & *utilis*, & *necessaria* erat: ita in iis, qui vel a prægressis *morbis* gravioribus *prædebilitati* fuere, vel me *non statim* in consilium vocarunt, vel *brevi antea* V. S. usi sunt, eandem *nunquam* celebravi. In *omnibus* porro eo in primis intentio dirigenda erat, ut *maligna* atque contagiosa illa materia, quam brevi temporis spatio intima *corruptio* sæpius excipit, in tempore ex corpore *eliminaretur*. Cumque hæc sub *halitus* forma corpus occupaverit, hinc eadem rursus per *poros cutis* sub continua, blanda, atque æquali *diapnoë* discutienda erat. Unde temperata *diapnoica*, *diaphoretica* fixa, *antimon. diaph.* aliaque, quæ absque vehementiori commotione operationem suam edunt, *absorbentia ostracodermata*, quæ *acrimoniam* salino-sulphuream, sanguini *orgasmum* inducentem, atque *sudorem* impedientem, partim *absorbendo* corrigunt, partim per *diuresin* educunt, omne hic tulere punctum. Eadem remedia cum celeberrimus *Car. Raygerus* in Pannonia, tum *Adamus a Lebenvvaldt* in febre *catarrhali* epidemice dominante in *Stiria*, tum *Londinenses* hac vice cum V. S. sub *initium* cum successu adhibuere. In *plethoricis*, quibus alexipharmaca calidiora, sudorifera, *Spir. Sal. armon.* similiaque propinata fuere, sequebantur *congestiones majores* ver-

ſus ſuperiora, *deliria*, *fortiores pectoris oppreſſiones*, *inquietudines*, *ſubſultus tendinum*, *ſuppreſſio urinæ*, quibus & *temperatiora* deinde medicamenta exhibenda erant. *Purgantia*, quæ nonnulli aſſumſere, *vomitoria*, nullum hic invenere locum, imo omnes, quibus præſcripta ſunt, majores *ſtaſeos* materiæ acris *commotiones* incurrebant, eorum etiam una *hæmoptyſi* corripiebatur. Sufficientem opem omnibus tulit modo *pulviſculus* ex abſorbente, antim. diaph. arcan. dupl. addito interdum nitr. dep. concinnatus, modo *potio* ex aquis diapnoicis, abſorbentibus, atque antimon. diaph. conſtans, modo *emulſio* parata ex ſemine card. Mar. *Symptomatibus* ex proprio *fonte* ſuccurrebam, ita, ut *ſpaſticis ſtricturis* præſentibus *cinnabarina* addiderim, *alvi obſtructioni humectantia* oppoſuerim, in *diarrhœa* non modo *arcan. dupl.* omiſerim; verum etiam regimen *diapnoicum* tanto magis injunxerim. *Adſtringentium*, *narcoticorum*, *opiatorum* uſum, quamvis multi Auctorum ea ſuadeant, experiri nolui, cum *Olaus Borrichius de ſomno & ſomniferis p. m.* 34. referat, quendam applicato *empl. opiato* ſolum in *raſo vertice*, ex *catarrho pituitoſo* in gravem *paralyſin* incidiſſe. *Nitroſo-cinnabarina*, *emulſiones*, *potiones anale-pticæ* conjunctis *bezoardicis*, tempore continuarum *vigiliarum* data, ad *ſomnum* placidum ægrotos diſpoſuere. Quodſi affectus *anginoſi* ſupervenerunt, repetitis *Venæ ſectionibus* atque *clyſteribus*, tandem interne *digeſtiva* cum temperatioribus *diapnoicis* ordinavi, externe vero *Cataplaſmata diſcutientia*, *Gargariſmata*, atque *injectiones* commendavi, quorum uſum, quousque penitus remiſit morbus, continuavimus. Ab *expectorantibus* in tuſſi *ſicca* penitus abſtinui. Ex iis, qui in *publicum* prodire coacti ſunt, nulli *diapnoica* dedi, inſiſtens magis *præcipitantibus*, utut nonniſi blandioribus *diapnoicis* & *materia noxia* in *declinatione*

mali

mali penitus proscribenda fuerit, & *dolores* circa *scapulas* in quibusdam remanentes auscultaverint. *Diætam* quod spectat, neque *durante* morbo, neque eo *superato*, auræ *frigidiori* committendus erat æger, hocque minus, si *diarrhœa* adfuerit. Victa etiam febre, omnis tamen *excessus* ratione *cibi* & *potus* vitandus erat. Jusculà, atque infusa instar thee ex *rad. scorzon.* cum *hyssop. veron.* atque *sem fœnic* in frequenti usu habui. Et animadverti, tam his observatis, quam accedente insimul cum *corporis*, tum *animi* continentia tranquilla, omnes per Dei gratiam pristinæ restitutos esse sanitati.

CONSTITVTIO EPIDEMICA ANNI MDCCXXX.

QUalem sub *exitu anni* 1729. constitutionem *aëris* generalem habuimus, talis per *triduum* etiam *primum* Anni 1730. *Viennæ* stetit, nempe utplurimum *humidior*, *frigidior*, cum *nebulis* in *pluvias* abeuntibus. Atque licet vehementia *Aquilonis* cum *nivibus* 4. *Jan.* sese exerentis, vitiosam hanc atque *inconstantem* aëris qualitatem sublatam arbitrati sumus, tantum tamen abfuit, ut cessaverit, ut potius eadem *inconstantia* redierit, tempestatem *frigidam* die 10. *placidior* ac *pluviosa* exceperit, huic non modo 16. *frigidior*, *nivibus* atque *ventis* tumultuaria, verum etiam 30. denuo alia multum *diversa*, atque eadem die mane *calidiori*, a meridie *frigidiori* vento, modo *pluviis*, modo *nivibus* conspicua, successerit. Similis aëris *alternatio* spectabilis erat per totum *Februarium*. Sub *initium* enim aër *frigidior* cum *nivibus* ingruebat, in *progressu tepidior*, utplurimum *nebulis*, vel matutinis, vel vespertinis, quandoque & *pluviis* nocturnis sese prodens, qualis ad *postremos* usque

Februarii dies perſeverabat, ut de *cœli ardentis* phœnomeno, quod 15. die circa veſperam *Viennenſium* oculos ac mentem in ſe converterat, nil dicam. *Martii* ingreſſus *nivoſus* ſubito cum *pluvioſo* aëre commutabatur, imo ob pluvias *copioſas* & frequentes, cum cœlum, ſi paucos *amœnos* dies exceperis, plerumque *obnubilum*, & obſitum tenebris erat, tum ad *finem* uſque menſis iſte *humido-frigidus* permanſit. Similes *viciſſitudines* ratione *frigoris* eadem *hyeme* per totam *Europam* obſervare licuit. *Januarii* enim conſtitutionem ſi examines, & *Halæ Saxonum* erat *pluvioſa* die ij, qua hora viij. veſpertina ſeſe incolis in nubibus aliquantulum nebuloſis *halo* obtulit, & *Londini* xij. *placidior*, tamque *nebuloſa* comparuit ut iam *quarta* pomeridiana faces accendere coacti fuerint, & *Neapoli* XVII. aërem blandiorem *frigidior* æque, ac *tumultuoſior* ſecutus eſt, flamma *Veſuvii* etiam invaleſcente, & *Varſoviæ* XIX. *frigus* intendebatur, *Hafniæ*, *Vratislaviæ*, *Soraviæque* ingens ſub *exitu* tempeſtas cum *fulguribus* & *tonitrubus*, *nivibus* ac *pluviis* oborta eſt. Sic *Februarius* tam *frigidior* atque *nivoſus* ſub *principium* non ſolum *Varſoviæ*; ſed & *Venetiis*, quam *depidior* magisque *pluvioſus* poſtmodum in poſteriori loco, *Monte Peſſulano*, *Aleſia*, *S. Hipolyte*, aliisque Civitatibus vicinis in conſpectum prodiit, ita, ut Conſtitutionem *Viennenſem* ubique fere repræſentaverit. Sed nec *lumen boreale* extraneos fugiebat, licet neque eadem *die*, neque iiſdem *circumſtantiis* Europam omnem ſua luce compleverit. Alibi enim jam IV. quod *Moſcoviæ*, *Petripoli*, *Revaliæque* degentes teſtantur, alibi, & quidem *Varſoviæ*, *Vratislaviæ*, *Tiguri*, *Bernæ*, *Coloniæ Allobrogum*, *Romæ* atque *Florentiæ* XV. viſebatur, alibi aliæ quoque *circumſtantiæ* acceſſere. Non adducam, præter *phænomena* huic ſumini *communia*, & in *Helvetia*, & *Petriburgi* binos *arcus* oculis occurriſſe, altero

in

in *boreali*, altero in *australi* plaga apparente: neque attingam, materiam *phosphorescentem*, radiis ex *priori arcu* exurgentibus, atque variis *coruscationibus* conspicuam, tandem & in *alterum* fuisse compulsam, ibique *clariori* reluxisse luce, disparentibus in *priori* successive *columnis* radiantibus: neque mentionem injiciam *susurri* illius, quem *Petripoli* radiis motu tremulo procurrentibus nonnulli perceperunt, multo minus *colorum* sæpius jam annotatorum. Hoc saltim addam, idem non modo *Romæ* atque *Revaliæ* diutius durasse; verum etiam *Moscoviæ* sequenti nocte recurrisse, utut minoris fuerit momenti. *Martius* utplurimum *nivosus*, *pluviosus* fuit. Hinc observabatur aura *humidior* & *frigidior*, in nonnullis locis *aquæ nivalis* major *confluxus*, qualem in circulo Suevico *Hornbergenses* maximo suo damno experti sunt. *Leopoli* tamen atque in *Svecia nives* copiosiores circa *æquinoctium* vernale cadentes, acerbissimum excipiebat *frigus*, ut & *Holmiæ* lacus per totam hanc hyemem non concrescentes tandem frigoribus conglaciarint. Eadem ergo perquam anomala atque *irregulari* crasi aëris per omnem *hyemem* ubique manente, mirum non est, hanc & eosdem peperisse *morbos* alibi, quos genuerat *Viennæ*. Hoc tum in aliis liquebat *febribus*, tum magis peculiariter in *catarrhalibus* mensis *Sept.* & *Dec.* 1729. Sicuti enim hæ *posteriores*, quæ *anno* citato epidemice per *Europam* grassatæ sunt, sensibili aëris *qualitati* in acceptum referri debent, quod illis *mensibus* exortæ sint; ita etiam qualitati *frigidiori*, quæ in *Januarium* incidebat, earum *imminutionem* unice adscribendam esse censeo. Vnde etiam est, quod *Viennæ* IV. *Jan.* vehementia *frigoris* derepente sublatæ sint, alibi vero ob frigus *tardius* ingruens *diutius* continuaverint. Hinc *Bononiæ*, in *Ducatu Mantuano*, *Ferrarienſi*, *Mutinenſi*, aliisque *Longobardiæ* partibus, itemque in *Sabaudia*, *Delphinatu*, *Marsiliæ*, perdiu perseverarunt.

runt. His recedentibus novæ *febres* invaleſcebant, Neque *numero* tantum erant ſpectabiles in *Agro Brixiano*, ſed etiam ob anceps illud *periculum*, in quod eos, quos in *Podolia*, *Britannia minori*, *Florentiæ* affecerant, conjiciebant. *Viennæ* febris hæc *maligna* ſub *diverſo ſchemate* prodiit, ita, ut in aliis *ſimplicem* continuam, nonnunquam nullis *exanthematibus* ſtipatam, & tamen *diarrhœa*, *vigiliis*, *deliriis*, *motibus convulſivis*, aliisque periculoſioribus ſymptomatibus ſeſe exerentem, nonnunquam *petechialem* repræſentaverit, in aliis etiam *complicata*, atque modo cum *inflammatoria*, vel *angina* vera, graviori, vel *pleuritide* interdum *vera* cum ſputo cruento, interdum *ſpuria*, vel *hepatitide* periculoſiori, ob diarrhœam, vigilias, deliria, conjuncta, fuerit, modo cum *intermittente* comparuerit. Nullis *exanthematibus* conſpicua, continua aliquando iam IV. quod in *teneriori* ætate annotare licuit, utplurimum XIV. die in *adultis* diſparuit, ſemper tamen ſub blanda *diapnoë* atque *turbatione* urinæ ſolvebatur. In *petechiali* decens regimen *diapnoicum* præ aliis attendendum erat, quo non obſervato *Symptomata* exacerbabantur, ut pauciſſimi evaſerint, ſive deinde V. S. in uſum vocaverint, ſive minus, quorum *poſteriores* hoc proximiores morti fuere, ſi & in morbo *purgans* aliquod aſſumſerint. Sic *Domina* ſenectute confecta, atque alias interdum *calculo*, interdum *hæmorrhagiis narium* nimiis obnoxia, tam V. S. quam *diapnoë*, aliisque neglectis, non modo *hæmorrhagias*, *diarrhœam*, *catarrhum ſuffocativum*, *deliria* continua incurrit; ſed & IX. die violentia morbi conſumta eſt. Aliud exemplum præbuit quidam *Juvenis*, viginti aliquot annorum, qui, etſi ſtatim ſub *initium* V. S. inſtituta ſit, *probatiſſimaque* remedia exhibita fuerint, poſt frequentiorem tamen, aluo reſpondente, corporis *refrigerationem* incidit in *diarrhœam*, *vigilias*, *deliria* continua, *hæmorrhagiam narium* ſym-

ſymptomaticam,& die viij. *purpuram albam*, ipſamque *aphoniam* lethalem. Tandem unus, prætermiſſa *Venæ Sectione*, in eadem febre petechiali *purgans*, me nondum in conſilium vocato adhibuit, ubi res deſperata fuit. Sequebantur enim multa ſtatim periculoſa ſymptomata, *diarrhœa*, *animi abjectio*, *anxietates*, *vultus ferox*, *vigiliæ* continuæ, *deliria*, atque die XII. ipſa *mors*, utut vij *hæmorrhagia narium* oborta ſit, *ſudor* acceſſerit, *urina* ſedimentum depoſuerit, *diarrhœa* ceſſaverit, atque *veſicatoria* ſufficientem effectum ediderint. Fatendum etiam eſt, peculiarem *Januarii* indolem atque conſtitutionem, cum *quartanam* illam *duplicem* chronicam, *ædematibus*, *infarctuque lienis* occurrentem, atque *incidentibus*, *digeſtivis*, *blandioribus laxantibus*, febrifugoque *Nic. de Blegny*, ex malis aurantiis amaris cum vino albo parato cedentem, tum *tertianas* diuturniores, aliasque multum fuiſſe, quod aliæ *intermittentes* hoc,& ſequenti *menſe* invadentes teſtatum faciunt. Aliquando enim his ſub *initium* jungebatur *continua*, remanente deinceps *ſimplice*, ſive *tertiana*, ſive *quotidiana*, aliquando etiam ſub *finem* accedebat; ut in Juvene quodam, cui menſe *Februario* in *quotidiana* chronica ſupervenit *purpura*. Sicuti vero nominato menſe *Febr.* non ſolum febres *catarrhales Lutetiæ Pariſiorum*, *Verſaliæ*, *Gratianopoli*, *Marſiliæ*, *Camberii*, *Romæ*, *Liburni*, perque *Ducatum Mutinenſem* adhuc dum ſpargebantur; verum etiam *aliæ* funeſtæ, *Auguſtæ Taurinorum*, *Mediolani*, *Bononiæque* viſebantur, ut de *lue pecorum* circa *Laudenſem agrum* infeſtante nil tradam: ita *Viennæ* præter *congeſtiones* verſus partes ſuperiores, *rheumatiſmos*, modo *clavum hyſtericum*, cujus comes erat *febricula* ſtata hora rediens, modo *odontalgiam* contumaciorem poſt ſe trahentes, atque *apoplexias*, febres *continuæ malignæ* continuarunt. Harum aliæ fuerunt *exanthematicæ*, erumpen-

ti-

tibus vel *petechiis*, vel *purpura*, vel *morbillis*, aliæ *nullas* ad corporis peripheriam *ejectiones* proferebant, quarum tamen poſterioribus, ob ſummam *virium proſtrationem*, *vigilias*, *deliria*, *motus convulſivos* neque *hic* loci, neque *Ruſtini* in *Hungaria* multum fidei habendum erat. Etſi vero multi ægrotorum, quod ſupra monui, curam a *purgantibus* incipiant, & ex his in febre *petechiali* nullum unquam reſtitutum fuiſſe ſcribat Parens pie defunctus, in *Hiſtoria Epidemica Hungariæ*, idemque & ego in mea praxi notaverim, *fœmina* tamen quædam hoc *menſe* etiam ſervata. Hoc autem notatu dignior eſt hic caſus, quod eadem perſona febre *petechiali* detenta, & *laxans* ſub initium aſſumſerit, & *exanthematibus* jam præſentibus V. S. celebrandam curaverit. Unde accerſitus tandem deprehendi *exanthematum* retroceſſionem. Affectus hinc indies invaluit, & ſecuta ſunt non ſolum brevi *deglutitio difficilis*, *anxietates*, *ſubſultus tendinum*, *pavores ſub ſomno*, *deliria*; ſed & XIII. die tam *petechiæ nigræ*, quam *purpura alba*, quibus ſeſe *auditus difficultas*, atque *rigiditas totius corporis* adjunxere, ut & *ſoporoſa affectio*. Morbum igitur hunc in peſſimis ſignis conſtitutum, atque *lethalem* pronuntiavi. Sed tantum abeſt, ut *exitioſus* decumbenti fuerit, ut potius adhibitis mature *Veſicatoriis*, blandamque *diapnoën* promoventibus, ſenſim atque ſenſim ſub *ſecunda* purpuræ *albæ* eruptione, *quarta* ſeptimana contingente Symptomata remiſerint, atque patiens ab hoc affectu *periculoſiſſimo*, præter omnium opinionem ac ſpem liberata ſit. Menſe *Martio* partim *catarrhales Florentiæ*, *Neapoli*, *Anticariæ*, partim *morbilli Lutetiæ Pariſiorum*, partim aliæ *malignæ*, atque intra paucos dies *lethales Bialæ Polonorum* ſeſe ſiſtebant. Eodem tempore *Viennæ* ſeſe offerebant *congeſtiones*, tam in *junioribus*, quam in *media*, quam etiam in *conſiſtente* ætate, jam verſus *nares*, jam verſus *pulmones*

magis

magis tendentes. Nonnunquam evacuatio *sanguinis* per *nares*, nonnunquam excretio *seroso-mucidæ* materiæ vel in *coryza*, vel in *tussi humida* succedebat, quandoque *nulla* fuit observata, humoribus nempe congestis in *stagnationem* deductis. Unde varii denuo *affectus* pendebant. Inde enim non tantum *tumor* nonnihil rubicundus, sed nequaquam inflammatorius, *Cheilocace* dictus, de quo *Arnoldus Bootius obs. med. de affectibus omissis* p. 30. C. X. pluribus egit, in *adulto* nascebatur; verum etiam *inflammationes*, nunc in in partibus *externis*, *tonsillis* atque *dentium periosteo*, nunc in *internis*, sive *anginam* veram cum febre, sive *splenitidem* mensibus instantibus spectes, obortæ sunt. Neque *malignæ* febres minuebantur, sed in aliis sub *simplicis*, in aliis sub *compositæ* adparuere schemate, quarum *prior* aliquando *continentis*, plerumque vero indolem *continuæ* habuit. Atque hæc *posterior* huic ob *cephalalgiam*, *dolorem pectoris* molesta erat, illi gravior ob *catarrhum*, atque *debilitates syncopticas*, isti periculosior ob *vigilias*, *deliria*, *diarrhœam*, *torsiones oris* XI. die apparentes, in omnibus ob *anxietates*, *abjectionem animi*, *summam virium prostrationem* vehementior, hocque magis, si *purpura alba*, vel *petechiis* supervenientibus non rite tractata fuerit. Sic in robusto quodam Juvene notavi febrem *petechialem*, ob *purgans* repetitis vicibus sub *initium* morbi assumtum, intra paucos dies *funestam* æque, ac *latioribus livescentibusque* exanthematibus stipatam. In *fœmina*, quæ in *purpura* doloribus *spastico-arthriticis* varia *unguenta* & *linimenta* opposuit, ob impeditam hinc *transpirationem*, *menses*, mox disparentes, *Venæ Sectionemque* neglectam, quæ hic loci utplurimum necessaria est, non modo *graviorem* statum animadverti; sed & *periculosiorem* judicavi. Sed ecce, *temperatis diapnoicis* per aliquot dies usurpatis, erumpente purpura *alba* copiosissima &

dolores, aliaque symtomata mitigabantur, & *febris* hæc intra spatium XXI. dierum solvebatur, etsi *dolores arthriticos* diutius adhuc senserit, sublatos successive *antispasticis*, *laxantibusque* blandioribus. *Simplex* hæc *maligna* febris interdum *inflammatoriam*, interdum *continentem* junctam habuit, ubi remedium præcipuum erat V. S. Hac vero prætermissa, quamvis optima etiam *medicamenta* propinata fuerint, irrita sæpe fuere omnia. Id ipsum videre licuit in *virgine* quadam juvene. Licet enim in eadem ob *plethoram*, *menses* alias *parciores*, tanto magis V. S. in *continente* febre commendaverim, monito tamen hoc salutari non auscultabat Parens. Vnde mirum non est, quod *mensibus* sub *initium* quidem accedentibus, mox tamen iterum cessantibus, *summam lassitudinem*, *dolores spastico - arthriticos*, *cephalalgiam*, *vigilias* sub *principium* jam præsentes, plura secuta sint periculosa symtomata, *dolor dorsi*, *major congestio versus caput*, *acerbior dolor capitis*, *propensio ad somnum profundiorem*, *auditus difficultas*, *hæmorrhagiæ largiores*, *ad debilitates syncopticas usque*, *sudor frigidus*, atque die viij. *motus convulsivi*, ipsaque *mors*. Aprilis, sicuti sua natura alias *mutabilis*, ita & hoc anno Viennæ *inconstantiam* suam prodidit. Sub *initium* enim *serenus* comparuit, sed *triduo* elapso alia multum diversa *tempestas* ingruebat, nunc *pluviis*, nunc *nivibus* sese exerens. *Humidam* hanc atque *frigidam* in *progressu tepidior* ac *amœnior* excipiebat, imo & huic *postremis tribus* diebus denuo *horrida* magis, atque *tumultuosa* ob *ventos*, *pluvias*, *nives* succedebat. *Majus* utplurimum, in primis sub principium, *pluviosius*, hincque *humido-frigidus* oboriebatur, quandoque tamen & *serenior*, *placidior*, tam *prioribus* diebus, quam sigillatim sub *finem* observabatur, ut nec de *tonitrubus* & *fulminibus* crebrioribus die viij. atque XX. recurrentibus, nec de *gradine*, quæ X. cadebat, quicquam ad-

adducam. Toto *Junio* exoptata habuimus tempora, *calores*, sæpe *pluviæ* nocturnæ amœnissimæ, interdum mitis atque leniſſimus *ventus* contemperabant. *Vere* toto quanto constitutio aëris eadem fere manſit in aliis *Europæ* regionibus, atque hic locorum erat. *Aprilis* enim ſub introitum *Holmiæ*, remittente *frigore* blandior notabatur, deinceps *Uſtæ*, perque totam *Bohemiam* pluvioſus, *humido - frigidus* ſentiebatur, tandem *calidior* ſuccedens non modo glaciem *Petripoli* ſolvebat, verum etiam in *Polonia* perexigua & perminuta *flumina* reddebat. *Majus* & *Junius* alibi quoque magis *pluvioſi* fuere, cum ille tam ob *nives* junctas *pluviis Cracoviæ*, quam ob ingentes *tempeſtates* cum *fulguribus*, *tonitrubus*, horridis *grandinibus*, & *ventis* violentis *Coloniæ Agrippinæ*, *Heudenæ*, variis in locis *provinciæ Ultrajectinæ*, *Dromoriæ*, *Walvici*, *Bardewici*, in *Saveria*, *Epiſcopatu Monaſterienſi*, *Suſati*, *Berolini*, *Halæ Saxonum* exortas, *ſubfrigidus* atque inamœnus permanſerit, hic vero poſterior tam *turbulenta* tempeſtate ſeſe exhibuerit, ut modo *fulguribus* gravioribus *Polonis* atque *Berolinenſibus*, modo *grandinibus* in *Barcheria*, *Volhynia* degentibus, modo *ventis* vehementioribus incolis *circuli Burgundici* damnum intulerit, modo ob frequentes copioſiſſimasque *pluvias Molybergæ* intempeſtivus fuerit, *Cameneciæ* atque circa *Halam Madeburgicam* viventibus diſruptis *piſcinis* multum moleſtiæ aſperſerit, atque in *Valachia* iam *homines*, iam *pecora*, dum circumfluerent aquis, atque in harum abundantia viverent, e medio ſuſtulerit. Si *morbos* cum *vere* ſurgente increbeſcentes, atque ad *ſolſtitium* æſtivum uſque infeſtantes reputemus, ob ſimilem *aëris* conſtitutionem ubique vigentem eoſdem hic regnaſſe liquet, qui homines adorti ſunt alibi. Menſe *Aprili*, *Majo*, *Junio* enim cum *intermittentes*, tertianæ in *Italia*, tum *continuæ*, vel

nulla *exanthemata* emittentes, *malignitate* tamen non carentes, atque nunc *catarrhales* anginodes *Lutetiæ Parisiorum*, inque *Ducatu Ferrarienſi*, nunc *alias* circa *Guardiſtallum* repræſentantes, vel *exanthematicæ*, tam ſub *vario Moſcoviæ*, *Holmiæ*, *Nemauſi*, *Cazallæ* ſeſe ſiſtentes, quam ſub *peſtis* ſchemate in *Poaolia* adparentes, febres graſſabantur. In quibusdam locis & *alii* viſebantur morbi. Sic lues *pecora* aggrediebatur in *Germania*, *dyſenteria* in caſtrorum metatione circa *Molybergam* milites afficiebat *Junio*, *apoplexia* atque *podagra* præter ſolitum eodem menſe homines *Moſcoviæ* invadebant. *Viennæ* menſibus *vernis* ſeſe offerebant *congeſtiones* verſus *pectus*, *caput* in hæmorrhoidariis, ſanguineque *ſpiſſiori* præditis, *rheumatiſmus capitis* ob menſes parciores, *lumbago rheumatica*, *cephalæa* cum febre, *ophthalmia*, *odontalgia*, adfectus *ſpaſtico-arthritici*, arthritis *fixa* poſt iram, atque exceſſus ratione potus in hæmorrhoidario commiſſos, *malum iſchiadicum* refrigeratione prægreſſa, *chiragra* poſt animi excandeſcentiam, *podagra* menſibus poſt terrorem diſparentibus, febres *intermittentes*, *quotidianæ*, etiam *infantibus* familiares, *tertianæ*, in aliis *anticipantes*, in aliis *poſtponentes*, *quartanæ* ſi non ſolis ſalibus *digeſtivis*, atque viſcidum incidentibus, tamen pulveri Lentilii ex *cort. fraxin. rad. gentiam. rubr.* atque *ſale abſinthii* concinnato cedentes. Præter has *continuæ* continuarunt, non ſolum *primariæ*, ſed & ex *ſecundariis*, inflammatoriis, *peripneumonia* atque *pleuripneumonia*. Poſteriori juncto ſputo *cruento*, atque graviori *febre* laborabat quidam *Juvenis*, prior vero reperiebatur cum *aphonia* in *ancilla*, utraque V. S. atque *diapnoicis temperatis* ſublata. Frequentes erant *malignæ*, interdum *ſimplices*, interdum *compoſitæ* exiſtentes. Quandoque enim *continua* complicabatur cum *continente*, qualem *hæmorrhagiis*, atque *ſudore*

dore intra *primum* ſeptenarium ſolutam videre licuit in Illuſtriſſ. quadam filia XIII. annorum, quandoque & *intermittentem* habuit comitem, ita, ut aliquando ſub *tertianæ* ſchemate inceſſerit, aliquando etiam mitius tractata in *tertianam* ſive *ſimplicem*, ſive *duplicatam*, pulvere ex *fl. chamom. ſale abſinth.* atque *antim. diaph.* parato, brevi curatam, tranſierit. Nonnulli horum jam in *principio* hæmorrhagiam *narium*, vel *hæmoptyſin* perpeſſi ſunt; quædam tamen fœmina & ſub *paroxyſmo* intermittentis *vomitu cruento* correpta eſt, unde in iis quoque V. S. cum ſucceſſu ſub *initium* celebrabatur. Sæviit hæc *maligna* febris æque in *gravidas*, atque alias. Rariorem *Leytheponti* habui caſum. Etſi enim fœmina quædam juvenis, & ſub initium *purgans* aſſumſerit, & die vij. V. S. in eadem inſtituta ſit, & nimias ob *vigilias* huic pharmacopœus *narcotica* exhibuerit, & poſt incongrua hæc artificia multa ſtatim enata ſint *periculoſa* ſymptomata, *vigiliæ continuæ*, *deliria* non interrupta, *lipothymiæ*, *tremor artuum*, *floccorum lectio*, aliaque; tantum tamen abfuit, ut obierit, ut potius *Veſicatoriis* nuchæ, pedibusque applicatis denuo ad ſe redierit, vocatis deinde in uſum *confortantibus*, *analepticis*, *bezoardicis* temperatis *pueros geminos* enixa ſit, atque præter omnium ſpem ex morbo graviſſimo evaſerit. Neque *exanthematicæ* noſtris ullas dederunt inducias. *Catarrhalis*, licet in infante cum *inflammatione* tonſillarum, *deliriis*, IV. die, ſuperveniente *hæmorrhagia narium* largiori, *ſudore*, urina *turbida* & inquinata, remiſerit, alterationes tamen *febriles* poſt ſe relinquens, nonniſi *purpura alba* ſubpullulante penitus diſparuit. *Patechialis* ægrotis eo plus negotii faceſſebat, quo minus ſtudioſa, minusque decens adhibita fuerit curatio. *Laxantia* etiam ſub *introitum* morbi noxæ erant, & memini fabrum aurarium, ob propinatum *purgans*, atque *refrige-*

rationem factam, *lypothymiis*, *vigiliis*, *deliriis* tentatum die vij. e medio esse sublatum. Neglectam *petechialem*, hincque *confusam* animadverti in *tribus* Juvenibus, quorum unus *prioribus* diebus in summam *virium* prostrationem, *gravitatem pectoris*, *vigilias*, *deliria*, *diarrhœam*, die vj. in *subsultus tendinum*, *singultum*, vij. in *petechias nigras*, viij. in *soporem*, sequente in *purpuram albam*, *motus convulsivos* incidens IX. die mortuus. Ceterorum alter non modo sub *principium vertiginem*, *dolorem gravativum pectoris*, alternisque diebus *exacerbationem* percipiens; sed & in *progressu* febris *vigilias*, *deliria*, *manuum tremorem*, *floccorum lectionem*, *torsionem oris*, alvi *involuntariam* excretionem incurrens die XII. fato succubuit, alter *biliosus*, variis *excessibus* deditus, prævis *vigiliis*, *deliriis*, *diarrhœa*, die vij. *sopore*, *aphonia*, *urinæ suppressione*, IX. *artuum tremore*, X. *urinæ involuntaria emissione*, *tremore labiorum*, *subsultu tendinum*, *adspectu torvo*, XI. *floccorum lectione*, *torsione oris*, *alvi dejectione involuntaria*, *motibus convulsivis* periit, quamvis ubique nihil non tentatum sit, imo tardius accersitus iisdem, *sanguinis* detractione in *statu* amplius locum non habente, pro re nata *bezoardica temperata*, *confortantia*, *subadstringentia*, *antispastica*, *vesicatoria*, aliaque longo usu atque experientia probata *remedia* suaserim. Eodem tempore multos occupabat *purpura*, quæ tamen prudenter tractata nulli funesta fuit. Spargebantur præter febrem *scarlatinam in teneriori* ætate cum *vomitu*, *tussicula*, *cephalalgia*, *motibus spasticis*, *convulsivis*, *deliriis* præmaturis occurrentem, atque blandis *diapnoicis*, *antispasmodicis*, *sudoreque* die vij. victam, & aliæ duæ species, *purpura* nempe *rubra*, atque *alba*. Atque hæc quidem etiam *infantes* febre *catarrhali* licet superata vehementer affligebat, quendam vero ex *adultis* ob

refri-

refrigerationem summo periculo exponebat. Cum enim proclivior sit febris hæc materiam morbificam per *poros cutis* proscribere, mirum non est, mutatione *lecti*, atque aeris *frigidioris* admissione facta die vj. in subjecto nostro *plethorico*, *cacochymico*, ob *sudoris* retrocessionem, majores statim *anxietates*, *inquietudines*, *vigilias*, *mentis alienationes* usque ad XI. diem durantes, in conspectum prodiisse. Gravius sic decumbente ægro in consilium quoque vocabatur Archiatrorum Cæsareorum Comes, Perill. atque Magnif. *D. de Longobardi*, cujus nomen, dum audio, veneror. Tametsi vero *Lectione* & *experientia* hic Vir Celeberrimus serio imperaverit, ut & *continentiam* tranquillam sibi commendatam haberet, & medicamenta *diapnoica*, *antispastica* a me præscripta subinde repeteret, & aliis salutaribus *monitis* auscultaret, impedire tamen non potuit, quin *adstantes* suasu aliorum medicorum, contra *obstructionem* per *quatriduum* præsentem *clysterem* applicandum curassent, nisi eadem die XII. *purpuram albam* copiosissime erumpentem detegissem, atque sic Patientem ab orci faucibus liberassem, quem mox clystere jugulassent. *Julius* ultra dimidium *pluviis* conspicuus erat, ita tamen, ut tempestas *pluviosa* cum *sereniori* per totum *mensis* decursum alternaverit. Unde *gratus* atque exoptatus observabatur, quamvis & die XIII. *violenta* tempestas non tantum *Viennæ* cum frequentissimis *tonitrubus*, flammarumque *fulgoribus*, sed & in *vicinia* cum *grandinibus* insolitis, maximo *vinearum* damno, obborta, & *postremiis* diebus ob copiosiores pluvias *horridior* secuta sit. Similes *vicissitudines* ratione *caloris*, atque *siccitatis*, per totum *Augustum* sentiebamus. *Calor* enim semper moderabatur *pluviis*, aliquando *citius*, aliquando *tardius*. Nonnunquam mane *optima* tempestas comparuit, *spurca* succedente vesperi, nonnunquam *calorem* per *aliquot*

dies durantem pluviarum *continuitas* excipiebat, imo & sub *finem* æstus *diuturnior* imbres *largiores* prægressus est. Atque ob *pluvias* tam sub *initium* mensis *sequentis* ingruentes, quam circa æquinoctium *autumnale* continuantes tempestas *frigida* atque *humida* ad *postremos* usque *Septembris* dies perseverabat, *reliquis*, a *tertia* nempe ad XVII. *Serenis* atque *æqualibus* existentibus. Anni *æstatem*, cum ineuntem, tum adultam, tum præcipitem *pluviosam* & alibi deprehendimus. Sive enim *tempestates* graviores, atque *numero* non modo spectabiles, verum etiam ob *fulmina* vehementiora, *tonitrua* horrenda, *grandines* immanes, in *Volhynia*, *Leopoli*, circa *Lovitium*, *Upsaliæ*, in *Ducatu Bremensi*, *Dresdæ*, *Augustæ Vindelicorum*, *Francofurti*, *Londini*, *Suffolciæ*, *Lutetiæ Parisiorum*, in Civitate *Remensi*, *Picardia*, *Genuæ* attendamus, sive *imbres* largiores, atque per copiam, & aquarum *pluvialium* affluentiam vel *animatorum*, vel *oppidorum*, *vicorum*, *vinearum*, *agrorum*, *pratorum*, aliarumque rerum *inanimatarum* jacturam factam in *insula Cituorum minori*, *Cremesiæ*, in *Austria* superiori, *Bohemia*, *Palatinatu*, *Brüxellis*, *Hallæ Saxonum*, circa *Berolinum* consideramus, luce meridiana clarius id ipsum est; utut *Holmiæ*, atque in *Moscovia* major *calor* majorque *siccitas* cum *nebulis* fœtidissimis, quam ab XI. annis sese exeruerit, ut & *pisces* inde in *Suecia* perierint. Hic tamen temperabatur calor *pluviis* adhuc dum *Julio* cadentibus, illinc frangebatur *Augusto* accedente *frigore*, quod æquinoctio *autumnali* appropinquante & *Moscoviæ*, & *Ottoniæ* majus incrementum sumsit. Denique & notatu perdignum, ea, quæ ruri a *grandinibus* intacta permanserunt, a *cicadis* turmatim *Poloniam*, *Lusatiam* Superiorem & Inferiorem, atque *Marchiam Brandenburgicam* ingredientibus, intra Spatium XXIV. horarum fere omnia

fuisse

fuisse consumpta, irreparabili incolarum damno. His mensibus *æstivis*, præter *apoplexias Hagæ Comitum* ingressas, *arthritidem Londini* infestantem, atque *podagram Romæ*, *Moscoviæque* increbescentem, diversæ *febres* adhuc dum spargebantur, ita, ut ex continuis *inflammatoriæ*, quales sunt *pleuritides* atque *peripneumoniæ*, *Gallos* invaserint, *malignæ* modo in *Salopia* Anglis intra quatriduum funestæ, modo in *Apulia* militibus Cæsareis lethales, modo *Cazallæ* degentibus periculum minantes grassatæ sint, *catarrhales* in Ducatu *Mantuano* regnaverint, *variolæ Romæ*, *Lutetiæ Parisiorum*, inque *Campinia* viguerint, *dysenteria* in *Italia* homines adorta sit, *pestis* in *Podolia*, *Volhynia*, *Moldavia* sævierit, imo denique & lues quædam *pecora* circa *Camenetiam*, *Chotimiam*, inque *Spirensi Episcopatu* occupaverit. Eodem tempore *Viennæ* commotioni humorum supervenire solebant *hæmorrhagicæ* congestiones, quas pro diversitate loci nunc *hæmorrhagia narium*, nunc *hæmoptysis* comitabatur. Quin etiam ansa hinc arrepta in *mensium* retentione *visus hebetudinem* habuerunt sociam, cedentem non solum *antorgasticis*, atque *antispasmodicis*, verum etiam *fluxu menstruo* redeunte penitus disparentem. Sicuti vero *rheumatismos* hinc inde videre licuit; ita similis *congestio* per totum latus *dextrum* sese extendebat in *sene* plethorico, & *podagrico* alias, & brevi ante morbum de *Stranguria* æque, atque *catarrho* conquesto. In hujus facie periculosa sese sistebant Symptomata, *inflatio*, *ophthalmia*, *oris tortura*, partium adfectarum *actio* læsa, ut neque comedere, multo minus fistulare potuerit. Atque hic mihi suppetias præ ceteris ferebant *diapnoica*, *antispasmodica*, *neruina* vel in *infuso*, vel in *decocto* pro oris eluitione, vel *linimenti* forma præscripta, quæ post V. S. reiteratam ad-

ductis *Symptomatibus* superatis, imo *rheumatismo* circa claviculam subsequente etiam discusso, successive ægro sanitatem reddebant, licet maturius aëri *frigidiori*, atque *humidiori* se exponens *podagram* tandem incurrerit. Sunt & alii adhuc *morbi*, qui subpullularunt. In ætate graviori *raucedo* sese prodebat, *tussis* vehementior eandem affligebat, in primis *hypochondriaca*, quali Illustriss. quædam *Domina* septuagenaria, juncto dolore *hepatis*, laborabat. In subjecto Sanguineo-cholerico, atque podagrico, *nephritidem calculosam*, cum doloribus acutissimis, *clysteribus*, *digestivo-antispasticis*, *ol. amygd. dulc. balneis* relaxantibus, *unguentis* emollientibus, quæ *calculi* secessum facilitabant, sustuli. Affectibus *Spastico-arthriticis* ex proprio fonte erat succurrendum. Sic in *hemicrania* chronica, *malo ischiadico*, *podagra antorgastica*, *digestiva*, *diapnoica*, *antispasmodica* majorem opem ferebant, quam ab ullo alio remedio epectari potest. In arthritide *fixa* cum *tumore* manus hæc quidem non sufficiebant, sed pulvis ex *sale cichor. fecul. ari*, *pulv. hepat. rubr.* atque *diagryd. Sulphurat.* paratus, laudatis *interpositus* fere punctum tulit, cujus hinc usum, quousque penitus remisit dolor, continuavimus. Occurrebant etiam in *adulta* virgine plethorica motus *convulsivi* contumaciores, durantes per *triduum*, artusque adeo torquentes, ut in *luxationem* cubiti inciderit. In *causam* mali inquirens animadverti, eosdem sine *manifesta* causa fuisse enatos, neque unquam, si *convulsiones* ob *terrorem* post *morsum* canis in Juventute perceptas excipias, ab eadem antea perpessos. Remedium præcipuum ac præsentissimum fuit pulviculus ex *matr. perl. præp. antim. diaph. nitr. dep. lumbric. terr. præp.* atque *cinnab.* constans, quem aliis non iuvantibus exhibui, eumque deinde, applicato quoque *clystere* repetii. Nec de-

defuerunt febres *malignæ*, acutæ, interdum sub *continentis*, interdum sub schemate *continuæ* adparentes. Quamplurimæ fuere *exanthematicæ*. Sæpe enim complicabatur *purpura rubra*, in primis in *infantibus*, sæpe *petechias* emittebat hæc febris. Atque *petechialis* denuo duabus personis, quod *purgans* assumserint, a *vino* non abstinuerint, *diapnoën* neglexerint, *tremoribus* totius corporis, *vigiliis* perpetuis, *deliriis* furiosis sese repræsentans, funesta erat. Alios affecit sine *exanthematibus*, quod tum *catarrhales*, tum *dysentericæ* sub finem *Septembris* invalescentes satis superque probant. Quædam jam in *principio* dysenteriæ *mensis* expertæ sunt, in quibus *pilulas Stahl.* subjunctis *spec. de hyacinth.* atque *coral. rubr. præp.* cum successu adhibui. Taceo *quotidianam*, *tertianam duplicatam*, *ischuriam* gravissimam V. S. in pede decrescentem, *diarrhœam* torminosam post iram *nitrosis* atque *præcipitantibus* victam, aliosque *morbos* his mensibus sese offerentes. *Octobris* initium *serenum*, utcunque *placidum* fuit, *progressus* ad *finem* usque *nebulis*, *pluviis*, *nivibus*, *grandinibus* conspicuus, *humido-frigidus*. Totus *November* aut *nebulosus*, aut *pluviosus*, aut *ventosus*, aut *nivosus* erat, adeo, ut eodem mense neque *quatuor* dies *tranquilli* & *sereni* numerari potuerint, neque *frigida* atque *humida* tempestas unquam minuta sit. Quamvis autem & *December pluviosus* comparuerit, *tepens* tamen atque æstatis simillima tempestas eidem jungebatur, quam vix per IV. dies stantem excipiebat alia multum *diversa*. Sequebatur enim *ventosa*, *nivosa*, *rigidior*, quam ullo, quod memini tempore, *frigori* acriori die XX. atque XXI. obortis *pluviis* quidem remittente, sed XXIII. majori vehementia cum *Aquilone* atque *nivibus* redeunte. Sicuti vero *priores* Octobris dies, tam ob cœlum *splendore* plenum in *Palatinatu*, quam

ob *ſiccitatem* in Ducatu *Montano*, ac *Dreſdæ calidiores* quoque fuiſſe intelligimus: ita & *ſequentes* atque *poſtremos* jam *venti* rigidores *Venetiis*, in *Hiſpania*, jam *pluviæ* non interruptæ circa *Scaphuſiam*, in *agro Bononienſi*, Ducatu *Guardiſtallenſi*, inſula *Iunonis*, aliis provinciis *Hiſpaniæ*, *Cameneciæ*, jam *nives Holmiæ*, *Petripoli*, in Ducatu *Novogardiæ inferioris*, *Cameneciæque* humido-frigidiores reddebant. Atque hæc, *frigida* ſcilicet, atque *humida* tempeſtas, cum ob *ventos* circa *Portum oſtium*, *Dublinum* violentiores, tum ob *pluvias* in *Palatinatu*, *Coloniæ*, *Brüxellis*, *Lutetiæ Pariſiorum*, *Romæ*, *Genovæ*, *Calpe* copioſiores; tum ob *glaciem*, *nivesque* in *Moſcovia*, *Polonia*, *Suecia*, recurrente *placidiori* aëre ſolutas per omnem *Novembrem* continuabat. Denique & *December* aura *temperatiori*, *pluviis* frequentioribus ſtipata, *Batavis*, *Gallis*, *Germanis*, *Polonis*, aliisque illuxit, tantumque abeſt, ut talis permanſerit, ut potius *turbidus* ſucceſſerit. Teſtes ſunt non modo *venti* vehementiores *Romæ*, *Liburni*, *Venetiis*, *Neapoli*, in *Lacu Lemano*, *Maclopoli*, *Rapellæ*, *Hanoveræ*, *Coloniæ Agrippinæ*, in *Franconia*, *Hafniæ*, in mari *Balthico* ſeſe exerentes, verum etiam *nives* cum acerbiſſimo *gelu* in *Moſcovia*, *Polonia*, *Suecia*, *Holſatia*, *Saxonia*, *Gallia*, *Helvetia*, *Hiſpania*, *Bavaria* invaleſcentes. Remiſit quidem *frigus* in *Bavaria*, *Polonia*, aliisque regionibus per paucos dies, mox tamen rediit *intenſiſſimum*, cum omni tempeſtatum inſolitarum, *nivium* & *ventorum*, genere. *Autumno* nunc *arthritis Londini* increbeſcebat, nunc *podagra Romæ*, *Mediolani*, *Genuæ*, *Lutetiæ Pariſiorum*, in *Batavia*, *Berolini* affligebat. *Romæ* eodem tempore *pleuritides*, *peripneumoniæ*, *anginæ*, aliæque febres *inflammatoriæ* frequentes erant. *Malignæ* & in *Palatinatu* inferiori,

ri, & in agro *Lunenſi*, & *Genovæ*, & in inſula *Junonis* in homines ſæviebant. Non defendam easdem vel *claſſicula Hiſpanorum præſidiaria* mediante ex *America* in locum poſteriorem fuiſſe delatas, vel ex *fonte* quodam impuriori ortum ſumſiſſe, hoc ſaltim addam, has modo *continentis* Schema, modo indolem *continuæ* exhibuiſſe, cutem aliquando *maculis*, aliquando *nullis* fuiſſe interſtinctam, ut de *duplicatis* in quibusdam perſpectis nil adducam. *Variolæ Coloniæ Ubiorum*, *Londini*, *Lutetiæ Pariſiorum*, *Verſaliis*, circa *Autricum Carnutum*, in *Lunæ Villa*, in *Hiſpania* regnantes, ſi morbos reliquos non exuperabant, numero tamen æquabant. Neque *peſtis* in *Podolia*, *Volhynia*, *Moldavia* decreſcebat, neque lues *pecora* occupans remittebat; ſed latius ſerpendo & eundo tantas acquiſivit vires, ut eorum quantitatem maximam in *Bohemia*, circa *Poſonium*, *Zamoſcii*, in *Lithuania*, *Marchia Brandenburgica*, verſus Ducatum *Magdeburgicum*, aliisque in locis *Saxoniæ* e medio ſuſtulerit, cui malo in poſtremis regionibus multum favebant miaſmata putredinoſa a *cicadis* relicta. Ceterum præter *paralyſes*, *apoplexias Romæ*, *Mediolani*, *Bernæ*, *Lutetiæ Pariſiorum*, *Hamburgi* ſeſe ſiſtentes, nil memoratu dignum mihi occurrit. Iisdem menſibus Virgo quædam Viennenſis poſt V. S. ob menſes *parciores* in *pede* inſtitutam, *crocique eſſentiam* adhibitam, fluxum menſium *nimium* incurrit, quem *adſtringentibus* ab ordinario præſcriptis expugnare per vij. Septimanas, ſed fruſtra erat conata: hic ego ad repetitum *antorgaſticorum* uſum confugi, neque pœnitenda opera, quamdiu enim iſta propinarentur, ſatis recte habuit, ſed cum his *moderaretur* tantum

fluxus, non *tolleretur*, V. S. in *manu* ſuaſi, qua celebrata ſine *antorgaſticorum* præſidio omnino convaleſcebat. In aliis *rheumaticos* decubitus verſus *faciem*, in aliis *otalgiam*, in alia poſt *refrigerationem*, atque aliqualem *lochiorum* ſuppreſſionem *odontalgiam* vidimus, in alio *puero* ob neglectam *diapnoën* diu *purpuram* perpeſſo ſeſe offerebat *cheilocace*, ſive labro-ſulcium, cum exulceratione labii ſuperioris oris gravius, ac quaſi *hæreditarium*, alii *coryza*, *angina*, *tuſſibus* laborabant; in aliis affectus *ſpaſtico-arthritici*, *digeſtivo-diapnoico-antiſpaſticis* ſublati invaleſcebant. Innumeræ quoque hinc inde ſpargebantur febres, *inflammatoriæ*, *malignæ*, *catarrhales*, *exanthematicæ*, *intermittentes*, *tertianæ*, aliæ: ſed præ omnibus *purpura alba*. Invadebat enim non tantum *infantes*, maturius in febre *ſcarlatina* menſe *Junio* aëri liberiori commiſſos, ſed & *adultos*. Sequiorem *ſexum* duplo gravius afficiebat. Sic affectus *hyſterici*, *animi abjectio*, *ardor* atque *anxietas cordis*, *cephalalgia*, *vigiliæ*, *deliria* usque ad XVI. diem continuantia in Juvene quadam Domina *purpuræ albæ* ſuperveniebant, quibus ſeſe excretio *critica* partim per *ſudorem* die vij. apparentem, partim per *hæmorrhagiam narium* largiorem XIV. obortam, ſequentibus XVI. etiam *menſibus*, adjunxit, ut & *exanthematum* eruptio XI. & XVIII. *ſecunda* vice cum levamine ſeſe prodens. Duæ ex *puerperis* hac febre laborantes meam implorarunt opem, quarum alteri *camphorata*, *myrrhata*, ſimiliaque interne dederunt, alteri tincturas *ſpirituoſiores* præſcripſere Medici. Etſi vero *calidiora* utrique diſſuaſerim, atque ob vigilias & deliria, *temperatiora* laudave-

daverim, tantum tamen abfuit, ut id ipſum in *priori* obſervatum fuerit, ut potius maſſam humorum *commoventia* repetierint, ſicque imperite tractata, nulla de *ſiti*, nullo de *dolore* conquerens, urina etiam *naturali* fere exiſtente, die XI. ſublata ſit. Poſterior, quæ non modo *ſpongioſioris* atque *plethorici* habitus erat, verum etiam ante annum cum ſub *initium* geſtationis menſes *continuos*, tum *medio* tempore *fluorem album*, tum vij. menſe *abortum* experta eſt, hoc gravius decumbebat, quod & in *abortum* denuo absque cauſa *manifeſta* inciderit, *duabus* inſimul *molis* ſecedentibus, & ob violentiorem *ſecundinarum* diutius remanentium extractionem debilitates *ſyncopticas* ſenſerit, & die vij. *ſudore* præſente aërem *liberiorem* admiſerit, & viij. *exanthematibus* jam prodeuntibus *enematis* injectio facta fuerit, & ob neglectam *diapnoën*, dum ſurgeret maturius, atque *purpura* ſub blando *udore* ſenſim evaneſcente, *rheumatiſmo* pedis ſumme dolorifico tentata ſit. Serio hinc imperavi, ut ſub continentia tranquilla regimen *diapnoicum* ſibi commendatum haberet. *Variolæ* copioſiores, *ordinariis* quidem *majores*, atque ſub initium *pellucidae*; deinde tamen ad ambitum *inflammatæ*, juncta febre exquiſita, vigiliis, deliriis *ſuppuraſcentes* æque, ac die XIV. *exiccatæ*, decidentesque cum ſolutione mali ſub blanda *diapnoë*, urinæque *turbatione*, viſebantur in filia jam adultiori, cujus in fratre mitiorem, vim morbi animadverti. Nil dicam de *pleuritide* in Juvene vij. die ſudori cedente. Neque vel de *cachexia* cum *nodis* atque *abſceſſu* mammæ in *puerpera* a *purgantibus* fortioribus, ſuaſu barbitonſoris aſſumtis aucta, *digeſtivo-diapnoico-antiſpaſticis* autem a me ordinatis, ſub copioſiori *ſudore*, co-

pio-

dioſiorique *urinæ* excretione ſucceſſive penitus diſparente, vel de aliis morbis *ſporadicis* quicquam adducam. Hoc ſaltim addam, *mortuorum* numerum, ſicuti *Londini* 26761. *Amſtelodami* 8911. *Brunſvici* 1233. *Lycaoniæ* 400. *Berolini* 2691. *Wittenbergæ* 260. *Dreſdæ* 1740. attigerat, ita *Viennæ* ad 8493. ſeſe extendiſſe. Sufficiat hæc de conſtitutione *epidemica* hujus *anni* fideliter, prout & in aliena, & in mea praxi occurrebant, annotaſſe.

De

TEPLICENSIVM IN BOHEMIA THERMIS,

earumque origine ac viribus,

Problema ἀυτοχέδιον.

Annexus est

Plantarum circa has Thermas crescentium Elenchus.

AVTORE

D. CHRISTIANO HENRICO ERNDTELIO,

Archiatro Reg. Polon. & Academ. Imperial. Nat. Cur. Adjuncto.

HOc *Teplicenſes Thermas*, præ multis aliis habere ſingulare atque præcipuum, quod in amœniori loco ſitæ, ægrotantes non ſolum propter auxilium, ſed inſimul propter delicias ad ſe invitant, facile fatentur omnes, qui perfunctorie etiam & in tranſitu quaſi easdem viderunt. Notiſſimum eſt, quàm auguſto ſpatio, inter prærupta montium cacumina, incluſæ ſint *Carolinæ*; adeò, ut vix maximè neceſſaria per deambulationes hoſpitibus ſe movendi concedatur occaſio. Longè autem pejor, imò abominabilis fere conditio *Fabarienſium* in Rhetiâ ſitarum, ubi antri obſcuri aſpectus non ſolum, ſed cataractarum & torrentis præterlabentium ſtrepitus cum reſonitu adeo eſt moleſtus, & metum ſtatim incutiat advenis: prout, quando anno ſuperioris ſeculi nonageſimo nono, cum *Illuſtri noſtro Scheuchzero, Tigurino, Helvetiorum Polyhiſtore*, inviſebam has, non ſine inſigni ſtupore hæc omnia præſens obſervavi. Nec ſubiit poſtea mirari, quod *Experientiſſimus Hildanus* ſcripſerit, ſuo tempore, ex fragore Cataractarum in *Fabarienſibus*, delirio non ſemel correptos fuiſſe balneantes ibi hoſpites.

Tempe igitur & Paradiſum, in comparatione cum illis, meritò *Teplicenſium* appellabis *Bethesdam*. Adeò enim hic ad amœnitatem compoſita ſunt omnia, ut non ſolùm naturâ ſed arte etiam auxiliante locus commendetur univerſaliter omnibus. Licet enim ad montium, qui Bohemiam à Misnia diſtinguunt radices hic ſit poſitus, & inæquale, collibusque multis & convallibus interruptum ſolum præ ſe ferat, porrecta tamen his interpoſita hinc inde planities extruditur, impendentibus quidem ab occidente iterum montibus, aſt non ſterilibus, ſed vetuſtis ſylvis ac lætis nemoribus ornatis: amnes etiam & rivuli ex montium cacuminibus provoluti, hinc inde extenſa prata & agros adeò fœcundant, ut

luxu-

luxurioſa terra non lætis modo, ſed etiam dulcibus herbis omnia exornet, & pecorum gregibus ad paſtum abundantiſſimè ſufficiat: Accedit, quod Illuſtriſſima, ex antiqua Bohemorum gente oriunda *Comitum de Clari* familia, cui hæreditariô jure ſubeſt *Teplicium*, hortum arci, in quâ reſidet, junctum, â longo tempore omni cultu foverit, adeô, ut cum præcipuis per Europam hortis, naturali juxta & artificiali amœnitate certare fere poſſit.

Hæc omnia, & cumprimis Hiſtoriæ Naturalis ſtudium, me etiam moverunt, ut à tribus abhinc annis, bis, celeberrimas hasce *Thermas* inviſerim; cum antea quidem quater jam, aſt non mihi, ſed aliis inſerviendo, easdem frequentaverim. Et cum dicto tempore, anno ſcil. 1730. & 1731. ab omnibus aliis curis & negotiis ordinariis liber ibi per aliquot ſeptimanas, æſtivô quidem tempore, hæſerim, occaſionem nactus fui in *Thermarum* & loci conditionem accuratius inquirendi, &, præter illarum ſcrutinium, quod inter balneandum feci, horis â meridie liberis circumjectam regionem peragrando, *Plantarum circa Teplicium creſcentium*, aliquam mihi comparare notitiam, quarum etiam *elenchum* huic Relationi ſubjunctum inveniet B. L.

Liceat igitur primo loco, in honorem *maximè ſalutarium agri Teplicenſis fontium calidorum*, quædam hic proponere, quantum quidem pro ingenii modulô de ipſorum origine, conditione ac viribus, tunc, propriæ potiùs quàm aliorum inſtructioni inſerviendo, literis mandare, & ab oblivione vindicare conſultum duxi. Nam, ut verum fatear, ſuccenſui ſæpius aliorum Medicorum negligentiæ ſupinæ dicam an invidiæ, quibus plus ſemel hanc *Bethesdam* adire, atque experimenta de Aquis ejus Angelicis inſtituere licuit, quod nihil fere de his poſteritati communicare voluerint. Nam ſi unum D. *Fridericum Hoffmannum, communem fe-*

re jam Germaniæ nostræ in medicis Præceptorem excipias, nullum allegare poteris, qui de his fontibus, ex veris Physices experimentalis principiis, uti loquitur Illustris Vir, quicquam protulit; & hic quidem etiam non ex professo, uti dicimus, sed ὡς ἐν παροδῷ saltem, in Dissertationibus physicis, occasione *Acidularum*, tale quid præstare tentavit. Reliqui (unum fortassis *Joh. Gœbelium Arch. Elect. Saxon.* excipiendo, quem tamen hucusque videre nondum licuit, æquè ac *Joh. Agricolæ* & *Casp. Schvvenckfeldii de Teplicensibus Thermis* tractatus, si modo seorsim hi unquàm prodierunt) cum Institutionibus suis balneantibus necessariis, & vernaculâ utplurimùm conscriptis, plus obscuritatis quàm lucis *Thermis* his affuderunt, anilibusque fabulis ac pessimè cohærentibus observationibus turpiter se prostituerunt, risum aliis doctioribus movendo suis deliramentis.

Salvô autem aliorum meliori & accuratiori judiciô, quicunque de immensô hoc & maximô Dei dono, *Thermis* puta, solidi quid velit proferre, ut *Ignis* & *Aquarum subterranearum originem* ante omnia explicet, necessum esse existimo. Ubi minus, illa communis, & ad principia Chymico Mechanica strictius allegata opinio placet, quod *ex Marcasitarum & Pyritis, accedente aqua, effervescentia*, incendium oriatur & continuetur in infinitum fere, propter immensum ejusmodi materiarum in terra latentem cumulum. Præ nimiô enim experimentorum Chymicorum amore, *Bituminis, Asphalti, Lithanthracum*, aliarumque materiarum combustibilium oblivisci mihi videntur illius theoriæ auctores penitus. *Verosimilius autem insignis talis æstus & ardor à subterraneo pendere videtur incendio, non quidem à Pycite, sed à magnis potiùs & ferè inexhaustis Bituminis terræ fontibus ac venis sustentato, & in proximas sibi materias alias inflammabiles progredien-*

te.

te. Longè enim lateque per terram, & quidem in profundioribus locis, diſperſus eſt immenſus ferè *materiæ Bituminoſæ & combuſtibilis*, motum verticillarem facilè ſubeuntis, *theſaurus.* Quo de, præter alia innumera, ſolum *Petroleum* & *Naphtha*, ex ſubterraneis montium cavernis, teſte avtoptâ *Clar. Kempfero, in Perſia*, itemque propinquiore nobis loco, ex *monte Cibino* in Italia, uti ex *Arioſti* relatione conſtat, igne ſubterraneo urgente exſudans, teſtari lueulenter poteſt: itemque *Lacus Asphaltites in Palæſtina*, qui, licet dulcem Jordani fluvii aquam copiosè hauriat, adeò fœtidum tamen & virulentum ex *Bitumine* halitum emittit, ut ager circumjacens, ad dimidium milliare, plane ſqualidus ſit ac ſterilis. Cumprimis autem *Ignivomi Montes, Ætna, Veſuvius* & *Hecla* in Europæis noſtris regionibus, aliique tales *Iavæ*, itemque *Sumatræ* & *Moluccenſium Inſularum in India Orientali*, hic memorandi ſunt. De quibus exiſtimo quidem, non ſtatim à Mundi noſtri principiô, aut poſt univerſale Diluvium ita arſiſſe, ſed tali fere modo ac hodienum obſervamus ſubinde cum aliis terrarum incendiis hinc inde emergentibus, caſu, vel per fulmina, vel terræ motus, vel hominum temeritatem, eosdem fuiſſe incenſos. Ita *Excell. J. Iunckerus in Chemia noviter edita*, de Ignis ſubterranei ortu diſſerens, valde appoſitè meminit, propè *Zvvickaviam Misniæ* noſtræ, ſuperioris ſeculi bellis accidiſſe, ut hoſtes omnia devaſtantes, ſimul unum alterumve cuniculum, qui in divitem *Lithanthracum venam* deſinebat, incendiſſe, quô factô tantum ardorem ea vena concepit, ut, quanquam propter ſolicitè factam deſuper occluſionem, extus nihil caloris ſentiatur, nihilominus hodieque, ſi talis cuniculus deſuper aperiatur, mox primis diebus calor, poſtea major æſtus & vapores in flammam denique noctu viſibilem erumpentes oboriantur.

Ex quibus facile intelligi potest, quantum valeat hujusmodi materia semel incensa, ad subterraneum calorem diutissimè fovendum: siquidem hoc *Zvvickavienſe incendium* ultra octoginta annos durasse, & tamen, quantum conjicere licet, nondum dimidium milliare Italicum in longitudinem se extendisse, apparet. Longè autem majus & immensum fere spatium in longum latum & profundum, *materiæ* ejusmodi inflammabilis, ast *Bituminosæ* potissimum, in locis subterraneis, *Ætnæ* & *Vesuvii* e. g. regioni subjectis, supponendum, cujus profunditas ipsum maris fundum, (quæ quibusdam in locis ultra dimidium milliaris Germanici mensurâ attingere dicitur â *Bern. Varenio in Geogr. Univers. p. m.* 143.) longè adhuc superare in propatulo est, si cum Philosophis quibusdam nostri etiam ævi, *Athanas. Kirchero* & *Joh. Rajo* e. g. & aliis, communicationem inter has duas Vulcani officinas dari statuimus. Id quod alii ejusmodi montes in reliquis mundi partibus, *India* præsertim *Orientali*, superiùs nominati manifestare videntur clarius: ita enim inter Moluccenses Insulas de illa, quæ *Banda* appellatur, & adhuc alias minores sub se comprehendit, nucis Moschatæ proventu maximè celebri, ex novissimis constat Hodœporicis, nuper adhuc, anno scil. 1722. exarsisse denuò ibi montem, qui *Cunung-Api* ab incolis appellatur; in adjacente autem proximè minori Insula, eodem tempore, *Lacum* emersisse *Bituminosum*, aquâ adeò fervente conspicuum, ut per semiquadrantem horæ, ova gallinacea ad duritiem coqui in eadem potuerint: est autem hic *Cunung-Api* ille ipse mons, qui testante *Bernh. Varenio l. c.* jam A. C. 1586. cum per XVII. annos arsisset, disruptus ingenti cum fragore, & saxa, & ingentem ardentis massæ copiam ejaculavit. Quis autem dubitare, considerata hac relatione poterit, montis hujus flammantis & Lacus dicti, per maris intercapedinem

pedinem invicem ſeparatorum, unam eandemque ex locis ſubterraneis bituminoſis accenſis, eſſe originem.

Hæc de *Igne ſubterraneo*: jam breviter etiam diſſerendum, unde *Aquarum* in locis ſubterraneis concutſus ſit accerſendus? Quæcunque autem aquæ in intimis ac profundioribus terræ penetralibus inveniuntur, & quarum incredibilis atque inexhauſtus æque ſupponendus eſt theſaurus, omnes has ex pluvia, rore, nive, pruina &c. per poroſum globi terraquei corticem transſudantibus primum quidem habere ortum, in abditiſſimis autem terræ cavernis colligi, ibidemque cum Oceano & Fluviis per occultos mæandros iterum conjungi perſuaſum habeo. Per exprimenta recentiorum & obſervationes accuratiores enim conſtat, longè majorem quotidie colligi per exhalationes Oceani, Marium & Lacuum, aquæ quantitatem, quàm omnes per totum Orbem diſperſi fluvii abſumere poſſint, ita, ut ad reſervatoria etiam aquarum ſubterranearum, vaſtiſſima licet, facile ſufficere poſſit: Connexionem autem hæc ſubterranea fluenta perpetuam quomodo habeant cum mari juxta & fluviis, Vortices ac Gurgites perpetui numeroque inſignes in mari ac fluviis occurrentes, omniaque, ut maximas navium machinas aliasque inſignes moles, adeò præcipitanter devorantes, ut in ictu oculi nec veſtigium earum appareat, aut unquam iterum inde redeat, docere poſſunt. Penetrant enim ejusmodi Vortices ad profundiſſima terræ loca, ibique per alios mæandros, æque ut vortices illi patentes, communicationem habent cum terræ aut fundi maris ſuperficie, citra quam nulla ſupponi poſſet adeò violenta atque impetuoſa tractio. Nota ſub hoc nomine antiquiſſimis jam temporibus inter Siciliam & Italiam *Scylla* & *Charybdis*, famoſiſſima propter demerſionis navium periculum loca, quorum ultima præſertim huc pertinet, utpote quam mare vorticoſum *Plinius*

nius Hist. Nat. L. III. cap. 8. nominat: *in eo freto* (Italiæ puta) *est scopulus Scylla, item Charybdis, mare Vorticosum, ambo clara sævitiâ.* Chalcidicus item *Euripus* inter Græciæ insulas, *Aristotelis* atque *Isocratis* αὐτοχειρία, si credere fas est, nobilitatus: Omnium celeberrimus & maximus autem ille ad *Norvegiam*, tredecim milliaria in circuitu habens: Ut taceam nostris notissimum *Danubii Gurgitem*, aliosque fluviorum Vortices, aut neglectos â Geographis, aut propter minùs frequentatam eorum navigationem, paucissimis cognitas. Et ambigo, annon huc referendus etiam sit *Circknizensis*, Carniolæ miraculosus Lacus, in quô per septem meatus aquæ continuò turgenti & ad duarum perticarum altitudinem radios ejicienti datur exitus, illô quidem tempore, dum per refluxum & evanescentiam aquæ Lacum aliàs replentis, alveus vel fundus in prata mutatur virentia: vid. *Brovvne Itinerar. Part. VI. cap.* 6. Num autem alii etiam, præter hos in globo nostro terr-aqueô dentur *abyssi fontes*, uti â nonnullis statuuntur, meum non est hic fusius examinare. Sufficit hunc Aquarum subterranearum in profundioribus terræ proventum, largam satis suppeditare copiam, pro *Ignivomis montibus*, *Terræ motu* & *Thermis* etiam generandis, & per tot secula fovendis ac continuandis.

Sicuti enim *Igniovomi montes* nunquam cum tanto agere possent impetu, nisi *interventu aquæ*, potissimum quidem *marinæ*, per ardentem subtus-*Bituminis* materiam rarefactæ, quæ hac ratione Æoliam induit indolem, ac prius quidem in cavernis subterraneis incarcerata, postea autem, qua data porta ruens & exitum moliens, omnia in transitu horrendâ violentiâ movet, secum rapit, & per dictorum montium barathra & crateres impetuosissimè, unà cum flammis & *bituminosis ardentibus fluentis* eructat, stupendoque planè modo, ad incredibilem altitudinem projicit:

Ex

Ex rarefacta enim in terræ penetralibus aquâ exſurgens ventus, longè impetuoſiùs ſine dubio agit, quàm potentiſſima in terræ ac maris ſuperficie procella; quia vis, dum per anguſta loca tranſit & cogitur, multiplicatur in infinitum, conſequenter longè majores ac incredibiles ferè acquirens vires, ſaxa ingentia orgyam menſura fere æquantia, aliasque eliquati ferri ac metallorum moles in altum trudit atque expellit: Ita veroſimile omnino eſt & *Terræ motus* oriri, quando dicta aquarum ſubterranearum moles in profundiùs adhuc latentia *Bituminis incendia* irruit, ibi denique rarefacta, non perpendiculari ſed horizontali potius motu agit, ac per varias cuniculorum ſubterraneorum ambages pergendo longe lateque vagatur, atque horrendâ concuſſione ac planè formidabili quaſſatione tamdiu loca illa per quæ tranſit, afficit, donec quâ licet parte exitum inveniens, tremore atque impetu concuſſas terras fatiscere ac fiſſuris hiare faciat, atque ita à violentia ceſſet.

Quod igitur Ignis ſubterraneus ex *Bitumine* terræ natus & fomentatus, quod *Aqua* etiam ſit in infimis terræ cavernis collecta atque abſcondita, & hinc inde cum *materia Bituminis* accenſa concurrat, patet ex jam propoſitis: Nec temerè metuas, *Bitumen* vel *Asphaltum ardens*, per ſupervenientem aquam extingui. Conſtat enim ex Pyrobolicæ artis productis atque experimentis, *ignem, qui mediante Petroleo, Bituminis producto & flore quaſi, paratur, à nulla aqua, licet in ea ſubmergatur etiam profundius ac diutius obrutus hæreat, poſſe extingui.* Sive igitur aqua in ardentis Bituminis ſubterranei incidat torrentes, ſive *Bituminoſa ardens materia* irruat in aquæ ſubterraneæ reſervatoria, incendium illud nullo modo inde extingui poterit, imò quò violentius unum aggredietur alterum, eò vehementiores inde exſurgent conflagrationes atque incendiarii tu-

multus. Quod autem tale profundè in terris latens incendium, præter *Ignivomos montes* & *Lacus Bituminosos fumantes*, hinc inde in globo terr-aqueo sit dispersum, nihil videtur esse contrarium, imò per jam accusatum *Petrolei* & *Naphthæ* in locis mediterraneis montosis proventum, aliaque innumera fere phænomena (quorum fusiorem recensionem præsentis exercitationis angusti limites non admittunt) evidenter satis patet; in superfluum per terræ motus, ab uno loco ad alterum, ex maximè dissitis etiam mundi partibus propagatos, posset probari. Neque enim novum est, post magna *Montium Ignivomorum incendia*, obortos *terræ motus* ex *Sicilia* & *Italia* in *Germaniam* fuisse translatos: sicuti memini, mea ætate *Dresdæ* etiam in Saxonia nostra, anno clɔ Iɔcxc. ejusmodi tremorem fuisse observatum, quem in aliis etiam Germaniæ provinciis, Suevia e. g. sensibiles satis edidisse concussiones, *Excellentiss. noster Lentilius*, singulari tractatu, in Append. *Dec. III. Ann. I. Ephem. Nat. Cur. Germ.* memoriæ mandavit.

Hoc igitur *subterraneum Bituminosæ materiæ incendium, veram omnium Thermarum & primam constituere originem*, ita video, quasi oculis meis cernerem. Qua ratione autem *Aqua* hinc emergens *Thermalis*, primò quidem, *æquali* semper gaudens ac vigens *calore*, ad tantam per tot ambages possit pertingere altitudinem, ut in superficie terræ *fervidissima* expellatur: & *secundo loco*, quomodo, dato etiam hoc, *tam clara, tamque pura, sine omni fœtore*, uti in his nostris præsertim sit *Thermis Teplicensibus*, sistere se queat in fontibus illis calidis, difficillimum videtur esse probatu. Velim autem, ad prius quod attinet, probè consideretur, posse hanc *ex cavernis prosilientem profundioribus ferventem ac bullientem aquam*, per ejusmodi lapidosas concamerationes undique à *subterraneo incendio calentes*

imò

imò *candentes* deduci, ut in inferioribus terræ enatus calor, vi ſuppreſſionis, augeri potiùs quàm imminui ullo modo poſſit; pro quo augmento, in quibusdam *Thermis*, iisdemque paucis, *Carolinis* e. g. non excluderem penitus *concurrentem ex Pyrite vel Marcaſita in tranſitu effervescentiam: Puritatem* autem, ratione coloris atque odoris, quod attinet, & quod aqua hæc ex *Bituminis* incendio calefacta, limpidiſſima nihilominus & clariſſima, nulloque fœtore contaminata exſiliat, hanc quidem rationem eſſe arbitror, quod per continuum juxta ac vehementiſſimum in cryptis ſubterraneis ac anguſtioribus quos penetrat mæandris, attritum, *Bituminoſæ moleculæ* adeò ſublimentur atque in ſubtiliſſimum quaſi *Alcohol* redigantur, ut nativum quidem odorem & ſaporem exuant, vires autem â *Bituminoſo principio* petendas, minùs ideò perdant, imò potius *Petrolei*, *Naphthæ* vel ipſius Succini *quintam* quaſi *eſſentiam* & animam præ ſe ferant. Nam & ex communiſſimis chemicorum & Pharmacopœorum experimentis, ſi craſſiori modo philoſophari licet, videmus, dari ejusmodi producta, quæ nullo palpabili materiæ concurſu agunt, vel ſolo *Vitri Antimonii* exemplo, ex quo parata ſic dicta *pocula Hermetica*, Vinum infuſum, ſulphure arſenicali imbuunt adeò, ut in robuſtiſſimis etiam vomitus ciere per ventriculi everſionem obſerventur, nullo tamen vino hinc conciliato alieno ſapore vel odore, nulla viſibili, vel ad pondus ſenſibili, poculo decedente materia? nec minori mirabili virtute aquam quamcunque vel ſimplicem vel deſtillatam, ut anthelminthicum agere deprehendimus, quæ cum ſimplici *Mercurio currente* infunditur, nunquam inde mutato vel imminuto Mercurii pondere, ſi vel centies experimentum per infuſionem reiteretur. Et benè, ex alio quidem fundamento, non penitus tamen hic etiam ἀλόγῳ, *Lanciſius de Cœli Rom. Qualitat. cap. VII.*

 monuit,

monuit, nunquam limpiditati & claritati aquarum, pro simplicitate demonstranda, nimium esse fidendum, cum per intimum ac vehementiorem in fontibus attritum, ad tantum simplicitatis apparentis gradum, aquæ etiam impurissimæ possint evehi, ut cum purissimis limpiditate ac perspicuitate possint certare, quæ tamen per analysin chemicam postea tractatæ, satis copiosum, gusta æque ac odore ingratum, deponere deprehendantur sedimentum. Longè autem aliter comparatum esse videas cum *Teplicensium Thermarum aqua: hæc enim & limpiditate ac puritate cum innumeris aliis certat, neque tamen, uti fontana quædam, vel ponderosior est, vel sedimentum heterogeneum, gustum & odorem lædens, post se relinquit*, sed admirandâ summi Creatoris potentiâ ac benedictione, unà cum excellentissima puritate ac levitate, *vires* suas *balsamicas, olei ætherei adinstar*, penetrantissimas, servat. Mira enim est hujus *aquæ Thermalis* conditio: *crystallo* siquidem *clarior* est, *saporem nullum neque odorem* manifestum præ se ferens, *caloris* autem ita *temperati*, ut à nonnullis robustioribus & non nimium delicatis, *in ipsa ad balneandum perferri possit scaturigine*, secus ac in aliis *Thermis*, ubi in labris ac foliis refrigescere sinimus, unde earum vis atque facultas evanescit maximam partem. Crassiora autem contenta ab hac aqua adeò sunt aliena, ut *ex viginti quatuor libris vix dimidia drachma sedimenti vel terreæ materiæ cum alcali quodam mixtæ, per evaporationem aut destillationem elici possit.*

Si tandem de *Viribus* aliquid, quantum quidem compendiosa hæc atque extemporanea scribendi occasio permittit, in medium proferre velimus, luce meridiana clarius patescet, *neque à levitate hujus aquæ thermalis*, quâ cum pluviâ & cœlestibus æquiparatur aquis, *neque ex alcali salis genere*, quo post evaporationem extractum sedimentum in-

quina-

quinatum eſt, virtutes *Teplicenſium Balnearum eſſe deducendas.* Cum enim tantus reſtitutorum quotannis teſtetur numerus, non ſolum in *variis externarum partium vitiis*, iisdem ſcil. *contractis*, nimium *arefactis*, *rigidis*, *torpentibus*, *tabidis*, *à robore & motu defectis*, fibras induratas molliendo, corrugatas laxando, ſolutas firmando, & debitum ſanguinis ac ſpirituum affluxum invitando, mirabilem ſuam edere efficaciam: ſed egregie etiam ſolari eos, quibus *partes interiores tendinoſæ*, *nervoſæ*, uti *in Paſſione hyſterica*, *menſium vitiis*, *abortui obnoxiis fœminis*, *Colica* itidem, *Aſthmate*, *Cephalalgia*, aliisque *affectibus ſpasmodicis* contingere ſolet, moleſtis torquentur diſtractionibus, & motibus præter naturam afficiuntur anomalis; liquidò conſtabit, *plus tribuendum hic ſubtiliſſimi cujusdam ſulphuris*, *ex Bitumine oriundi* (quod ſuperiùs cum *Petroleo* & *Succino* comparavimus,) *atque intimè cum lubricis aquæ puriſſimæ particulis uniti*, activitati ac viribus, quàm vel ſpiritui ſubterraneo Catholico, nunquam demonſtrando, vel Alcalino ſubtiliſſimo ſali, Mechanicorum in theoria Aquarum ſalutarium idolo. Et licet fatendum quidem omninò ſit, quod *Thermæ Carolinæ*, ex eodem quidem, calorem quod attinet, *principio ſubterraneo Bituminoſæ* oriundæ, *Teplicenſes* iterum, propter inſignem uſum interiùs ſumptæ, mirum quantum ſuperent, cum his tamen, ſi *balneandi prærogativam* conſideremus, nullo modo erunt comparandæ, & hoc quidem propter copioſiora *tophacea* vel *calcaria ramenta*, *quibus Carolinæ turgent*, atque in balneatione tranſpirationi, ſi non ſtatim, tamen per hyſterergiam egregiè nocent. *Etenim inter aliquot centenos*, *Carolinis in balneo utentibus*, *vix unum reperiri exiſtimem*, *cui cum ſucceſſu exoptato applicentur.* Quantum enim etiam in fibris nimium relaxatis e. g. conferent, tantum è contrario,

irreparabili fere damno, transpirationem corporis nostri suspendendo ac supprimendo nocebunt. Unde plerisque ex Carolinis redeuntibus, *Teplicenses* pro Balneo suadentur, ut scilicet, quod ibi per pororum occlusionem peccatum fuerit, hic per balsamicas, aperientes & emollientes Aquæ salutaris vires iterum corrigatur. Quas dum vident hodierni quidam Philosophi, caloris in thermis ex *principio Bituminoso*, oriundi, fere obliti, ad nescio quem *spiritum* confugiunt *catholicum*, qui levitatem æque ac puritatem, penetrantissimamque virtutem, quam ex contentis & qualitatibus manifestis, secundum præconceptam opinionem & hypothesin, explicare nequeunt, supplere omninò debet. Notare autem ac probè pensitare Chemiæ & Mechanices cultores πολυπραγμῶνες deberent, *non nimium, in explicandis Thermarum principiis, solis per agentia & reagentia, per digestiones & evaporationes, per ponderationes & hydrometra experimentis fidendum esse*: neque hic omnem de Re Metallica & Minerarum fodinis cognitionem sufficere existimarem. Hærent enim hujus farinæ Philosophi cum omnibus suis circa *Thermarum* theoriam argumentis in cortice saltem: cum veriora principia ulterius sint accersenda, & adhuc profundius fortè, quàm ipse est Oceani fundus, quærenda. Ex liberiori enim hac philosophandi ratione fit, ut *Nubem pro Junone* plerique *amplectantur*, & deinde miseris ægrotantibus quamcunque Aquarum Mineralium colluviem pro *Thermis* commendent. Patet hoc ex innumeris fere *novorum fontium salutarium ac Thermarum descriptionibus* atque encomiis, quæ citiùs quàm ephemeri fungi nascuntur, & simul cum ipsorum inventoribus & proxenetis dicto citius iterum evanescunt. Nimium enim in hypothesibus sunt audaces, & Matheseos certitudinem apodicticam inferunt, ubi locum vix habent conjecturæ. Saniores Philosophi æque

ac

ac πρεσβύτεροι καὶ παρηκμακότες *Ariſtotelis, Rhetor. Lib. II. cap.* 13. Οἴονται, ἴσασι δὲ ὀδὲν, καὶ ἀμφισβητοῦντες, προστιθέασιν ἀεὶ τὸ ἴσως καὶ τάχα. καὶ πάντα λέγουσιν οὕτω, παγίως δὲ ὀδέν.

Sed ſatis jam mundi ſubterranei cryptas atque receſſus meditando perreptavimus, ſatis & ad nauſeam ac terrorem usque τὴν λίμνην καὶ τὸν πυριφλεγεθόντα contemplati ſumus, κερβερόντε ὑλακτοντα audivimus: Diſcedamus hinc quantocyus, ne cum *Empedocle* ἡμίσφοι καὶ σπόδε πλέει, *Menippo* in ludibrium cedamus. Revertamur hinc, τὸν λειμῶνα ἀσφοδέλῳ κατάφυτον relinquentes, ad Elyſios Campos, & *plantarum, florum ac fructuum* lætiſſimam conſideremus abundantiam, quâ agri fertiliſſimi, prata virentia atque arboribus ac fruticetis comata montium juga *circa Teplicium* ſuperbiunt. Memini enim, me ſtatim ſub hujus tractationis auſpicium, *de Plantis circa Thermas Teplicenſes creſcentibus*, aliquid communicaturum cum Botano-philis, promiſiſſe: illas igitur, & quidem *notatu ſaltem digniores*, illo, quo per duos annos, Julio & Auguſto menſibus collegi, ordine, cum annotationibus neceſſariis proponam ſequentibus.

ARNICA, Doronicum Germanicum, foliis ſemper ex adverſo naſcentibus villoſis *J. B. III. p.* 19.

Not. Diſcus & radius lutei ſunt coloris, radii autem apices vel petalorum extremitates non penitus integræ, ſed bis inciſæ, contra *Ruppii* obſervat. quam vid. in *Flora Jen. p.* 141. *Radix Arnicæ* ſaporem valde aromaticum, amaricantem, acrem & nauſeoſum habet, in quo maximam virtutem, quæ huic plantæ tribuitur, poſitam eſſe; folia autem & flores addi in exhibitione ſolum ex hac ratione, ut nimia acredo nauſeoſa radicis temperetur, exiſtimo.

PYROLA Arbuti fol. *Rivini.*

SANI-

SANICULA, *Riv.*

SEDUM *paluſtre purpuraſcens*, Sedum paluſtre ſubhirſutum purpureum *C. B. P.* & *Moriſonii H. P. O. Tom. II. p.* 475.

LUTEOLA, Lutum Herba *Dodon. Pempt. p.* 80. Luteola Herba Salicis fol. *C. B. P.*

Not. In hujus flore Irregulari non niſi unicum petalum obſervare potui, reliqua pars floris ex meris ſtaminibus & perianthio conſtat: eſt autem petalum illud unicum multifariam in ſummitate diviſum, vel crenatum quaſi, & à tergo poſitum.

RESEDA lutea *J. B. Tom. III. p.* 467. Reſeda Plin. Neotericorum, *Lobelii Icon. p.* 222.

Not. Hujus flos itidem eſt Irregularis, & Hexapetalus, uti potiſſimum ex accurata *Tourneforti* icone ac deſcriptione conſtat, in *Inſtit. Botan.* Fructus autem eſt unicapſularis, in terna loculamenta diviſus. E contrario *Luteolae* præcedentis fructus quadricapſularem repræſentat figuram, vel corniculum quadripartitum.

CERINTHE major *Lobel. Icon. p.* 397.

Not. Hæc propter quatuor ſemina nuda, ad Cynogloſſam potiùs referenda.

CERINTHE lutea, glabro fol. an Cerinthe minor *C. B. P. p.* 258. Cerinthe IV. *Cluſii Hiſt. Rar.*

Not. Hæc manifeſte non niſi duo habet ſemina nigra, ſub perianthio occultata, atque ideò recte *Cerinthe* dicitur.

ECHINOPHORA *Riv.*

Not. Inter ſegetem copioſè creſcit, eſt vix palmaris altitudinis puſilla, hic loci prope *Teplicium*.

LINARIA pumila vulgatior arvenſ. *Tournef. Inſtit. p.* 169.

an

an Antirrhinum minimum *J. B. III. p.* 465. Antirrhinum minim. alterum repens *Lobel. Icon. p.* 406.

ASPERULA quadrifolia paluſtris *Ruppii:* Gallium paluſtre album *C. B. P.*

RANUNCULUS aquaticus fol. rot. & capill. *C. B. Pin.* 180.

ASTRAGALUS perennis, procumbens, vulgar. flore ochroleuco, ſ. Sylveſtris *Moriſon. P. I. p* 107. Glycyrrhiza Sylveſtris, flore luteo-palleſcente *C. B. P.*

SCIRPUS paluſtris altiſſimus *Tourneſ. Inſtit.* Jucuns paluſtr. mas *Tabernemont.* Juncus maximus Holoſchænos *J. B.*

NIGELLA arvenſis cornuta C. B. P. 145. an Melanthium ſylv. 1. arvenſe *J. B. III. p.* 209.

NIGELLA anguſtifolia, flore maj. ſimpl. coerul. *C. B. P.* Melanthium capite & flore majore *J. B.*

EQUISETUM paluſtre, ſetis longior. *C. B. P.* 15. Hippuris *Lobel. Icon. p.* 793.

CHRYSANTHEMUM fol. Millefolii: an Chryſanthemum majus fol. valde lacin. flore croceô *J. B. III. p.* 104.

LEVCANTHEMUM Sylvatic. Tanaceti fol. *Rupp.* Tanacetum inodorum I. *Cluſii H. R. p.* 338.

VACCARIA *Dodon. Pempt. p.* 104. Lychnis ſegetum rubra, foliis Perfoliatæ *C. B. P.* 204.

Not. Hujus petala rarò in orbem explicantur, & perianthium eſt valde anguloſum; quibus quidem

â Lychnide differt, ast non genericè. vid. *Ruppii Flor. Jen.*

STACHYS Montana *Riv.* Stachys folio densiore candicante, serrato & acuto, major *Morison. Tom. III. p.* 381. Stachys *Dodon.* Hæc planta integra penitus tomentosa est, flore eleganter purpur.

RANUNCULUS longifol. paluſtr. *C. B. P. p.* 180. *J. B. III. app. p.* 865.

RANUNCULUS montanus hirsutus. Ranunculus magnus valde hirsutus, flore luteo *J. B. III. p.* 417.

CIRSIUM Alpinum *Morison. III. p.* 150.

SAMBUCUS CERVINA, Sambucus montana racemosa *Lobel. Ic.* 163.

LOLIUM Verum *Dioscorid.* spicâ cristatâ, inter Hordeum frequens.

CAMPANULA major & asperior, fol. Urticæ, flore albo *J. B. ap. Chabræum*, item *Morison. II. p.* 459. *Sect. V. Tab.* 3.

PTARMICA Offic. Ptarmica *Morison.* III. *p.* 40. *Sect. VI. Tab.* 12.

RANUNCULUS Aconiti fol. flore niveo. Ranunculus fl. simpl. albo *Lobel. Icon. p.* 668.

Not. Hæc planta tricubitalis fere est altitudinis, in summitate valde ramosa, ramulis nudis, longè lateque porrectis, quibus insident flores albi, fugacis-

gaciſſimi. Fructus ſunt ſemina nuda plura in capite digeſta.

XYLOSTEUM Alpinum fol. Alni *Rupp.* Chamæceraſus Alpina fructu nigro gemino *C. B. P. p.* 45.

Not. Baccæ erant in hoc frutice nigræ, ex longis petiolis pendentes, & quidem ex unico petiolo ſemper binæ.

CAMPANULA multiflora, fol. anguſt.

Not. Hæc â radice ſtatim ad ſummitatem usque flores habet continuò, propè caulium nodos & foliorum egreſſum, ex uno ſaltem latere exeuntes.

CAMPANULA minor, rotundifolia, vulgaris *Moriſon. II. Sect. V. c.* 2.

Not. Maxima pars foliorum eſt anguſta, inſtar fol. Perſici, inferiora ſaltem ad radicem rotunda, unde nomen forte habet.

BUPLEURUM *Riv.*

Specioſiſſima altitudine hic occurrebat in pratis Eichwaldenſibus: â Perfoliata nonniſi floribus ex perianthio longè prominentibus differens.

ACER campeſtre & minus *Dodon. Pempt.* 840.

Not. cortex hujus Aceris utplurimum valde eſt rugoſus & profundis ſulcis exaratus, coloris (quem dicimus) Iſabellini.

MYOSOTIS Scorpioides paluſtris repens.

Not. per totam longitudinem, ad alas foliorum profert floſculos coeruleos, obſcurioris coloris, exiguos valde & fugaces, ſuperſtite perianthio cum fructu bicapſulari cordato; & virgatim quaſi creſcit.

CARDUUS TOMENTOSUS ANGLICUS *Lobel. adverſ. ſtirp. Nov. p.* 370. ubi figura, quæ perfectè convenit cum exemplari illo, quod Teplicii inveni ad viam publicam, Dornam ducentem.

Not. Caput magnum, latum ſatis atque expanſum habet Carduus hic, quod intus tomento farctum eſt albicantis, cinerei coloris, miranda textura, ex quo innumera prodeunt ſpicula, lunata ſerie diſpoſita: Flores, licet per tres ſeptimanas integrum caput Cardui jam expanſum fuerat, videre tamen non licuit hoc anno: ipſum caput externè perianthio parum villoſo potius quàm ſpinoſo ornatum erat, niſi foliola, quæ hoc circumdant, ſpinoſa, pro tali habere velis.

Sine ratione *Joh. Bauhinus Tom. III. p.* 57. taxare videtur *Lobelium*, dum duas figuras unius plantæ in *Icon. Plant.* hunc poſuiſſe exiſtimat, & NB. malam figuram Adverſariorum omitti poſſe cenſet. Hæc enim *Adverſariorum Lobelii* figura vera omninò, & penitùs eadem eſt cum illa

illa planta, quam *Teplicii* inveni, & conſervo adhucdum exſiccatam. *Joh. Bauhinum* autem penitus non in natura vidiſſe hunc Carduum noſtrum capite tomentoſo, *Lobelium* verò rectè diſtinxiſſe ab altero illo, qui Corona Fratrum falſò, rectiùs Eriocephalus â *Dodonæo* appellatur, fatebitur facilè quivis, cui hunc noſtrum Carduum inſpicere licuit ſemel. Eundem errorem cum *Joh. Bauhino* & *Celeberr. Jo. Rajum H. P. Lib. VII. de Herb. Capit. p.* 311. commiſiſſe, maximoperè miror.

GENTIANELLA Verna, major, *Cluſii* & *Moriſon. III. Sect. XII. tab.* 5. & *p.* 483.

ONOBRYCHIS fol. Viciæ, fructu echin. maj. *Moriſoni, II. Sect. II. tab.* 2.

ASPERULA Hexaphyllos purpur. *C. B. P. p.* 334.

Not. an ad Rubeolam referenda, quia vaſcula fert gemina, cohærentia, oblonga, & in ſummitate digitata? vid. *C. B. Prodrom. p.* 145.

BELLADONNA, ſeu Solanum Somniferum & lethale *Lobelii Icon. p.* 262. Solano affinis &c. *Moriſon. III. p.* 532.

CHAMÆDRYS maj. offic. *Lobel. Icon. p.* 491. Chamædrys *Rivini.*

CHAMÆDRYS laciniatis fol. *Lobel. Icon. p.* 385. Iva Moſchata *Riv.*

XYLOSTEUM fructu geminò rubrò *Rupp.* Chamæce-

rasus fructu rubrô, geminô *C. B. P. p.* 451. Periclymenum rectum fructu rubro *J. B.* II. *p.* 198.

Not. fructum inveni monopyrenum, pro quo etiam *Tournefort.* habere videtur: Si autem à *Volckamero in Flor. Norimb.* pro dypyreno venditetur, inde fortassis est, quod duplicem fructum simul sumptum examinaverit: quô jure *Ruppius* pro polypyrenô habeat, non video. Hoc communissimum apud nos, circa Dresdam etiam est *Xylosteum*, rarius est illud fructu nigrô. Et in communi hoc Xylosteo sæpissimè etiam invenies Baccam ex singulari petiolo unicam, unde etiam fortassis quidam Xylosteum fructu simplici statuerunt inveniri.

VIBURNUM seu Lantana, Viburnum *Matthioli*, Viurna vulg. Gall. *Lobel. Icon. p.* 468.

COTONEASTER *I. B. I. p.* 73. Cotoneaster fol. rotundô non serrato *C. B. P. p.* 452.

Not. fructus est coloris miniati, instar Sorbi Aucupariæ, cum quo etiam, quoad baccas, in magnitudine convenit; tripyrenos. Falsissima est figura, quam *Car. Clusius H. R. p.* 63. habet, melior J. *Bauhini*, exceptis floribus & fructibus, quos in extremitatibus ramulorum ponit, cum tamen in medio ramorum potiùs hæreant. Cotoneastrum

neaſtrum hunc habet *Tournefort*, ſub nomine Mespili fol. ſubrotundo, fructu rubro, *Inſtit. p.* 642.

RIBES ALPINUS dulcis *J. B.* II. *p.* 98. Groſſularia fructu rubro dulci *Tournef.* & *Ruppii.*

Not. Car. Cluſius H. R. p. 120. in recenſione hujus fruticis citatur communiter, pro meliori cognitione hujus fruticis ex figura: aſt veram figuram *Cluſius* non habet, ſed Ribeſii vulgaris ſaltem; facit autem mentionem hujus noſtri Ribes incidenter ſaltem poſt hiſtoriam Chamæ-Mori.

ABROTANUM Campeſtre, cauliculis purpuraſcentibus *C. B. P.* & *Ruppii.*

ABROTANUM Campeſtre, cauliculis albicantibus *C. B. P. p.* 136. Artemiſia tenuifolia I. *Cluſii in Pannon.*

CAMPANULA nemoroſa pyramidalis minor, floribus in ſpica farctis denſioribus.

JACÆA capite aſperô; Jacæa latifolia capite hirſuto *C. B. P. p.* 271. Jacæa Auſtriaca II. vel Jacæa montana villoſo capite *Car. Cluſii H. R. p.* vij.

SALICARIA Hyſſopi anguſtiore fol. *Tourneſ.* Hyſſopifolia *J. B.* III. *p.* 792. Eſt planta ramoſa, palmaris altitudinis, ramuſculis ſtatim â radice exeuntibus, qui per totam longitudinem iterum dividuntur in copioſos, rotundos cauliculos, inferiùs viridi-rubentis coloris:

ris : *folia* caules inordinatè, aſt denſe ambiunt, & his fere applicantur, atrovirentia, glabra, lucida, anguſta & oblonga : ex foliorum alis crebri prodeunt *floſculi* lætè purpuraſcentis coloris, perfecte Regulares, ex perianthio caliciformi, ſexies diviſo.

Not. Petala florum cum perianthio adeò cohærent firmiter à latere, ut an Monopetali, an hexapetali ſint, diſtingui vix poſſit: patet tamen ex charactere Tournefortii, quod hexapetali omninò ſint, dum rectè ad ſalicariam referuntur.

Tantum, hac vice!

OBSERVATIONES PATHOLOGICO-THERAPEVTICAE,

horis subsecivis conscriptæ,

QVARVM NVNC PRIMAM DECADEM

Amplissimæ, & ubique gentium Celeberrimæ

ACADEMIAE IMPERIALIS

NATVRAE CVRIOSORVM

Perillustri, Magnificis, Excellentissimis, Spectatissimisque

DN. DN. PRAESIDI, DIRECTORI,

ADIVNCTIS, ATQVE COLLEGIS

Patronis, Fautoribus, Amicis,

omnium Ordinum æstumatissimis,

Speciminis loco

exhibet

IO. IACOBVS NEVHOLD,

Sempron. Hung. Philos. & Med. Doct.

Incl. Comitat. Comarom. Phys. Provinc. Ord.

itemque illius Academiæ Socius.

VIRI

Perilluſtris, Magnifici, Excellentiſſimi, Spectatiſſimique!

QUod levidenſes haſce pagellas ad tholum VESTRVM *appendere non reformidem, nemo, credo, temeritatis me arguet, ubi cognoverit, non unam mihi, ſed plures, easque longe graviſſimas rationes ſuppetere. Poſteaquam enim me, tribus abhinc annis, & quod excurrit, nullo meo merito, ſed propria benevolentia compulſi, dignum judicaſtis, quem in ampliſſimum ordinem* VESTRVM *reciperetis, ſtatim cogitare cœpi, qua ratione viciſſim* VOBIS *pietatem meam, gratumque animum, & obſequia palam conteſtari liceret. Tum vero ſolicite admodum circumſpicienti occurrerunt equidem nonnulla, publica luce non usque adeo indigna, ſed quorum pertractatio multo difficillima viſa eſt, cum propter ſuam ipſorummet dignitatem, tum præcipue ob excellentem illam doctrinam, & eruditionem, quam univerſus orbis literatus in* VOBIS *ſuſpicit, ac admiratur. Quæ duo cum paulo accuratius perpenderem, atque cum tenuitate mea conferrem, parum profecto abfuit, quin a propoſito meo penitus deterritus fuerim. Sed hæſitanti addidit animum, confirmavitque ſingularis illa facilitatis* VESTRAE *fama, quæ cum paſſim ab optimo quoque celebretur, mihi quoque ſpem haud obſcuram fecit,* VOS *Symbolas, quotquot collaturus ero, non ex ingenii modulo, qui ſane perquam eſt exiguus, ſed ex conatu æſtimaturos. Hac igitur benevolentiæ non minus* VESTRAE, *quam officii, quo me ornaſtis, conſcientia freto placuit ab initio in* Cannabis, *atque* lini naturam *intimius inquirere; ſed quæ poſtea,* opuſculum jam abſolutum, *atque* Volumini ſecundo deſtinatum,

fata

fata manserint, ex Observatione prima patebit. Novum proinde capiendum fuit consilium, atque vel deperdita opella è chartis rejiculis reconcinnanda, vel diversum plane eligendum argumentum. Cum autem hoc præ illo magis arriserit, adgressus equidem sum Arnicæ *laudes virtutesque describere, novisque plane, & peculiaribus exemplis corroborare, sed nondum licuit tractationem, ob concatenatos labores clinicos, & perpetua fere itinera, quibus statio mea est obnoxia, perficere. Quamobrem cum perceperim nuper,* tertium *jam* Actorum Volumen *sub prelo sudare, commentatione illa tantisper relicta, commodioriique loco reservata, quo demum elaboratior prodeat, præsentes interea* Observationes *è collectaneis meis in unum fasciculum summa festinatione colligere, atque sub* Illustrium Nominum VESTRORVM *auspiciis, lucem aspicere concupivi, ne forte partium mearum oblitus videar, negligentiæque alicujus insimulari queam. Etsi vero perparum illis elegantiæ & nitoris insit, omni tamen asseveratione affirmare possum, candoris esse plenissimas. Has igitur,* VIRI, *fama non minus, quam meritis* Illustres, Patroni Maximi, *in tesseram fidei meæ, pro innata* VOBIS *humanitate, qua perpolita quidem suo habere loco, sed neque rudiora despicere soletis, serena fronte accipite, atque splendore* VESTRO, *cum proprio careant, collustrate. Quodsi feceritis, persuasissimum habeo fore, ut non solum apud alios etiam bonos, judicio* VESTRO *approbatæ, tanto facilius applausum inveniant; sed etiam è contrario a malevolorum calumniis, & obtrectationibus immunes maneant. Neque vero mihi dubium est, quin hoc eadem animi propensione sitis effecturi, qua me in numerum* VESTRVM *adscripsistis, & omnium atque singulorum in literarum studiis ardentiores conatus promovere satagitis.*

Et sicut primæ hujus Decadis *exarandæ* VOS *Ipsi præcipua fuistis causa; ita, si* VOBIS *eandem vel leviter placuisse intellexero, ad* posteriores *etiam edendas omnem, quæcunque a me expectari poterit, industriam diligentissime adhibebo. Quin totus in eo ero, ut illarum quoque* Rerum Naturalium, quas Hungaria, *præ aliis regionibus, tanquam sibi* proprias possidet, *interiora sedulo perscruter, atque vel peculiarium observationum, vel* appendicis *titulo adnectam. Sicubi vero me sive nunc, sive in posterum a recto aberrare tramite animadverteritis, enixe rogo, ut re gravemini in veram viam reducere, atque benigne corrigere: sicuti enim approbatio* VESTRA *summam mihi animi voluptatem; ita correctio maximam præterea utilitatem afferet. Ita* VOS DEVS *Immortalis universos ac singulos sospitet, ut gloria* VESTRA, *omnisque generis felicitas nec cesset unquam, nec minuatur. Servet idem* VOS *Numen, ut per* VOS, *Sanitatis Custodes Optimos Maximos, salus hominum communis sarta tecta aque conservetur; exhilarentur complurium terrarum Principes, ac divinarum humanarumque rerum Moderatores; exultent populi; denique* Academia nostra *sub* Clementissimis SACRAE MAIESTATIS CAESAREAE *auspiciis vigeat, floreatque indesinenter. In qua pietate Voti dum finio, me meaque omnia constanti favori* VESTRO *commendo, perseveraturus, quoad vixero,*

VOBIS

Dab. Comaromii, in inferiore Hungaria, Ipsis Cal. Junii A. R. S. cIↃ IↃ cc xxxii.

Omni fide, obsequio, ac observantia addictissimus

APOLLOPHANES.

PRAEFATIO.

MUlti multa scribunt, sed quæ cum veritate undequaque conveniant, nihilque ficti in se contineant, usque adeo pauci sunt, qui tradant. Equidem nolim hic cujusquam fidem labefactare, sed illa mihi demum omnium firmissima videtur, quæ non meris conjecturis, ac mutuis transsumptionibus, verum docta certaque plurimorum experientia nititur. Quemadmodum enim *oculi plus vident, quam oculus;* ita etiam assertioni illi plus credere licet, quam quotidianus rerum usus quorumvis ritę experientium testimonio confirmat. Neque vero certitudo sola est, quæ rem commendat, utilitas etiam, eaque præcipue, in considerationem venit. Proinde summa ope unum quemque niti decet, ut, non solum, quæ recta, sed, quæ humanæ societati simul utilia sunt, faciat. Quo in stadio cum ipse decurrere firmiter mecum constituerim, nemo, credo, me temere judicabit, quod in iis operam meam maxime exercere adgrediar, quæ quotidiana praxis clinica suppeditat, atque in communem utilitatem transferri possunt. Nec adeo me morantur frivolæ quorundam objectiones, *quod in Acta hæc nostra nihil, nisi quod curiosum, quod novum, quod inauditum, referri debeat.* Sunt, quibus ista placent, ficta quandoque & excogitata, mihi vero pro muneris mei ratione, atque laborum multitudine, his solum vacare, ac delectari permissum est, quarum primitias, exempli veluti loco, hic exhibeo, *Observationibus Pathologico-Therapevticis.* Quæ, si attenta, & a præconceptis opinionibus aliena mente sedulo colligantur, collectæ bona fide recensentur, uti fundamentum sunt verioris & genuinæ *historiæ morborum*; sic tanto solertiori cura perlegi

merentur, quanto major ex illis fructus in universam scientiam medicam redundat. Id quod cum diligenter, atque solicite jam agere instituo, neque me omnino frustra operam locaturum, neque omnibus æque displiciturum existimo. TU ergo, quisquis demum fueris, LECTOR BENEVOLE, conatibus meis ut feliciter fruaris, mihique lingua non minus, quam animo faveas, id est, quod a bonitate TUA non tam expeto, quam certo mihi polliceor. Sit itaque σὺν τῷ Θεῷ,

Observatio I.

De Noxiis Cannabis, atque Lini, herbarum, nondum exiccatarum, effluviis.

CUm permulta sunt, quæ sanitati hominum noxam inferre solent, magno propterea studio indaganda, ut tanto diligentius evitari queant; tum potissimum ea commemoranda, & Medico, suarum rerum satagenti, penitiori examine perscrutanda veniunt, quibus ut hæc Vita nostra commode carere non possit, prius tamen, quam usui accommodentur, valde periclitatur, & sæpe in summum discrimen adducitur. Eminet hic, veluti e regno vegetabili, par herbarum nobilissimarum, &, si usum communem spectes, oppido necessariarum, intelligo CANNABEM, atque LIMUM. Hæ sunt illæ, quæ, licet eximia utilitate sua omnes fere alias antecellant, atque universum humanum genus sibi devinciant, attamen, dum recentes sunt, evulsæque aquis macerantur, & futuro usui parantur, insigniter etiam nocent, experientia frequenti teste. Atque ita sane *latet anguis in his herbis*, utilissimis alias, sive œconomiam consideremus, sive ipsam medicinam. Quod argumentum tribus abhinc annis peculiari schediasmate pertractavi, atque *Illustri* tunc temporis

poris *Academiæ nostræ* PRAESIDI, *B.* DN. D. SCHROECKIO, Speciminis loco Actis nostris inserendum misi, cum me prius honorifico valde Diplomate, tanquam testimonio factæ receptionis in *amplissimum* hunc *ordinem*, cohonestasset. At, nescio, mortene *Incomparabilis Viri*, an tabellariorum negligentia Symbolam hancce meam intercidisse contigerit? Quicquid sit, deperditam esse, tanto vehementius doleo, quanto majori labore, ac industria a me elaborata fuit. Sed neque ex chartis rejiculis, quas forte in scriniis meis inveni, eandem reconcinnare occupationes meæ clinicæ permittunt. Ut tamen aliqua illius memoria posteritati tradatur, atque eruditis, pro ulteriori evolutione de meliori commendetur, *brevem* hoc loco *Sciagraphiam* exhibere constitui. Fuit opusculum in *tria* dispartitum *capita*, quorum *primum physico-botanicum*, differentiam, & notam characteristicam, aliaque curiosa edocuit; *alterum*, *chymico-medicum* in naturam & indolem harum plantarum methodo Spagyrica, variis ante factis analyticis tentaminibus, investigavit, *tertium*, *œconomico-politicum*, utrinque regulas tradidit, quibus diligenter observatis, & major ab his plantis fructus percipi, & metuenda noxa prudenter evitari queat. Cuncta hæc missa iam faciam, ne angustos observationis limites longius excedat, atque in librum excrescat tractatio. Id saltem exemplis, tanquam a posteriori, probatum ibo, esse has plantas inter eas, quas *Jo. Langius L. II. epist medic.* 30 *p. m.* 689. de noxia arborum umbra & rore recensuit. Noxiæ sunt solo, in quod inseruntur, testibus fere omnibus, quotquot de iis scripserunt, auctoribus, *Theophrasto L. IV. c.* 9. *de Causis Plantarum*; *Virgilio*, *Georg. L. I. v.* 77. *seqv.* Ad quem locum *Taubmannus* observat, *linum* naturæ esse fervidæ, & ob id *virus soli* dictum; *Plinio L. XVII. c.* 9. *aliisque R. R. scriptoribus.* Noxiæ sunt jam enatæ brutis item animalibus,

bus, ac hominibus. Prius, præter alios, teſtatur Lumen illud quondam patriæ noſtræ, & Decus, *Martinus Szent-Iványi, e S. J. in Miſc. Obſ. œconom.* 68. *Culices*, inquiens, *cannabem dicuntur non accedere; & Obſ.* 92: *Venenum fertur deponere ſerpens, cannabum ſemine conſperſus.* Unde profecto etymologiæ *Slavicæ* adparet ratio, qui Cannabem, *Konopas* appellant, neſcio, ideone, quod ut prælaudatus auctor obſervavit, *Culices*, quos Græci Κώνωπας vocant, *cannabem* non accedant, an quod Κωνωπεῖον hinc quoque confici queant, h. e. vela ſeu papiliones, quibus Aegyptii uſi ad arcendos culices, quorum ibi magna copia ſemper, propter paludes Nili, & maritima. *Noxiæ ſunt*, ubi jam evulſæ aquis macerantur, *piſcibus*, qui ab ipſis magis, atque à cocculis Levanticis *inebriantur*, immo plerique *intereunt.* Quid? quod *tali aqua pota reliqua animantia temulenta evadant ac vertiginoſa, morbumque perſæpe contrahant diuturnum*, quo, veluti veneno aſſumpto inflantur, ac intumeſcunt. Plerumque autem ſpeciali Naturæ impreſſione aquam taliter infectam, ubi advertunt, penitus averſantur: immo nec adacta & compulſa propius accedunt, quin longiſſime refugiunt, cujus ſane rei oculatus ipſe ſum teſtis. Magna equidem inter auctores agitatur hac de re controverſia, dum alii emollitionem harum herbarum noxiam eſſe, ac peſtilentem contendunt, alii e contrario omnem ab ea culpam pro viribus depellere ſatagunt. Unde immortalis famæ Medicus *Jo. Maria Lanciſius in eruditiſſimo opere ſuo*, quod inſcripſit *de Noxiis Paludum Effluviis L. I. P. I. c.* 8. *p. m.* 34. *ſequ.* litem hanc componere, & diſſentientes auctores, pro more ſuo, id eſt, ſapienter, ſibi invicem conciliare allaborat. Diſtinguit autem ille inter aquas quieſcentes, & fluentes, putatque prioribus omnino nocere, poſterioribus vero nihil damni inferre. Ubi Epi-

phone-

phonematis veluti loco subjungit: *Itaque eos, qui noxiam esse lini emollitionem contendunt, desides lymphas, & cum lymphis aërem respexisse oportet; qui autem innoxiam pronunciarunt, defluentibus esse locutos. Neque utrisque & ratiocinium, & exemplorum copia, atque auctoritas defuit.* Sed liceat mihi pace tanti viri affirmantium partes tueri, ac multitudine exemplorum convicto statuere, effluvia ex his herbis exhalantia quovis modo nociva esse; quamvis negare nolim, magis inficere stagnantes, quam profluentes aquas. Quid? quod in majoribus fluminibus rarius macerentur. Quod si vero macerari contingat, quia tamen moles aquarum, exeuntia effluvia infinitis numeris exsuperat, proinde nulla inter hæc ex illa est proportio, hinc plane mirum non est, quod effluvia tantopere discontinuata ex extensa minus nocere queant. Taceo, rapido motu omnem noxam citius abstergi, deleri, abripi, dissipari. Eadem vero fere est rivulorum, ac minorum fluviorum, ubi hæc fieri assolent, ratio, quæ stagnorum atque lacuum. In his sane maximopere nocere macerationem toties dictarum herbarum, quotusquisque est, qui contra experientiam inficietur? Ego ut a me visa, & superius citata sicco jam pede præteream, aliorum etiam testimonia in medium proferam. Ita profecto *Schenckius Obs. Medic. L. VII. de Venenis p. m.* 835. ita *Simon Pauli in Quadripartito Botanico p. m.* 234. *ex Pena* & *Lobelio* commemorant exemplum, ubi potus hujusmodi aquæ potatoribus maxime exitiosus fuerit, nullis antidotis, quamvis tempestive datis, amplius juvantibus. Quamvis autem hi de lacustri testentur aqua, eo tamen magis meum roborare videntur argumentum, quod non ex ipso lacu, sed limpido fonte haustam affirment, quorsum per occultos, & subterraneos meatus transiit. Quo mo-

do cum sufficienter transcolari & perpurgari ante potuisset, ac debuisset, nihilominus contractam semel, atque intime communicatam venenositatem retinuit: id quod ex effectu manifeste patet. Unde profecto est, quod in *Anglia*, aliisque politioribus regionibus eam publica lege prohibitam legamus. Neque vero solum aquam, sed & ipsum aërem ab his effluviis infici nemo negabit, nisi qui sensu destituitur, aut certe in ejusmodi locis opportuno tempore versandi occasione. Videamus & percurramus Scriptores Medicos, hac de re commentantes, vix unus erit ex omnibus, qui ex causarum morbificarum numero istam omittat. Ipse *Lancisius* cum *aliis l. c. p m.* 442. item asserit, *& p.* 254. *narratum sibi*, ait, *Constantinopoli pernicioſas febres frequentius in populum grassari, quod linum & Cannabis pene madida Cairo advecta publicis horreis inferantur. In quibus cum illa per æstatem effervescant, ac deinde distrahendi gratia exponantur, pestem illam afferre consueverunt.* Quæ relatio ad amussim cum illa convenit, quam mihi amicus quidam singularis, societatis illius membrum, quæ mercaturam in Indiam orientalem faciendi ergo *Constantinopoli* collecta est, perscripsit, ubi simul memorat, e semine Cannabis potum ibi confici, non absimilem alteri, qui ex succo illo papaveris, quem inspissatum Opium appellare solent, paratur, atque ab illis *Mázlách* dicitur, sicut forte apud nos cerevisia, aut mulsum decoqui solet. Errant igitur, qui *Mázlách* hoc speciem medicamenti, sub forma sicca, esse perhibent, quale forte est pulvis ille narcoticus, aut bolus, quo *Aegyptii* utuntur, quoties sibi festivam insaniam accersere volunt, *Henr. Mundio in Comment. suis de Aëre vitali, Esculentis & Potulentis*, cum compluribus aliis id asserente. Qua occasione parcant mihi *Manes*

Wede-

Wedeliani, quos undequaque obsequiose veneror, quod populares meos ab illa imputatione vindicare sustineam, quasi vero audaciam & fortitudinem potu tali conciliare sibi olim sint soliti. De *Scythis* scribit *Herodotus L. IV. quod odore fumi seminis cannabis, quæ apud ipsos lino simillima nascitur, gaudentes fremant.* Nullam tamen facit temporis determinationem. Immo quanta inter ipsam patriam, tanta inter illius inhabitatores & incolas est distantia, & diversitas. Licet enim *primi Hungarorum progenitores ex Scythia progressi sint*, longe tamen alios induerunt mores, ubi ad illas devenerunt partes, quas nunc actu possidemus illorum *successores. Hungara* certe gens, sicut nunc, ita semper bellicosissima extitit, cujus rei luculentissima in hunc usque diem passim per Imperium videri possunt documenta. Ex quo sane inani præsuppositio, *Maximum* istum *Virum* deceptum esse judico, dum vocem *Mazlach*, *Máslác*, *Mátsláq*, aut *Massac* &c. *ab Hungario Másolom*, *seu Másálom* deducit, præeunte *Fogelio*; *Vide elegantissimum Ejus Tractatum de Opio p.* 163. Undecunque orta sit vox illa, sive ex *India*, sive *Persia*, *Hungaricam* certe habere nequit derivationem, quicquid tum temporis, cum ista docte commentaretur, falsæ Ipsi suggesserunt Hungarorum quidam, Hungaricam forte linguam & genium minus callentes. Sed ut eo redeam unde digressus sum, non jam commemorabo *damna*, quæ ab intro assumptis evenire possunt, illa solum attingam, *quæ eos afficiunt, qui circa herbarum illarum œconomicam præparationem versantur.* Quam operam aliqua ex parte mihi præoccupavit *doctissimus Bernardinus Ramazzini in Diatriba sua de Morbis Artificum p. m.* 213. *sequ.* Cujus observationibus abs me adnotata quædam addere liceat. Enim vero cum curiosius in affectus consequentes, quibus hoc ho-

minum genus, œconomiæ tali sorte sua incumbens, est obnoxium, investigarem, multiplici annorum serie adverti, frequentiores esse inter eos dum herbas has evellunt, atque in fasciculos manuales colligunt, *graviores capitis dolores, vertigines, tinnitus aurium, suffusiones oculorum, tusses siccas vehementissimas, palpitationes cordis, cardialgiam, & in dispositis, universum pathematum hysthericorum apparatum.* Notus mihi est Vir XLIV. circiter annorum, temperamenti sanguineo-cholerici, qui nunquam alias ab hæmorrhagia narium solet tentari, quam illo tempore, cum pagum talem transvehitur, in quo herbæ istæ sive evelluntur primum, sive jam siccatæ contunduntur, ubi *a solo graviore odore nares ejus tantopere afficiuntur, ut subito in copiosissimum incidat sanguinis profluvium, aliquando ad animi usque deliquium.* Unde & ipse talia loca solicite admodum evitat, & noviter conductum famulitium ante omnia instruit, ne fors, eventus hujus ignarum, herum suum incaute aliquando illuc devehat. Merito autem sapientiorum judicio committo, num *idiosyncrasiæ* hujus subjecti, an *specificæ efficaciæ* horum effluviorum vis ista adscribenda sit? Illud certe omni asseveratione affirmare possum, *in pluribus motum esse sanguinem, atque ad excretionem per nares stimulatum*, qui vel levem aliquam prædispositionem habuerunt, sine alia quapiam manifesta causa, exterius concurrente. Ut in hoc occupatis vix opus sit radice Crocodilii, aut herba millefolii, aut scarificatione narium Aegyptiaca, ad excitandam & reuocandam eorum hæmorrhagiam. Sed jam vela contrahere par est, narrato prius, cujus causa eadem expandimus, casu maxime notabili atque memorando,

qui

qui uti anno proxime elapso attentæ considerationi meæ sese obtulit; ita præter alios veritatem a me dictorum firmissimè evincit. Enimvero erat hic in pago quodam vicino, *Mocs* dicto, *mulier juvencula*, rusticana, sana vegetaque, & nullam unquam incommoditatem, præter vitæ generis, si tamen hoc incommodum, & non potius gratum æstimandum est, perpessa est. Hæc uti antea duarum jam prolium mater felicissima facta est, sic tunc tertia vice *in mensem* VIII. *gravida*, æque fortunatum partum, neque immerito sibi promisit. Sed quod fatale ei accidit, recte tum adfuit *Cannabum messis*, cui cum pro ratione status sui, toto die incumberet, circa vesperam de *acutissimis capitis doloribus conqueri cœpit, qui & ipsam maturius domum repetere coëgerunt, & demum in atrocissimos motus convulsivos transierunt, non solum fœtum ante tempus legitimum violenter excutientes, sed eo usque etiam perdurantes, quoad post decursum trium dierum misere animam expiraret.* Ecquis vero sontici hujus eventus rationem *virulentis herbæ hujus exhalationibus* adscribere dubitet? Ubi appositè admodum in mentem venit, quod *Rodericus a Castro L. I.* de Morbis Mulier. p. 23. sequ. *fila cannabina, cum cinere cocta, ut solent mulieres antequam telam conficiant, calida & madida regioni ventris ac pubis applicata, inter fortiora emenagoga commendaverit.* Id quod conclusionis loco hic commemorasse sufficiat.

Obſervatio II.

De Damnis ex Plica abſciſſa.

JUdæo e plica Polonica laboranti incautus, rudisque barbæ tonſor eandem præſcindens, *amauroſin*, *delirium*, *apoplexiam*, *mortem* induxit. E quo caſu non ſaltem Prognoſis a dogmaticis Medicis hucusque lata confirmatur, ſed &, cautiores ut hos tales eſſe jubeamus, neque ita ſine diſcrimine quosvis in vitas hominum ſævire patiamur, edocemur. Conf. *Rodericus a Fonſeca Conſultat. Medic. Tom.* I. *p.* I. *ſequ. Danielem Sennertum Med. Pract. L. V. P.* III. *Sect.* II. *c.* 9. *de Plica Polonica p. m.* 314. Ceterum *Maniam* e Plica abſciſſa videſis in *Ephem. Nat. Cur. Cent.* I. *Obſ. XXXV. p.* 102. *Cæcitatem* ex Plica abſciſſa retulit *Dn. Dr. Chriſtianus Henricus Erndelius*, *in Eph. prælaudatis Cent. IX. & X. App. p.* 475. *ſeqq.* paſſim. Et antea jam Dn. Dr. *Simon Scholzius* in doctiſſima & lectu digniſſima obſervatione ſua de *Plica* explicata, quæ habetur in *Miſc. Nat. Cur. An.* VII. *p.* 190. multos poſt abſciſſionem cirrorum in *cæcitatem* & *dolores artuum*, atque *capitis* incidiſſe adnotavit. De cura hujus morbi legi meretur, præter alias & nunc citata obſervatio, & alia in iisdem *Miſc. Nat Cur. An.* II. *Num.* 52. *p.* 93. auctore *Dn. D. Martino Bernhardo a Bernitz* per *Muſcum terreſtrem* monſtroſum, quem propter expertum in hoc affectu uſum, in Polonia *Plicariam* & *cingulariam* appellitare ſolent. Adhibetur vero partim interne, partim externe: mox in decocto & eſſentia, mox in Unguento, prout ſcilicet circumſtantiæ efflagitant. Figuram ejus laudatus *Dn. Dr. Bernitz l. c.* accuratiſſimam exhibuit, neque minus eleganter delineavit *auctor horti Eyſteten-*

ſtetenſis, *Plant. Aeſtiv. Ord. VIII. fol.* 12. Germani vocant **Berlap / Wolffs-Klauen / Gurtel-Kraut / Katzen-leiterlein.** Hæc dum ſcribo, ſupervenit alius Judæus, qui de Caſu hoc iterum a me interrogatus affirmavit, ſe *tres* noviſſe pariter ex gente ſua natos, *quibus hæc immatura cirrorum abſciſſio funeſta fuerit:* uxorem autem ſuam ſponte naturæ curatam, atque ab hoc malo liberatam, poſtquam capilli ita complicati ſine aliquo exhibito auxilio decidiſſent. Notandum vero, hunc affectum non ſemper ab aëris vitio, ſed ut plurimum accedente ſimul ſorditie hominum generari.

Obſervatio III.

de Inextirpabili latorum Vermium progenie.

QUam infenſa ſit humano corpori univerſa *vermium colluvies*, cum non ſolum mortuo inſultant, ſed & vivo prope infinitas adferunt calamitates, res eſt aniculis etiam plusquam notiſſima. Neque injuria: Cum enim inter eas res, quæ toto genere præter Naturam ſunt, facile primatum obtinent, hinc ſane non adeo difficile eſt intelligere, qua ratione & per ſe graviſſimos quosque morbos excitare, & ex alia quapiam cauſa productos fovere, ac exacerbare poſſint & ſoleant. Cujusmodi hiſtoriis pleni ſunt Medicorum libri, quas omnes uti ſimpliciter huc exſcribere ſupervacaneum fuerit; ita nihilominus diligentius evolvere propriæ cujusvis curioſi Lectoris induſtriæ merito committitur. Hic modo *rariorem caſum*, neque adeo obvium commemorare placet. *Lanio* quidam XXX. circiter annorum, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, a multis retro annis quoties inſtin-

inſtinctu Naturæ ſpontaneo alvum deponere ſolet, toties *vermes latos*, *adinſtar ſeminis cucurbitæ*, mox *ſeparatos*, mox *articulatim mutuo conjunctos*, *longiores*, *breviores-ve* excernit. Nunquam vero vel leniore laxativo utitur, ubi non *duarum*, *aut trium orgyarum longi*, *foras exturbarentur*. Interea licet nihil adeo incommodi ex his patiatur, niſi quod jejuno adhuc ſtomacho morſicationes circa umbilicum perſentiat: nihilominus diuturnioris jam moræ, quam ingrati hi hoſpites in alieno domicilio trahunt, pertæſus, undequaque conſilia & auxilia, quibus ab ipſis liberari queat, ſolicite quidem, at hucusque fruſtra conquirit. Auſim profecto jurare, magis ipſum in tortores, quam liberatores incidiſſe. Cum enim commune ſit præjudicium, *vermes ſolis purgantibus expugnari debere*, quoscunque hucdum habuit, quibus curam corporis ſui commiſit, ſive iteratos medicos, ut videri volebant, ſive rudiores & ex plebe Medicaſtros, id fecerunt omnes, ut fortiſſimis quibuscunque purgantibus corpus enervarent potius, quam a malo ſuo levarent. Quot vermium millia incongruis non minus, quam æque appropriatis remediis expulſa? & tamen nullus adhuc eorum finis obſervatur, ut revera numerus eorum ſit ſine numero. Quamobrem cum, tot fruſtra adhibitis, meam quoque imploraret opem, primum quidem optima, & certiſſima alias methodo diu multumque hoſtem oppugnavi, ſed cum inexpugnabilem animadverterim, fincere, ac fideliter patienti ſuaſi, ut omni menſe, luna decreſcente, tribus aut quatuor diebus conſequenter *ſecurioribus anthelminticis utatur*, *a purgantibus autem crebrioribus abſtineat*, neque ſæpius per annum, quam quatuor circiter vicibus alvum medicamento proritare ſuſtineat; cum utique præſtet leviores incommoditates patienter perferre, quam numero & varietate medicamentorum vires proſternere, & ſic vitæ terminum ſibi præripere. Si-

Similes huic Obs. vid. in Misc. Acad. Nat. Cur. An. VIII. p. 21. *item in Cent. VIII. p.* 317.

Causam infiniti hujus proventus verminosi frustra est generaliori conceptu in difficultate illa quærere, atque fundare, quaplerumque *lati vermes* e corpore humano expelli non tam ita simpliciter creduntur, quam revera quotidiano rerum usu deprehenduntur. Neque vero hic applicari potest *Naturæ Consultissimi* STAHLII observatio, quam inseruit *Dissert. de Oculorum affectibus in genere, p.* 20 *sequ.* ubi dicit, reperiri in canibus, præ aliis animalibus, sæpiuscule in ipso fundo ventriculi, immo in reliquo etiam interdum tractu intestinornm, unum aut alterum nodum, phaseoli majoris sæpe quantitatem æquantem, foramine in cavitatem ventriculi patentem, intus vero capacitate majori instructum, quam interdum unus major, sæpius numero plures mediocres *lumbrici* inhabitant. Id quod ipse quoque in hominibus observavi, inprimis in puerulo V. circiter annorum, atrophia defuncto, atque a me dissecto, in cujus intestinis plures ejusmodi nodos, majores alios, alios minores, interiori tunicæ villosæ tam firmiter adhærere conspicere licuit, ut veluti concreti viderentur, neque sine læsione ipsius tunicæ cum novacula separari potuerint. De duobus ejusmodi globulis vermium, magnitudine ovi gallinacei, causa perpetui & incurabilis horroris, postquam vero excreti fuissent cum materia fœtida & purulenta, sponte cessantis, *vid. Miscell. A. N. C. Dec. I. Ann. I. p.* 241.

Multo minus attendi meretur locus *Jo. Riolani in Encheiridio Anat. L. II. p.* 108. ubi dicit: *Intestinorum tunica interior exspoliatur & secernitur, quæ creditur conversa in vermem oblongum duorum, vel trium cubitorum, quæ Tænia dicitur, de quo legendus Adr. Spigelius libello de Lumbrico lato.* Contrariatur enim in Casu nostro &

autopsia, & patientis perennitas, cui profecto si idem contigisset, non interior solum intestinorum tunica, sed mille aliæ, si tot habuisset, cum integro viscerum systemate jam pridem exputrivissent.

Enim vero, si, quod mihi hac de re videtur, aliorum pace in medium proferre licet, apud omnes in confesso esse puto, remedia quæcunque vermes vel enecare, vel expellere debent, nonnisi immediato contactu agere. Qualibus cum æger recensitus satis abunde usus sit, neque tamen vermes penitus exturbare potuit, quin nova quotidie propago propullulet, necesse sane est, *habere ipsos peculiarem angulum, ubi latitent, & in quem medicamenta penetrare nequeant.* Atque iste est, me judice, *intestinum cæcum*, in quo sive vivi edantur, sive ex ovulis, perinde fuerit statuere, satis est tantisper credere, quod inde prorepant, atque iterum in cavitatibus coli novum veluti asylum inveniant.

Cæterum cui volupe est, curiosa circa genesin & pullitiem vermium in genere magis nosse, adeat ille *Petrum d' Abano, Arnoldum Villanovanum, Eduardum Tyson, Leevvenhœckium, Nicolaum Andry de Lumbricis latis, Ludov. Fevillee in diario Observ.* & præ reliquis *Danielem Clericum in Histor. Natur. & Medic. Latorum Lumbricorum intra hominem & alia animalia nascentium*, quæ prodiit *Genevæ* 1715.

Hic adhuc notasse sufficiat, & Corollariorum instar adjecisse:

1) quidem, quod fere paradoxon videbitur: *Vermes in corporibus humanis stabulantes, non semper noxios, sed utiles interdum & necessarios esse, in infantibus potissimum addephagia laborantibus. Vid. Cleric. l. c. cap. 14.*

2) Vi-

2) *Vinum non esse anthelminticum, contra Nova Lit. Germ. Ann.* 1704. *Mens. Nov. p.* 408. *experimenta anthelmintica Rediana p.* 87. *Michaëlem Boudewvinum, in Ventilabro Medico*, ubi vinum contra vermes commendatur, aliosque. Conf. huc *Celeberr. Jo. Storchii Ann. Pract. Tom. III. p.* 586. *sequ.* Secus pauciores *in Hungaria* a vermibus infestarentur, cui tamen, præter infinita fere alia, exemplum etiam nunc adductum maximopere contrariatur.

Observatio IV.

De Febribus omnis generis, expulsione vermium finitis.

MUlier viginti duorum annorum, temperamenti sanguineo-phlegmatici, febri correpta tertiana, remediis ad nauseam usque acceptis, nihil proficere potuit, tandem vero in ipso paroxysmo *verme per Vomitum rejecto*, morbus sponte sua cessavit, qui secus forte, causa hac diutius latente, ulterius quoque durasset. Sic puer *febri continua* detentus, die VIImo, Critico, *plurimis vermibus δια κοῖλα κάτω expulsis*, ab ea liberatus est. Alia exempla taceo, fere quotidiana.

Observatio V.

De immani dolore dentium, vomitu superveniente, momento citius sedato.

ILlustrissimus quidam Comes, vesperi, versus somnum incidit in *dolorem dentium* fere intolerabilem, cui cum supervenisset circa mediam noctem primum dejectio alvina laxior, deinde paulo copiosior *cruditatis bilioſæ vomitus*,

uti acceſſit prius, ſic poſtea iterum ſubito receſſit, nulla, neque minima poſt ſe relicta ſenſatione dolorosa, ſed tranquillo admodum, & placido ſubſequente ſomno. Eodem hoc modo in ſubjecto alio *tumorem faciei* illico, quaſi flatu ſublatum conſpexi; ſubitaneam iſtam converſionem perplurib⁹ aliis una mecum admirantibus.

Obſervatio VI.

De Hemiplegia, cum aphonia, hirudinibus & Veſicatoriis curata.

LAnio quidam, plenioris habitus corporis, XL. annorum, diæta itidem plena utens, multis interea itineribus & laboribus fatigatus, mane quodam ad divina ſeſe præparans, *derepente concidit, cum ſtertore, ejectione ſpumæ copioſioris*, immo reali *vomitu*, ac totali *vocis amiſſione*. Advocatur mox balneator, famoſus illius loci medicaſter, qui propinato prius vomitorio, mox venam incidit in dextro brachio, ſed ſine effectu ſalutari, immo, forte potius dixerim, cum detrimento. Hinc ſuaſu aliorum altera die mea quoque opera expetitur, quam tanto minus denegare potui, quanto majori & dedecori, & religioni id ipſum mihi duxiſſem. Tunc enim auxilium ferendum vel maxime, cum res alicujus ſunt arctiſſimæ. Accedens itaque ad ægrum, in eo, quem deſcripſi, inveni ſtatu. Jacuit *inſtar trunci, ſine motu & loquela*. Adſtantes de cauſa morbi interrogati, tantum retulerunt, quantum ipſe patiens, omnes attoniti veluti, præteritorumque inſcii, otioſos ſolum ſpectatores egerunt. Quamobrem ſilentibus omnibus, in caſu dubio ad ſigna diagnoſtica externa confugere opus fuit. Atque hic *inflatio vaſorum jugularium, & temporalium* primam mihi indicationem ſuppeditavit. Suaſerunt alii ſectionem

raninarum, alii repetitionem Vomitorii, alii purgans imperarunt. Ego vero spreto consilio omnium, cum pervidissem incisionem in eo loco, ubi necesse esset, nempe arteriis carotidibus, ob imperitiam chirurgorum administrari haud posse, *hirudines pone aures* applicari jussi, & ecce miraculi instar, vix apprehendentibus adhuc sanguisugis, *vox rediit*. Reliquum malum *Vesicatoriis*, *suris pedum impositis*, & per tempus bene multum apertis relictis, conservatisque, *laxationibus* item *per epicrasin*, inprimis *Elixirio Polychresto Hallensium* penitus fere sustuli, nisi quod difficultas adhuc quædam loquelæ, & memoriæ debilitas remanserit: priori quidem vitio paulatim iterum correcto, posteriori vero permanente. Patiens de reliquo, DEO sint laudes, in hunc usque diem vivit adhuc, & excepto defectu memorato, pancratice valet.

Observatio VII.

De Essentia Dulci Hallensium, tanquam certissimo Naturæ motus moderante remedio.

QVantum miles sine armis, tantum Medicus sine medicinis efficere valet. Et, quod militi bona arma, hoc sunt medico bona medicamenta, quibus uterque tanquam instrumentis suis, in casu necessitatis tuto fidere possit. Quemadmodum vero ad demonstrandam remedii alicujus certam efficaciam non una sufficit observatio, sed constans utique omni loco & tempore requiritur experientia; ita mihi liceat de *Essentia dulci Hallensium* propria adnotata inferere, & tanquam *Continuationem observationis Celeb. Dn. D. Gohlii in Vol. I. Act. nostrorum p.* 267. *sequ.* impressæ subjungere. Enim vero sive motus exacerbentur, sive deficiant,

utrinque legitime adhibita maximum solatium adfert, ut, meo judicio, inter *remedia archealia* facile primatum obtineat. Testatur id integer de ea conscriptus tractatus, & communis ubique laus, cui quoque istæ nostræ succenturiantur observationes. Quantum quidem priore respectu, nempe placandis motibus exacerbatis valeat, vel unum instar omnium adducam casum, maxime profecto memorabilem. Puer IV. & quod excurrit, annorum, infestatus a *Variolis*, ob calidum regimen, & medicinas fortius exagitantes, copiosissimis, sed inæqualiter propullulantibus, sexto post invasionem die, nescio, a refrigeratione, an vero perversa medicatione, incidit in *diarrhœam sanguinolentam*, cui a medico ordinario opponebantur adstringentia, dosi, pro more illius loci recepto, longe diffusissima. Non auscultavit primus malum remedio, sed altero deinde die continuato usu paullulum remisit. Id quod cum intentioni Naturæ fuerit contrarium, omnia hoc modo facta sunt deteriora. Renisa enim est Natura, & motus excretorios, & excussorios renovavit fortiori longe, quam ante conatu. Excitavit denuo *diarrhœam*, sed jam *tenesmodem*, quam insecuta est, ob indesinentes vehementiores frustraneos nisus, *procidentia ani*. Contigit inde, ut me forte fortuna prætereuntem, nihilque minus cogitantem, pater patientis, præ foribus suis stans, alloqueretur, hocque sibi officii amicitiæque genus a me expeteret, ut unicum filiolum suum in extremis jam jam versantem inspicerem, & si nullum superesset auxilium, dummodo testis essem mortis, nullo modo amplius avertendæ. Annuens his precibus, ne forte recusatione mea majorem tristandi ansam darem, præmissaque deprecatione me nihil quicquam in præjudicium alterius medici facturum, introductus sum in cubiculum, ubi patiens decubuit, eumque inveni in sella familiari perforata, sit honos

nos auribus, ab aliquo jam tempore desidentem; utpote a qua, cum conatus perpetuo urgerent, nec dimoveri se passus est. Accusatæ sunt petechiæ, sed perlustrato toto corpore, ne vestigium quidem reperire potui, nisi morsus aliquot pulicum. Variolæ vero sicut inæqualiter proruperunt, ita aliæ minores fuerunt, majores aliæ, quæ in medio foveas efformarunt. Quibus omnibus, & præterea summe prostratis viribus sedulo consideratis, interrogatus non adeo felicem eventum promittere potui, quem ante nominatus medicus, licet ex alio principio, & pro more suo absolute lethalem prædixit. Hac igitur audita prognosi, cumque puer ad sumptionem pulverum nullis vel precibus, vel minis adduci potuerit, tandem petitione parentum non minus, quam prudenti facta præmeditatione, victus, ne consilio & ope nostra quenquam destituamus, qui postea sæpius vel avtocratia naturæ, vel subinde etiam leviori aliquo remedio a vetula suppeditato, in dedecus artis nostræ salutaris, ad pristinam redit sanitatem, primum quidem puerum in lectum, deinde intestinum in locum suum debite, & modeste reponere, tum vero spem omnem in auxilio summi Medici, qui sæpius vires medicamentorum citra opinionem nostram adauget, eosdem collocare jussi. Memor postea, quos mihi plus simplici vice singulares effectus præstiterit *Essentia dulcis*, ubi alia frustra adhibuissem, & eadem ut omni hora dimidia guttulas aliquot in aqua ceras. nigr. præberent, suasor fui & auctor. Obtemperarunt monitis, vixque medicamentum bis exhibuerunt, ubi conatus jam remiserunt, ut puer excitatior factus, non solum novam de reconvalescentia futura spem parentibus, paulo ante jam mortem ejus lugentibus, fecerit, sed & continuato præstantissimi hujus remedii per aliquot tempus, usu, penitus omnino convaluerit. Et sic pauciſſimis guttulis servatus est, qui copiosiore appa-

ratu

ratu certissime fatis cessisset. Mirum autem est, quod mitigationi motuum, pariterque virium instaurationi inserviat idem remedium. Atque hoc alterum assertionis hujus membrum sequenti maxime notabili exemplo comprobatum ibo. Fuit mulier plus minus XL. annorum, *affectibus catarrhalibus* tamdiu multumque afflicta, donec omnibus pene viribus exhausta, DEO atque Naturæ a Medicis relinqueretur, commendata sola & unica *Essentia Dulci*, confortandi potius, quam alio quopiam scopo. Adhibita hinc ista quidem fuit, sed aliquantum parcius, & rarius, atque debuisset. Unde vires magis magisque corruerunt, & mors præ foribus adesse visa est. Quam summam virium prostrationem non poterant non fortiora subsequi *animi deliquia*, adeo, ut aliquando etiam plane emortua videretur, sensuum & motuum fere omnium expers. Quo in rerum statu ancipiti, & quasi conclammato, maritus ejus longe perturbatissimus, *integrum ebibendum obtulit Essentiæ laudatæ vasculum vitreum, drachmas duas continens*, ignarus quidem tunc effectus subsecuturi laudabilis. Excitata mox est femina quasi e somno profundiori, ubi dum revera obdormivisset, atque per horas bene multas traxisset somnum, incolumis veluti, animoque & corpore bene sibi constans evigilavit, & ad stuporem omnium hucusque vivit feliciter.

Observatio VIII.

De Motione Mensium periodica ad Mammas.

QUam ab *Illustri Stahlio*, eleganter atque docte conscriptam accepimus *Dissertationem de insolitis Mensium viis*, eam plurimis exemplis confirmant Auctores alii, cum recentiores, tum antiquiores. Magnum eorum omnium

cata-

catalogum a *Cl. Dn. Jo. Lic. Matth. Mullero* singulari industria consignatum videbis *in Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. V. p.* 85. ubi in diversis subjectis diversa loca fluxum istum occupasse legimus. At notabilior multo est Casus ab *Exc. Stahlio in cit. Diss.* allegatus, dum in uno exemplo diversa specimina insolitarum viarum, sub impedito ordinario progressu, quæsitarum, sese obtulisse profitetur. Modo enim congestorie ferebatur sanguis ad caput, modo ad ventriculum, modo ad splenem, statis tamen, nempe mensium motui manifeste respondentibus temporibus. Huic non multo absimilem, licet sub aliis circumstantiis, in *Actis Nat. Cur. Vol. II. p.* 369. *refert Celeb. Dn. Dr. Christianus Michael Adolphi*, ubi certis semper terminis vel per aures, vel per umbilicum, vel per pollicem pedis sinistri sanguinem istum prorupisse affirmat, omnibus incassum eo usque adhibitis remediis. Possem equidem his exempla subjungere duarum Illustrissimarum personarum, sed quoniam mihi longiori esse nunc non licet, ista opportuniori loco & tempori reservabo. Hic saltem Hebræam mulierem in medium proferre constitui, quæ scilicet sese ante hos IV. annos, Sempronii, curæ meæ commisit. Erat annos nata XX. atque biennio ante nupta. Quæ cum lunæ debitum tributum nunquam contulerit, nullum tamen inde incommodum persensit, sed floridam corporis sui constitutionem semper retinuit. Postea vero quam mariti amplexus liberius semel admisit, *sanguis in orgasmum deductus* exitum affectavit, non æque invenit. Proinde *omni novilunio ingruente ad mammas translatus, easdem inflavit, atque in horrendam magnitudinem elevavit, cum rubore, ardore conjunctam*, ut, propter teneriorem cutis texturam, videretur ab utraque parte maximam vesicam bubulam sanguine impletam, & reliquo corpori adnatam, circumgestare. Quo in statu per

octiduum semper mansit, nulla interea guttula sanguinis sponte sua proveniente, qui alias, *leviter solum compressis papillis, tanquam e fonte saliente copiosissime prosiliit.* Hoc demum elapso spatio mammæ pristinam suam & naturalem formam, sine ulla medicina recuperarunt, & usque ad novam periodum conservarunt. Atque ita hæc scena per integrum, ut superius jam innui, biennium duravit, donec meo implorato auxilio, mensibus sua panderetur via, commendatis, & recto ordine atque modo adhibitis, *pediluviis;* repetitis *in pede Venæsectionibus; pilulis Stahlianis*, in hoc negotio sive excedente, sive deficiente nunquam satis laudandis, & *Pulveribus ant-orgasticis salino-rubris.* Quibus pauciſſimis remediis id effectum est, quod a compluribus aliis, licet pretiosissimis emenagogis, haud-quaquam præstari aut expectari potuisset. Ceterum, si cum hac nostra observatione locum *Lusitani Cent. II. Curat. 21.* conferamus, ubi affirmat, sibi in duabus nobilibus sanguinem per mamillarum papillas effluere observatum fuisse, neutram tamen ad insaniam aut furorem perveniſſe, apparebit profecto judicium illud *Hippocratis* non esse indubitatæ penitus veritatis, sed insignem pati exceptionem, dum *V. Aphor. 40.* ita statuit: *Quibus mulieribus in mammas sanguis colligitur, furorem significat.* Quamvis nullum sit dubium, quin præsens ægra successu temporis tale vitium facile contrahere potuisset, quippe cum & graviores capitis dolores, & peculiaris animi abjectio posterioribus paroxysmis cumulatim se sociarent. Cur autem Natura hic mammas præ aliis partibus elegerit, ratio utique non tam in perpetua illa, & tanquam sibi propria inclinatione, atque directione motuum excretoriorum ad certas partes, pro diversitate ætatis; quam in *speciali* illo *partium inter se consensu* quærenda est.

Obser-

Observatio IX.

De Hæmorrhagia Narium menstrua, in puella sexenni.

ADduxi in superiori observatione exemplum restagnatoriæ congestionis sanguinis ad mammas, quovis mense recurrentis; jam placet aliud, *ubi sanguis revera exoneratus est per nares*, commemorare: non quidem, quod in subjecto tam tenero idipsum evenerit, utpote ætate satis competente, sed quod eandem semper *periodum* servaverit. Enimvero fuit puella, cujus mentionem hic facere in animum induxi, ex parentibus sanguineis prognata, ejusdem proinde cum his temperamenti, de cholerico nonnihil participans. Hæc IV. ætatis anno varios experitur metaschematismos & transformationes febriles, ob empiricas, quæ ipsi adhibitæ fuerunt curationes. Tandem vero sponte sua convaluit, *postquam sanguis per triduum paulo copiosius e naribus profluxisset. Quod profluvium postea ultra sesquiennium, omni novilunio, eadem mensura rediit*, præcedentibus semper notabilioribus toni atque humorum alterationibus. Ira enim observabantur in peripheria corporis, inprimis in extremitatibus artuum frequentiores horripilationes: alvus erat constipata: venæ jugulares inflatæ, ac turgidæ, unde prodierunt dolores capitis tensivi, pulsatiles, qui etiam subinde in oculos, aures, dentes redundarunt. Sitis erat aucta, & deglutitio læsa. Quæ cuncta illo ipso momento remiserunt, quo sanguis ad perruptionem pervenit, hoc autem vel plane non, vel minus recte succedente, graviora facta sunt omnia. Ceteroquin & hoc, & inprimis intercalari tempore bene se habuit, corpusculo neutiquam decrescen-

crescente, sed potius in dies augmentum sumente. Quamobrem vocatus in auxilium, cum ab omni medicatione, tum ea potissimum, quæ improvidam, ac præmaturam adstrictionem imperat, sedulo ipsos cavere jussi; e contra *pulverem antispasmodicum* parcis, sed repetitis dosibus; *emulsionem* item *amygdalarum dulcium*, *paulo dilutiorem*, *neque nimis saccharatam*, convenienti tempore, ac ordine ut exhiberent, suasor & auctor fui. Hæc, quoad ipse præsens fui, sancte observata fuerunt; sed quid cum illa postea, ubi me loeum mutare contigit, factum sit, ignoro: brevi tamen ante, quam hæc scriberem, belle ipsam valere audivi. Interea utrum consueta ista, & determinato tempore evenire solita excretio sanguinis, *simplex* solum sit *plethoræ imminutio ac depletio* habenda, an speciatim ad classem *mensium præcocium*, atque a via sua *aberrantium*, referenda? neque multum interest in Praxi talia scire, neque nobis propositum pluribus hic investigare.

Observatio X.

De Puella itidem Sexenni, manifesta luis Venereæ signa ostendente.

QUartus nunc agitur annus, cum militis cujusdam gregarii filiola, ætatis memoratæ, Sempronii ad me allata esset. Fuit in facie satis formosa, & animi excitati, atque alacris, quoad dolores permiserunt; verum in corpore turpissime deturpata, atque abominabilis. Enim vero remotis vestibus apparuerunt statim in parte anteriori *in utroque inguine tumores indurati*, ovum columbinum facile superantes; *genitalia* non solum *exterius*, sed *intus* quoque *erosa*,

sa, fere usque ad orificium uteri producta corruptione, utpote e quibus *continuo extillavit materia sanioſa*, ex flavo virideſcens. *In ano* prodiderunt ſe *innumeræ verrucæ*, diverſæ magnitudinis, quarum etiam nonnullas *in faucibus* oſtendit, *cum ulceratione gingivarum*, & *fœtore oris teterrimo*. Hæc comitati ſunt *dolores capitis & artuum ſcindentes, terebrantes, oſtocopi, nocturno inprimis tempore affligentes*, ut ſæpe mens e ſede ſua emota videretur. Id quod in ſubjecto tam tenello ſane haud mirum eſt. Interrogata mater ejus de origine mali, eam callide, atque aſtute, pro more hujusmodi hominum celare novit, ſolamque fortiorem & frequentem frictionem accuſavit. Et ſic plerosque in cœno ſe volutare, & inquinare non pudet, ſed confiteri. Equidem huic perſanandæ operam meam haud invitus obtuli, ſed metu ſumptuum, in medicinas forte faciendorum, parentes tenuioris ſortis recuſarunt, unicam ſpem ſuam in decantatiſſima illa barbætonſorum in hoc morbi genere panacæa, *vitriolo cæruleo, aqua communi ſoluto* (Dupff-Waſſer) collocantes. Quorſum poſtea devenerit, & quis fuerit rei eventus? ignoro. Felicior longe fuit puer ex parentibus æque miſeræ conditionis, annos XI. natus, qui, cum ſub initium anni præteriti eodem morbo laborans mihi curandus traderetur, pauciſſimis remediis reſtitutus eſt. *Decoctum ſimplex e radicibus bardanæ, ſarſaparillæ, chinæ, caryophyllatæ; herba ſaponoriæ; raſuræ ligni ſaſſafras, guaiaci &c. ſem. fœniculi*, interpoſito ſubinde *pulvere laxante mercuriali*, atque conjuncto uſu bonæ alicujus *Tincturæ antimonii*, ſine ullis externis remediis, per tres hebdomadas modo ſuo & ordine uſurpatum, omnem abſolvit paginam. Vixit poſtea ad votum ſuorum, donec adulto autumno tuſſi convulſiva, epidemice hic inter pueros, & infantes graſſante, multosque jugulante, ex-

tingueretur, cum, me tum procul abſente, nemo eidem opem adferret. Secus mihi nullum fuit dubium, quin facili negotio ſervari potuiſſet. De reliquo luſtrum eſt, & quod forte excurrit, cum *malum hoc, a nutrice contractum*, puellæ cuidam illuſtri noverim exitioſum, atque fatale extitiſſe memini, non quidem indole ſua quaſi incurabili, ſed ignorantia medentium, qui miſeræ patienti in infortunium obtigerunt. Thraſo nempe quidam barbætonſor, antea caſtrenſis, & alter nomine, non opere Medicus. Hi ergo unanimi conſenſu, & conjunctis viribus curam aggreſſi, ſed infauſtum illius exitum experti ſunt. Cum enim morbum male judicaverint, fieri aliter non potuit, quin non modo fruſtra, ſed in contrarium etiam applicarent omnia. *Scorbutus* eis fuit hoſtis, quem oppugnare voluerunt, unde generoſiſſima quæque & fortiſſima antiſcorbutica ſollicite conquiſiverunt, non omiſſis, ut putabant, ſelectiſſimis purgantibus, ſingulis hebdomadibus bis repetitis. Singulis concurrentibus Symptomatibus ſingula oppoſuerunt remedia. Et ſic numero & varietate medicamentorum enervarunt tenellum hoc corpuſculum, atque adeo exiccarunt, ut ante mortem adhuc emortuum videretur. Maximum negotium ipſis fecerunt *ulcera oris*, quorum conſolidato alio, aliud recruduit, *ut gingivis bene exeſis, dentes ex alveolis lapſum minarentur*. Tandem vero & hoc ſuperato, univerſum malum ſe feliciter profligaſſe ſibi viſi, jamque ampliſſimum expectantes ſoſtrum, quod etiam immerito acquiſiverunt, tripudiarunt. Tantum vero abeſt, ut hoc modo malum profligaverint, ut potius eodem ad interiora converſo, *diarrhœam* excitaverint *ſanguinolentam, cum maximis torminibus*, & excretione materiæ, ad inſtar loturæ carnium, plurimis fibris & membranulis refertæ, conjunctam. Quam ego, ſicut tragœdiæ huic plerumque acce-

 dere,

dere, finemque facere constanter observavi, ita e longinquo de exitu rei quæsitus, *fatalem* fore prædixi. Id quod cum ita evenerit, vix dum expleto quatuordecim dierum spatio, non solum nobilissimos parentes nimium quantum consternavit; sed & grandiloquis illis medicastris, qui promittere plura solent, quam præstare valeant, non levem attulit ignominiam. Jam ut alias mittam, quæ ex attenta horum casuum consideratione elici possunt, conclusiones, illam utique solicite in animum admittere e re fuerit, quanti interfit in praxi clinica, *morbos ex fundamento cognoscere.* Quemadmodum enim ipsi inter se maximopere differunt secundum causam, & primam sui originem; ita diversam quoque exposcunt sui extirpationem: immo unus idemque morbus, pro ratione circumstantiarum diversam postulat curationem. Quam tamen cautelam, nolim, ut illi sibi scriptam reputent medici, qui judicium jam multa praxi confirmatum possident, sed junioribus, tanto autem magis illis commendatam volo, qui illotis veluti manibus ad faciendam medicinam sese accingunt; quo ipso & artem salutarem insigniter prostituunt, & conscientiam propriam graviter lædunt, & humano generi peste ipsa pernicioſiores existunt. Cum autem ista ab aliis ad nauseam usque inculcata noverim, repetere tamen haud duxi supervacuum: nunquam enim satis dicitur, quod nunquam satis discitur.

APPENDIX.

I. *Sectio militis, per longum tempus melancholici, tandem tabe extincti.*

MIles quidam gregarius, annum circiter septimum supra XXX. natus, statura quidem proceriori, at reliqua

qua corporis textura ſtrictiori, & denſa præditus, ſine ullo morbo prævio, aut alia quapiam manifeſta cauſa, ſubito præterque modum animo angi, ſuſpirare, latebras quærere, ſocietatem hominum fugere, non tam ſtudio affectat, quam interno quodam & tacito impulſu cogitur. Cui malo tam cito & ſubitaneo, cum morales, tum phyſicæ conquiruntur, & opponuntur medicinæ, ſine ullo effectu conſequente; incipit interea & corpus pati, atque graviſſime affici, non tamen continue, ſed per certa ſolum intervalla. Ita ſucceſſerunt dolores ſtomachi acutiſſimi; in regione hypogaſtrica corroſiones fere intolerabiles; alvi obſtructiones pertinaciſſimæ; hypochondrium ex utraque parte inflatum & tumidum, viſu non minus, quam tactu percipi potuit, ubi etiam conſtanter dolorem aliquem obtuſum, magis tamen acutum in dextero latere perſenſit. In hoc rerum ſtatu chirurgus illius Centuriæ, ſub qua patiens meruit, nulli operæ pepercit, ut eum reſtitueret, ſed fruſtra & inaniter laboravit. Quamobrem cum pro refocillatione & conſervatione omnis generis alimenta ei data ſint, quia tamen & ſine appetitu illa aſſumpſit, & vehementia morbi continuavit, *tacita lentaque tabe conſumptus interiit.* Aperto itaque poſt mortem cadavere, atque peritoneo debite remoto, *omentum ſemi-putridum*; *inteſtina flatu turgida, hepar atque lien præter ordinem naturæ magna*, in conſpectum prodierunt. In ventriculo nihil præter mucum quendam tenacem, glutinoſum, nigricantem repertum fuit. *Meſenterium infiniti fere ſcirrhi obſederunt.* Quales indurationes ſcirrhoſas *etiam hepar atque lien* diſſecta oſtenderunt. Quod autem maxime notatu dignum fuit, *veſicula fellea, loco bilis, concrementa aliquot exhibuit mollioris conſiſtentiæ, ad inſtar caſei recentis; coloris vero rufi. Quæ*

cum

cum eximerentur, atque aëri exponerentur, continuo & rufa magis & duriora facta sunt. Sicut autem colorem succedente tempore magis magisque mutarunt, ut jam obscurius rufi appareant; *sic naturam induerunt quasi lapideam*, friabilitatem tamen suam, *lamellarum instar concreti, & admirandam levitatem* adhucdum conservant. *Hujusmodi lapides sex* inventi, atque inter curiosos, tum præsentes, distributi sunt, quorum facile *maximus* sorte mihi obtigit, qui licet *castaneam* magnitudine sua *æquaverit, unicam tamen solum drachmam, ponderavit.* Figuram fere quadrangularem, atque in superficie exteriori singularem lævitatem, jam indurati, obtinent, ac si arte politi forent. Nolo me hic immittere in difficilem illam, & longe intricatissimam de ipsorum genesi controversiam. Quam autem, medicinæ loco sumpti, efficaciam exerant, & num eventus magnifico illi promisso respondeat, quod *Daniel Beckerus in Medico suo Microcosmico p* 168. *sequ.* cum aliis plurimis, quos longo ordine ibi citat, nobis facit? merito illis pro ulteriori atque solerti experientia commendatur, qui majorem horum calculorum copiam habere queunt, medicis practicis in nosocomiis amplioribus constitutis, ubi frequens est & cadaverum sectio, & talia tentandi occasio. Dicit autem *Beckerus* l. c. *tantam esse Creatoris nostri Clementiam, quod & in ipsa morbi, mortisque causa, causam simul sanitatis, & vitæ delitescentem ostendat.* Unde statuit exhibitos ejusmodi calculos alios in corpore vivo existentes *dissolvere, interna quadam vi, a spiritu salino* proficiscente. Id bona fide, atque ab omni falsitate alieno animo affirmare ausim, occurrisse mihi non ita pridem nobilem quandam Dominam, quæ, cum a quadriennio *maximos in hepate cruciatus*, per modum paro-

xysmorum affligentes, pertulit, tum nunc in primis tantam illorum sævitiam, *nullo proficiente remedio*, experta est, ut adstantes motus convulsivos certo subsecuturos metuerent. Quo in casu cum anxii ad me refugerent, *propinavi aliquot calculi mei grana in oleo amygdalarum dulcium, & ecce momento citius vis omnis & vehementia hujus mali intercepta est.* Accessit autem paulo post *altera exacerbatio*, priore jam aliquantum mitior, quæ *denuo exhibitis aliquot granis ejusdem medicinæ, in aqua cerasorum nigrorum, citissime substitit.* Ab eo tempore nullum aliud incommodum, quam pressoriam aliquam in dextero hypochondrio, inprimis onerato ventriculo, gravitatem persensit. Proinde existimo, salvo meliori judicio, vim ei inesse in similibus affectibus *specifice anodynam*, atque sedantem. Ut autem narrationem Anatomicam penitus finiam, *ductus cysticus exiccatus & corrugatus fuit*, reliquis corporis partibus omnibus sanis existentibus, nihilque vitii in se foventibus.

II. *Illustria Noxarum, per curas, sic dictas, heroicas illatarum, exempla.*

CUrarum *heroicarum* nomine non intelligo hoc loco *prudentem* illam & *circumspectam activiorum remediorum applicationem*; sed *temerarios ausus empiricorum*, qui sæpe non dubitant generosissima quæque sine certa aliqua destinatione in usum vocare, hoc solum egregio scilicet sibique maxime usitato eloquio freti: *Aut vincendum, aut moriendum* (Vngel krist/ oder stirb). Neque adeo falluntur opinione sua; quippe cum *non semper felix* sit *temeritas*; tum ista *in praxi medica* periculorum pleniissima, quam innocentes

nocentes ægri utplurimum morte sua luunt. Cujusmodi eventuum sane tristissimorum exempla & infinita jam tum in libris medicorum passim extant, & tanta quotidie, etiam non attendentibus, occurrunt, ut qui colligendis operam impendere vellet, næ ille Volumina implere posset, quibus conscribendis ætas plurimorum hominum vix sufficeret. Taceo inanem fore, atque irritum laborem. Cum enim alias exemplis maxima vis insit, hic admodum exiguam obtinent, ac plane nullam. Ruunt homines tanquam occœcati in sui perniciem, & medicastri ambitione doctrinæ, atque experientiæ inflati, nullam admittunt emendationem. Sic fortiora evacuantia majori dosi, ac inconvenienti tempore data, veneni vim exerere, immo contrariam sibi haud raro operationem edere, dum emetica hypercatharses, hyperemeses vero purgantia inducere observantur, res plurimis infaustis successibus notior jam est, quam ut ulteriori demonstratione indigeat. Nihilominus ad hæc in plurimis morbis tanquam ad sacram anchoram confugitur, quasi nihil sine his laudabile præstari queat. Adeo vilipenditur vita & sanitas hominis, ut eam quovis modo prodigere non habeatur religioni. Declarabo ista exemplis non fictis, sed revera factis, prout mihi ipsi occurrerunt. Enimvero accessit me ante duo lustra & quod excurrit, primum tunc ex Academiis reducem, hujus farinæ pacticus, professione sua alias barbætonsor, consilium petiturus in casu puellæ atrophicæ III circiter annorum. Id quod pruriginosane tentandi libidine, an serio discendi desiderio fecerit? dubitare quidem par est, sed prius facilius, quam posterius crediderim. Interea explicatis pro modulo suo morbi hujus causis, prædicare demum incepit suam in curando hoc affectu felicitatem. Et cum non inaniter originem mali in obstructione

glandularum mesaraicarum, atque vasorum lymphaticorum posuerit, pessime tamen totam curationem solo vomitu absolvi iudicavit: Man muß den Teuffel auß dem Leib heraus werffen verba ipsius fuerunt. Adhibuit autem, quoties vomitum procurare voluit, *tartarum emeticum* in forma pilulari, singula pilula granum dimidium tartari continente. Huic vero ægræ duas una vice destinavit. Quod ego *consilium* tanquam *temerarium* & *summe periculosum*, variis cum rationibus, & exemplis, tum gravissimorum auctorum testimoniis declinaturus, mortemque ipsam prædicens, tantum effeci, quantum surdo fabulam narrans. Propinatum altero mane pharmacum, spe sua elusit exhibitorem. Loco vero sperati & promissi effectus, angustias summas, dejectionem virium omnimodam, & hora vespertina V. mortem attulit. Cujus eventus medicaster ignarus, die iterum tertio prædictionem meam forte illudendi animo me convenit, summo mane, antequam lectum adhuc reliquissem. Vix autem mentem suam explicavit, consiliumque de repetendo hoc remedio, me omni modo contradicente, agitavit, cum adveniret nuncius, qui facta diei præteriti retulit, & ægrotantem defunctam denunciavit. Et sic homo pessimus unica voce prostratus est, qui antea mille rationibus moveri non potuit, conscientiæ suæ indelebili stigmate relicto. Alius tam *heroicus morborum debellator* pari ratione viribus suis & experientiæ, scilicet, nimium confidens, Viro juveni, familiari illo Hungaris morbo, *Tsömör*, occupato, sibi neque nominetenus cognito, die octavo, cum natura coctionem jam adgressa fuit, atque omnes hunc in finem humores ad Ventriculum congessit, *Vomitorium antimoniale fortius* exhibuit, & sic ægrum in pessimas quasque *anomalias motuum* & denique in *mortem* ipsam conjecit.

Idem

Idem iſte dyſentericum *remedio opiato* in Lethargum compulit, è quo miſero patienti nulla amplius arte emergere licuit, ſed omnino pereundum fuit. Sic novi balneatorem, quo rudiorem & indoctiorem, eo audaciorem & impudentiorem medicaſtrum, qui *immodica opiatorum exhibitione* longe plurimos non ſanitate ſolum, ſed vita ipſa jam privavit. Germano fratri ſuo, phthiſi conſummata detento, eadem hac ratione naturalem vivendi terminum præripuit. Cum enim in ſedatione tuſſis, paulo validioris, totum curationis momentum, ut hujusmodi conditionis homines facere aſſolent, poneret, *eſſentiam opii* ſaturatiſſimam non ad guttulas, ſed *integras drachmas* propinavit, quo ipſo cum naturæ motus excuſſorios ſuppreſſit, quid mirum, quod *ſuffocationem* procuraverit, & ſic ipſam *mortem* acceleraverit? Ubi adimpletum eſt *incomparabilis olim Medici, Georgii Wolffgangi Wedelii* effatum, quo *opium phthiſicis Viaticum eſſe ad vitam æternam* pronunciavit. Ex quo apparet, in enarrato caſu non tam in doſi, quam in ipſo remedio peccatum eſſe, quippe cum *improvida Catarrhorum ſuſpenſio* nunquam non maximo periculo involuta, tum *in phthiſi* profecto non ſolum periculoſiſſima, ſed plane *lethifera* eſt. Pertinent autem *opiata* omnino ad illa remediorum genera, quibus cum agyrtæ gloriam *citiſſime* allati auxilii aucupantur, plures impie *trucidant*. Sed loco non minus, atque tempore prohibeor, omnia iſtorum nebulonum tam egregia, mihi ſeorſim cognita facinora huc referre. Facit tamen juſtiſſima indignatio, quam ex pluribus ejusmodi triſtiſſimis caſibus, qui hic apud nos inciderunt, animo concepi, ut mihi temperare nequeam, quin unum ex illis, maxime memorabilem, adducam. *Fœmina* honeſta, ætatis conſiſtentis, anno præterito, cum plures a

febribus infestarentur, ipsa quoque *gravida* corripitur, *sed maxime irregulari, nullumque typum servante febre.* Consulitur Medicus, qui officio suo satisfacturus, congrua præscribit remedia, sed patiens ob medicamentorum nauseam optima consilia medici spernit, sponte naturæ se convalituram confidens, postquam a partu liberata fuerit. Tantum vero abest, ut legitimum tempus gestationis explere potuerit, ut potius aliquot hebdomadibus ante ordinarium terminum, fœtus quidem vivus, sed non vitalis partu abortivo elideretur. Interea continuat *febris*, cui jam profligandæ non amplius medicus, sed pro corrupta hujus loci indole, inflatus quidam *balneator* non ita pridem huc adveniens, adhibetur. Hic ergo solicite *cursum febris sufflaminandum* suadet. Id quod cum remedio ex Peruano cortice, vel *nefario* illo *febrifugo* ex *arsenico* parato, præstitisset, miseram patientem in *febrem lentam* conjecit. Accessit his diebus *exacerbatio*, quare non hic amplius, sed alius iterum *iniquus circulator*, in usum vocatur, qui cum fastuose vestibus byssinis & holosericis incedit, multis imponit, ut ei vitam suam misere perdendam concredere nulli dubitent. Iste vero male curatam hucusque ægram, omnesque adhuc in corpore latere medicinas affirmat, quibus per *Vomitorium* citissime expulsis sanitas immediate subsecutura sit. Obtemperatur impio huic consilio, & patiens datum ab eo *emeticum* spe valetudinis sumit, quod cum suos servaret mores, fortiusque in subjecto ante jam omnibus viribus exhausto ageret, non solum quicquid in corpore latitavit peregrini, sed *ipsam etiam animam exturbavit.* O scelus! O facinus! Quod autem ex his nondum sapere discant reliqui, merito hujus sæculi genio adscribendum est. Ita enim plerique mortalium natura comparati sunt, ut cum vestem sibi fieri curant,

arti-

artificem artis suæ optime gnarum solicite exquirant, corpus autem suum curandum cuivis nebuloni, vagabundo, erroni incautius committant, a quo nefarie decipiuntur, & non solum pecunia emunguntur, sed sanitate sua, immo subinde etiam vita spoliantur. Si magna parvis conferre par est, memorandus utique venit casus, qui non ita pridem Medico rationali & dogmatico, qui præsentem non minus, quam futurum semper statum patientis diligentissime circumspicere, ac inter se omnia conferre solet, evenit. Enim vero curæ ejus commissa est *puella biennis*, quæ prægressis variis cum morbis, tum medicationibus confecta *primum contabuit, deinde repente intumuit in toto corpore*, quo plerumque symptomate tragœdia talis finiri solet. Conjuncta fuit cum hoc tumore *tussis* antea sicca, mox in humidam desinens, sonitumque edens materiæ quasi ebullientis in pectore. Tumor ipse mox adfuit, mox iterum disparuit; mox unam solum partem, mox integrum corpus occupavit, ultimum tamen fixior in abdomine, atque pedibus visus est. Hanc ergo medicus, licet mortem prudenter prædixerit, in curam tamen suam recepit, ne quemquam ægrum ope sua destituere, soloque prognostico relinquere videretur. Omnem postea impendit operam, ut, quantum ars in affectibus corruptis, & jam conclamatis valeat, ostenderet. Proinde præter reliqua ad educendam quantocyus *colluviem serosam* propinavit ætati huic atque constitutioni valde accommodatum pulverem purgantem *e speciebus diajalap. Mynf.* & aliquot granis *boni alicujus mercurii dulcis*. Quo vix assumpto conatus ad vomendum supervenit frustraneus, quem statim subsecuta est dejectio alvina copiosior, repente, insensibiliter, multisque cum flatibus vehementer explosa. His accesserunt *anxius sudor*, *ejulatus*, *subsultus tendinum*

num, *convulsiones*, & post aliquot horarum intervallum, *mors* ipsa. Quamvis autem enarrata priora Symptomata, fatalem adfuisse moriendi necessitatem, certo nobis persuadeant; posteriora tamen *mortem* per hoc remedii genus genus fuisse *acceleratam*, satis manifeste ostendunt. Interim bona fide affirmo, me infelicem hunc casum non eo fine adduxisse, ut bono isti Viro, quippe eximia scientia prædito, exprobrarem, sed ut demonstrarem luculentius, quodsi talia interdum accidant *artifici* undequaque *doctissimo*, rerumque suarum satagenti, tanto profecto *certius* & *frequentius* pessimos quosque successus & eventus manere necesse sit *medicastros*, qui sine ulla præmeditatione circumstantiarum, quas considerare unumquemque prius bene oportet, qui curam aliquam adgreditur, *sola & absoluta energia arcanorum suorum* confisi, periculosissima experimenta *temerarie*, atque *coeco impetu* moliuntur. Quo sane intuitu *B. Dn. D. Sam. Bened. Carpzovius*, Conc funebr. XVII. p. 80. hos tales *irrationales medicos*, *privilegiatos latrones*, & *Angelos vastatores* nulla injuria appellavit. De quibus uberius agendi cum alias ampliſſima sese offeret occasio, plura hic non addo, sed illud unice commendo *Syracidis Cap. III, 24: Quod tui non est muneris, ne tractes temere.* Quod qui facere sustinet, atque *alienum officium malitiose occupat*, næ ille una complicatissimorum scelerum reum se reddit, *homicidii* nempe, *furti*, & *maleficæ operationis*, a quibus cum ipse *Apostolus Petrus*, 1. *Ep. Cap. IV*, 15. omnes & singulos, qui CHRISTO nomen dederunt, serio dehortatur, tum unumquemque decet, cui salus sua curæ cordique est, omni studio, & animi contentione abstinere.

FINIS.

MEMO-

BRITISH
NATURAL HISTORY

LVCAS SHRŌCKIUS,
LUC. Fil
Augustanus,
Medicinæ Doctor
Archiater et Comes
Palatinus Cæsareus
Cæsareæ Leopoldinæ
Carolinæ Naturæ
Curiosorum Præses
Reipublicæ Patriæ
Physicus
Primarius

MEMORIA
VIRI
PERILLVSTRIS MAGNIFICI ATQVE EXCELLENTISSIMI
DN. D. LVCAE SCHROECKII,
SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS ARCHIATRI,
S. PALATII LATERANENSIS, AVLAE CAESAREAE ET IMPERIALIS CONSISTORII
COMITIS,
S. R. I. NOBILIS,
ACADEMIAE CAESAREAE LEOPOLDINO-CAROLINAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDIS,
INCLYTAE REIPVBLICAE AVGVSTANAE PHYSICI PRIMARII, COLLEGII MEDICORVM SENIORIS, ET VICARII PERPETVI.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

MEMORIA SCHROECKIANA.

QVod si supremum observantiæ ac pietatis officium erga Venerabilem CELSVM *nostrum, in consecranda Nominis ipsius memoria exequi, simulque conceptum ex ejusdem obitu dolorem verbis nostris exprimere teneremur, verendum sane nobis foret, ne nimium indulgere affectui amoris ac desiderii videamur. Oportune igitur ex ἀρχείῳ nostro ea nunc in lucem protrahimus, quæ ὁ μακαρίτης ipse sua manu conscripsit, & aliquando in publicum proferenda nobis reliquit,* de vitæ suæ curriculo. *Hæc si alicui forte nimis humilibus comprehensa verbis appareant, eum scire convenit, noluisse* Virum optimum *de rebus suis quicquam commentari glorioſius; quamquam ipse ad aliorum merita celebranda idoneus admodum promptissimusque extiterit Encomiastes. Nobis autem integrum esse neutiquam putavimus, simplicem illam modestissimamque narrationem quoquo modo exornare, qui plane confidimus,* Lectori cordato *nudam historiæ veritatem jucundiorem futuram omni ornatu adventitio. En itaque propria beati D.* SCHROECKII *verba.*

* *
*

MOrtalitatis conſcius, dum qualemcunque vitæ meæ notitiam conſcribere inſtituo, facile mihi veniam conceſſum iri ſpero; cum nihil quidem notatu dignum in ea occurrere perſuaſus ſim, *Amici* tamen forte & *Collegæ* aliqui futuri ſint, qui amore ac favore me complexi, poſt obitum etiam aliquam ſic mei ſervare memoriam deſiderent.

Prodii autem in hanc mundi lucem Auguſtæ Vindelicorum, A. O. R. 1646. d. 20. Septembr. ſt. n. hora prima pomeridiana; natus optimis parentibus, Patre nimirum Dn. *Luca* SCHROECKIO, Medicinæ Doctore, & Practico, poſtea Phyſico Auguſtano, & Collegii Medici Seniore, quem patria ut probum civem, ac eruditum, ſedulum, felicemque Poliatrum in pretio habuit; Matre vero, virtutibus ſexui ſuo congruis ornatiſſima, *Anna Maria*, præſtantiſſimi Pharmacopœi noſtratis, *Caſpari* WELSCHII filia, atque Dn. *Georgii Hieronymi* WELSCHII, Medici & Polyhiſtoris celeberrimi ſorore, natu maxima, ſed præmaturo mihi fato A. 1652. d. 7. Decembr. ex difficili partu, mortalitati ſubtracta; cujus tamen poſtea vices ſubiit Nobiliſſima Virgo *Suſanna*, ex celebri Patritia HAINZELIORVM Familia orta, Patri meo A. 1654. d. 4. Maji deſponſata, eo amore & educationis patientia defuncta, ut majo-

majorem adfectum à genuina matre exigere vix potuissem.

Peccati autem originalis labe defœdatum piissimi parentes sacro baptismatis fonte ut mundarer, suscipiente me, præter Dn. *Marcum Mattspergerum*, Aromatarium spectabilem, & amitam meam, *Sabinam*, *Dn. Joh. Philippi Warnbergeri* conjugem, nobilissimo Dn. D. *Johanne* HENISIO, Medico celeberrimo, curarunt. Sed quod nativitas mea pepererat Parentibus gaudium, mox, ut mundanæ felicitatis fert inconstantia, insigni timore & calamitate fuit interpolatum, cum subsequente die 25. dicti mensis, Suecorum & Gallorum exercitus, civitatem acri obsidione cinxisset, quæ in maximam hinc angustiam redacta, atque cruentæ expugnationi proxima, tandem d. 13. Octobr. adventu exercitus Cæsarei & Bavarici, summa DEI clementia, iterum fuit liberata. In qua aliisque tunc temporis urbem nostram exagitantibus adversitatibus cum ipso lacte materno, non exiguos earum fructus me hausisse, atque ita teneriorem corporis constitutionem (quam quidem temperantia, cui a puero adsuefactus sum, firmiorem conservavit) sum persuasus.

Ceterum quia mens nostra tabulæ rasæ ad instar se habet, quæ situ corrumpi, aut vitiis, in quæ humanus inclinat genius, defœdari consuevit, pietatis potius aliarumque virtutum lineamenta eidem inscribere sedula mox Parentum cura adlaboravit; successu etiam temporis magis magisque exposita, opera Præceptorum, tam domesticorum, quam qui in Gymnasio publico, nec non Collegio Annæano docebant, quos inter præcipue Viris Clarissimis, Dn. M. *Joh.* STEVDNERO, Dn. M. *Matthiæ* WILHELMO, D. M. *Narcisso* RAVNERO, Dn. M. *Joh.* CROPHIO, & Dn. *Joh.* BROSSERO plurimum me debere profiteor; quamvis nec

reliquorum merita oblivioni tradere queam; qui & linguæ Latinæ ac Græcæ, & reliqua humanioris literaturæ principia, nec non quæ olim ad severiora studia prodesse possent, ingenue tradere haud intermiserunt; singulis diligentiam meam probantibus & commendantibus; sub quorum auspiciis etiam tribus vicibus in splendido *Illustr. Rever. Excellent. ac Clariss. Virorum* consessu, Oratoris partes publice subii, semel Ao. 1663. d. VI. Mart. *Veris encomium* perorans, postea Ao. 1664. d. 24. April. carmine heroico *Christum justitiæ solem cum sole creato comparans*, & tandem d. 26. August. *Vinum & ebrietatem, magis tamen lingua, quam animo commendans.*

Cum interea animus a prima mox pueritia, ad medicam artem propenderet, lento passu, & quasi inter ludendum, ad atrium ejusdem a Parente optimo deductus sum, non herbarum tantum notitiam comparando, sed frequentem etiam in avito pharmacopolio præparationis Galenicorum, uti vocantur, & chimicorum medicamentorum spectatorem agendo, quin & chirurgicis atque anatomicis, licet apud nos rarissimis, operationibus adsistendo, quorum omnium prægustus magnum postea in Academiis mihi emolumentum peperit. Siquidem Ao. 1665. M. Majo ad *Academiam Salanam* missus & Rectore tum Magnifico, Exc. D. *Friedemanno* BECHMANNO, Logicæ & Metaphysicæ tunc temporis Professore publico, civis ejus factus sum, inque castra medica, non neglecto physico ac reliquis philosophicis necessariis studiis, me contuli, Præceptores nactus præstantissimos, magnum utpote *Guernerum* ROLFINCIVM, Exc. D. D. *Joh. Arnoldum* FRIEDERICI, atque imprimis celeberrimum D. D. *Joh. Theodorum* SCHENCKIVM, cujus non privata saltem informatione, sed convictu quoque, ædibus, atque arctiori accessu maximo cum

meo

meo fructu, ultra quadriennium gaviſus ſum. Atque hoc ſub eorum ductu Collegia publica & privata, theoretica & practica, anatomica, botanica, chirurgica, chimica, pharmaceutica, frequentavi; in Anatomiis publicis & privatis ſpectator adſtiti, domi etiam brutorum variorum ſectiones frequenter inſtitui, quin & infantile aliquando cadaver, nocturno tempore Ao. 1667. d. 10. Novembr. in pago urbi vicino, ſociis Excellent. D. D. *Gothofredo* SCHVLZIO, Collega poſtmodum Curioſo & Adjuncto noſtro meritiſſimo, nec non D. *Georg. Theodoro Osnabrückio*, Salzwedela-Marchico, diſſecui; porro vicinas ſylvas, agros & montes percurrere, ignesque chimicos privatim accendere ſtudui. Diſputando inſuper vires periclitatus fui ſæpius, opponentis & reſpondentis munere defunctus; prout publico typo commiſſæ atque a me elaboratæ *Diſputationes de Moſcho, & Bulimo*, ſub præſidio laudat. D. SCHENCKII, ventilatæ, nec non *Theſes chimicæ*, Præſide earum authore, Nobil. D. ROLFINCIO, fidem faciunt.

Antequam vero dulces has Muſarum ſedes relinquerem, alia etiam Saxoniæ loca, & *metallifodinas* inprimis adeundi deſiderio flagrans, A. 1668. tempore autumnali, præſcitu Parentis, Geram, Altenburgum, Chemnicium Auguſtoburgum, Mariæ-Annæ-Schnee- & Freibergam, nec non Dresdam, Wittebergam, Lipſiam, Numburgum excurri, notabiliores iſtorum locorum curioſitates perluſtrans, atque celeberrimorum Medicorum, quos fortuna tunc adire conceſſerat, D. D. *Abrah.* BIRNBAVMII, *Joh.* BOHNII, (qui etiam ad Anatomiam publicam, tunc ab ipſo in puerulo recens nato ex meretrice, atque ob neglectam funiculi umbilicalis ligaturam, denato, manum etiam curioſam commodante Clar. D. D. *Mich.* ETTMVLLERO, inſtitutam, perhumaniter me invitaverat) *Theodori* BVSSII, *Joſephi*

Jephi CLAVDERI, *Mart. Fried.* FRIESII, *Justi Frid.* KLOBII, *Joh. Christian.* MACKII, *Christoph. Ern.* STEMPELII, *Gothofr.* WELSCHII &c. favorem ambiens, a quibus gratiosè exceptus, nunc etiam ipsis & post fata etiam gratias propterea persolvo.

A reditu ad lares Academicos, Vinariam & Erffurtum paullo post perlustrandi causa, excurri.

Cum tandem A. 1669. domum a Parente revocarer, consensu ejusdem, studiorum bene peractorum publicum prius obtinere testimonium desideravi, exantlatisque, Decano tum Facultatis medicæ spectatissimo D. D. ROLFINCIO, physiologico, pathologico & therapeutico examinibus. d. 29. Maji *Doctorandi* titulum obtinui, ac post publicam d. 25. Junii habitam *de Bulimo Disputationem*, nec non d. 28. ejusd. rigorosum examen, *Licentiati* honoribus insignitus fui, sicque d. 18. Julii sub læto in via Parentum atque meorum occursu, in patriam redii, facto prius in itinere, quod per Coburgum, Bambergam, & Noribergam ducebat, ad Academiam Altdorffinam, comite celeberrimo *Nicolao* STENONE, excursu, ubi perhumaniter ab Exc. Dnn. Professoribus, D. D. *Mauricio* HOFMANNO, & D. D. *Jac. Pancrat.* BRVNONE fui exceptus.

Sequenti mense Octobri in Italiam, per Oenipontem, Bolzanum, Tridentumque abii, cujus celebriora loca, Anconam, Ariminum, Assisium, Bergomum, Bononiam, Brixiam, Ferrariam, Florentiam, Lauretum, Mediolanum, Neapolim, Puteolos, Ravennam, Romam, Venetias, Veronam, Vicentiam, vidi & ubique usui olim quæ cedere possent, perquisivi, Virorum etiam insignium alloquio gavisus fui, quos inter *Marcellum* MALPIGHIVM, *Athanasium* KIRCHERVM, *Guilielmum* RIVAM, *Manfredum* SEPTALIVM & *Ottonem* TACKENIVM nominare libet.

In

In *Patavino* autem *Lyceo* ſtudia ſedulo continuavi, occaſione ſcilicet ampla, quæ in anatomia, & publica, & privata, in puerulo expoſititio, favore Ill. Dn. COMITIS FRIGIMELICAE, Prof. Publ. & Nationis Germanicæ Artiſtarum Protectoris, nec non in viro ſenili maraſmo in Noſocomio defuncto, gratia Exc. D. D. *Antonii de* MARCHETTIS, Anatomiæ Prof. publ. ſcrutinio meo in ædibus conceſſo, peracta, porro in chimia, præeunte experientiſſimo D. D. *Jacobo* BARNERO, in hortis, pratis, montibus, thermis, &c. ſuppeditabatur, nullibi neglecta.

Favorem etiam ſingularem tum aliorum, tum celebratiſſimi Dn. *Octavii* FERRARII expertus; a mellifluo ejus ore ſæpius pendere, & ſeveriora ſtudia hujus ſuadæ deliciis condire volupe fuit. Nec quotidianæ eruditiſſimi Dn. *Caroli* OFFREDI, civis Academici & ſenis optimi, commenſalis integerrimi, converſationis obliviſci unquam valeo, qui in omnes officioſiſſimus, & nemini moleſtus, omnium & ordinum & incolarum amorem ac favorem ſibi conciliarat, infelix tamen poſt mortem, quam Reformatæ Eccleſiæ addictus pie ſubierat, futurus, dum neſcio quo maligno ſidere regnante, corporis ejus exuviæ, contra clementiſſime conceſſa a *Republ. Veneta* privilegia, conſueto ſepulturæ honore crudeliter privabantur, atque in aggere ſupra Civitatis muros ignominioſe terra obruebantur, niſi, indefeſſam inprimis operam Exc. Dn. *Abrah.* TESCHEMACHERO, tunc Incl. Nationis Germanicæ Juriſtarum Pro-Syndico, navante, juſſu *Illuſtriſſimorum ac Excellentiſſimorum Dnn.* REFORMATORVM *Archilycei Patavini*, eædem iterum effoſſæ, inque ſplendido Nationis Germanicæ ſepulchro, quod in Patrum Eremitarum Monaſterio habet, honorifice depoſitum fuiſſet.

Tandem per Rhætos, Lindaviam & Memmingam in

Patriæ ſinum d. 3. Maji A. 1671. reverſus fui, ubi mox *Ampliſſimus* SENATVS noſter, Phyſicos inter Loëmicos me adoptavit, & poſtquam d. 1. Decembr. in ſupra nominata Jenenſi Academia, juxta cum aliis Viris Clariſſimis, quos inter D. *Samuelem* LEDELIVM, & D. *Petrum* PRVCKELIVM, Collegas deinde meos in Academia Nat. Curioſ. amiciſſimos nomino, ſolennitate publica *Doctorales honores* obtinui; *Collegium* etiam *Medicum Auguſtanum*, d. 22. ejusd. in Ordinem ſuum me recepit. Ubi denique Artem, quam didiceram, ſub directione paterna exercere inceperam, eamque poſtea in proximi & Patriæ emolumentum indefeſſo ſtudio continuaveram; id quod an feliciter præſtiterim, ne mihimetipſi tribuere nimium velle videar, ſilentio prætereo, certus tamen, neminem jure de me conqueri poſſe. Quin eam Divinæ Gratiæ præſentiam expertus ſum, ut non magna tantum civium pars ſanitatem fidei meæ concredere voluerit, ſed ſplendidioris etiam fortunæ qui erant, & Magnatibus, Exterisque non paucis conſilia mea expetere libuerit.

Et quamvis alternam animo dare quietem haud intermiſerim, eandem oblectamentis honeſte reficiens, quæ inter excurſus ad aliquot celebriores in vicinia urbes, cum rarior primo praxis id permitteret, inſtitutos refero, ignobili tamen otio tempus conſumere nolui; unde & ingenio calamum commodare placuit, quem primo manui impoſuit extorta quaſi *Diſpenſatorii Auguſtani*, olim a *Joh.* ZVELFFERO iniquius caſtigati, *vindicatio*, quam A. 1673. ſub titulo: *Pharmacopœiæ Auguſtanæ reſtitutæ*, in lucem emiſi, cui nempe labori lubens ſuperſediſſem, niſi Zuelferiani nominis cultores nimii quidam ſe Auguſtanorum adverſarios, a nemine tamen læſos violenter obtrudere, criſtasque inurbane, atque in deſpectum noſtrum erigere, quin

pro-

provocando lacessere, cum nemo hactenus ex nostris ausus eorum retunderet, parasset. Cujus postmodum *Defensionem* contra modestam Exc. D. D. *Friederici* HOFFMANNI, Poliatri quondam Hallensis in Saxonia celeberrimi, *in clave pharm. Schroed.* censuram, ut reliquos duos antagonistas, ceu levissimæ armaturæ milites præteream, promulgavi. A. 1678. defuncti Avunculi mei, D. *Georg. Hieron.* WELSCHII *memoriam*, nunquam quidem per se intermorituram, publico scripto commendavi; cujus *notas in Methodum medendi Walæanam* A. 1679. atque *Curationum & observationum medicarum decades decem* A. 1681. typis commisi. A. 1680. *Observationes Physico-medicas D. D. Joh.* HELLVIGII, Medici olim Ratisbonensis famigeratissimi, additamentis quibusdam a me auctas; & A. 1682. *Historiam de Moscho*; nec non *Collegii medici Augustani historiolam*, sub nomine *Memoriæ sæcularis*, non sine ejusdem adplausu, cujus in signum eleganti nummo argenteo me donaverat, edidi; quin laudati etiam Collegii desiderio satisfacturus, A. 1684. *Pharmacopœiam Augustanam renovatam & auctam* conscripsi atque authoritate & impensis ILL. SENATVS nostri ad prelum adaptavi, eo successu, ut intra decennium distractis cunctis exemplaribus, eandem typis rursus committere necesse fuerit; cui tamen *auctarium*, quod Collegarum meorum voluntas exigebat, addidi; & A. 1710. *tertiam* ejusdem *editionem renovatam*, atque *additamentis* quibusdam *Welschianis auctam*, & quidem sumtibus meis, cum nemo esset, qui eos conferre vellet, paravi. Ao. 1678. d. 16. Maji consensu & consilio charissimorum Parentum, cum lectissima Virgine, *Anna Catharina*, Nobil. atque integerrimi Viri, Dn. *Porphyrii* PFANZELTII, Mercatoris primarii p. m. filia, matrimonium contraxi tam felici sidere, ut nuptias illas expetiisse nulla me

unquam pœnitentia ceperit : eo graviori tandem mœrore me occupante, cum dulciſſimo ejus conſortio A. 1709. d. 24. Decembr. catharrus ſuffocativus mihi eandem eriperet; præcipue cum ex eadem A. 1679. d. 25. Januar. præmaturo quidem & octimeſtri partu, *filiolum* ſuſceperim, cui idem *Lucæ* nomen cum ſacro fonte lavaretur, imponi curaveram; qui tenera corporis textura præditus, & poſt continuos quaſi, per quinque ſeptimanas, ſomnos, nimiis deinde vigiliis, variisque aliis infirmitatibus, ſubinde expoſitus, ſupervenientibus tandem convulſionibus, d. 17. Febr. Anno 1680. magno meo cum mœrore iterum deceſſit.

Honores longe plures & ampliores, quam promeritus fui, in me redundarunt. Quos inter numero *Doctoratum*, & *Phyſicatum*, primo *loëmicum*, ab *ampliſſ.* MAGISTRATV mihi ſubmiſſe expetenti conceſſum, dein *Noſocomii Gallici*, poſt beatum Dn. Patris A. 1689. d. 15. Maji diſceſſum, ſponte oblatum. *Collegium* etiam noſtrum *medicum* favorem ſuum mihi demonſtravit, cum unanimi ſuffragio A. 1683. d. 9. Novembr. prima vice, & dein pluries, *Decanum* me ſuum elegiſſet. A. 1712. d. 24. Sept. in demortui D. D. *Georg. Tobiæ* DüRRII locum, *Phyſicatus primarius*, *Collegii medici Vicariatus*, & *Viſitatoris ordinarii officinarum pharm.* ſparta ab *Ill.* SENATV *Secretiori Auguſt. Conf.* fuit collata.

A. 1677. d. 24. Octobr. florentiſſima *Recuperatorum (de' Ricoverati) Academia*, in dilecta Antenoris urbe, membrum me, plane hujus rei inſcium, curante Nobil. D. D. *Carolo* PATINO, Prof. publ. Patavino, & *Societatis iſtius* tum *Principe*, ſibi deſtinavit. Quod magno mihi ſemper honori duxi, cum a laudatis laudari, veræ demum laudis ſpeciem obtinere conſiderarem; ita eo magis, oblatam Anno eodem, Menſe Auguſto, receptionem in celeberrimam

S. R. I.

S. R. I. ACADEMIAM NATVRAE CVRIOSORVM æstimaveram ; præcipue cum Anno sequ. Mens. April. honorifico CELSI agnomine a *Magnifico Dn. Præside, D. Joh. Mich.* FEHRIO, donarer ; hinc omnibus viribus eo elaborandum esse mihi censui, ut inter *nunquam otiosos Collegas* nomen meum compareret, idque tum aliis modis, tum *curiosarum observationum* non interrupta, pro singulis *Ephemeridum* annis, communicatione præstiti : Unde etiam Anno 1681. M. Jun. in numerum *Adjunctorum Dn. Præses* me cooptavit, quin & A. 1685. M. April. ipso arduo DIRECTORIS *Ephemeridum* munere condecoravit ; quod cum ex voto Patronorum & Collegarum sedulus administrassem, Ao. 1687. M. Augusto, *Magnus* LEOPOLDVS, *Imperator invictissimus*, laudatam *Academiam*, quam in posterum *Nomine suo Augustissimo* ornatam, & LEOPOLDINO-IMPERIALEM dicendam voluit, clementia sua illustriorem redditurus, non saltem *Præsidi* ejus, tunc Nobiliss. D. D. *Joh. Georg.* VOLCKAMERO, Archiatro Norico meritissimo, sed mihi etiam, præter factam in officiis nostris confirmationem, SACRAE etiam SVAE CAESAREAE MAIESTATIS ARCHIATRI, ac PERSONAE IMPERIALIS MEDICI dignitatem, S.R.I. NOBILITATEM, nec non COMITIS *S. Lateranensis Palatii, Aulæque Cæsareæ & Imperialis Consistorii* honorem clementissime concessit. Ipse vero D. VOLCKAMERVS grave *Præsidis* officium, ob ingravescentem ætatem deponere gestiens, sibi me successorem una alteraque vice expetierat ; quod tamen, tenuium mearum virium conscius, semper modeste declinavi, usquedum idem Vir incomparabilis A. 1693. d. 17. Maji st. v. cum diem suum obiisset, omnium fere *Collegarum* votis ad suscipiendum PRAESIDIVM denominarer ; quibus equidem lubentius me opposuissem, nisi *Divinam* subesse *directionem* ratus, vires

quantulascunque ad utilis hujus instituti propagationem, quo gloria divina, proximi salus, & artis medicæ illustratio quæritur, potius conferendas, quam turpi desperationis cujusdam macula memet ipsum dehonestandum esse judicassem.

A. 1710. *Celebris Academia Physiocriticorum Senensis*, sub protectione *Seren. & Rev. Principis*, *Cardinalis* FRANCISCI MARIAE DE MEDICES, pro experimentali Philosophia & Medicina excolenda A. 1691. instituta, promotore Exc. D. D. *Pyrrho Maria* GABBRIELLIO, Protomedico & Professore Senensi, me in Ordinem suum recepit; & postea *Romana*, quam *Coloniam Physiocriticorum Arcadiæ* nominant, idem præstitit, procurante Ill. & Rev. Abbate, Dn. *Johanne Maria* CRESCENTERO, missis propterea mihi, nihil tale cogitanti, & ultra meritum meum, splendidis Diplomatibus.

Antequam vero hæc evenissent, novo etiam *gratiæ Cæsareæ* radio fui beatus, cum A. 1689. *Augustissimus* IMPERATOR, ob *Serenissimi Filii*, JOSEPHI, in Regem Romanorum electionem & coronationem aliquamdiu Augustæ-Vindelicorum subsisteret; ubi non solum sacratissimis Ipsius manibus *Ephemeridum* nostrarum tum prodeuntem *Decadis secundæ Annum septimum* d. 10. Octobr. nomine totius *Naturæ Curiosorum Ordinis*, humillimè a me offerri permiserat (quam etiam gratiam *Serenissimus* REX d. 13. Octobr. cum sacræ manus osculo concesserat) sed etiam postea, quum Viennam rediret, mihi non quidem hoc sub nomine, sed uti, quo officio fungebar, *Collegii Medici Augustani Decano*, (occasione, qua gratiam illam noster Collega Dn. D. *Georg. Tobias* DVRRIVS supplici libello rogaverat) *insignem numnum aureum*, *Augustissima Cæsarea Facie coruscum*, per manus Ill. ac Generos. D. *Nicol. Guil.*

BE-

BECKERI, *L. Bar. a Wallhorn, Consiliarii & Protomedici sui*, sponte ac clementissime donaverat.

Nec parva in felicitatis parte habeo, quod tot celeberrimos Viros, ut Patronos atque Amicos in Germania, Italia, alibique numerem; quos sufficienter laudare cum haud valeam, nec ipsi mea laude indigeant, sacro potius silentio hic venerari præstat.

Quæ omnia modo memorata, licet amara quandoque dulcibus hisce fuerint permixta, immensæ DEI T. O. M. *Clementiæ*, quæ plane indignum me hisce obruit, uti unice debeo, ita acceptum quoque Eidem fero, quod in qualicunque hac vitæ dulcedine, ejusdem vanitatem subinde animo volvere, & mortalis quod sim, agnoscere & meminisse concedat. Qua meditatione prudentior factus, vanitates has non majoris, quam *Christianum* decet, facere soleo, & longe præstantiorem mihi in cœlo sortem esse expectandam recordor. Te vero, dulcissime JESV, qui animam meam, in tot periculosis mundi illecebris ne succumberet, gratia Tua conservare, atque a peccatorum, quibus nunquam non obruor, mercede, morte æterna, sanctissimo Tuo sanguine liberare voluisti; ne unquam me deseras, supplex oro. *Tuus esse volo vivus, tuus etiam esse mortuus!*

* * *

Et hæc quidem hactenus sua manu consignaverat incomparabilis CELSVS noster, neque longius deduxerat Biographiæ *suæ filum; cujus adeo extremam quasi particulam attexere, nostri omnino erit officii. Nimirum pervenit ille, raro* μακροβιότητος *exemplo, teneriore licet corpore præditus, sic satis prospera valetudine, ad extremam fere*

fere senectutem, nisi quod ultimis demum mensibus languidior factus, ipse amicis ac domesticis suis coram, tum & aliquibus nostratium Collegarum per litteras, animo bene præsago declaraverit, se propediem migraturum in cœlum : *Hoc unice cupiebat, hoc optabat, votique tandem compos evasit, nec subito aut improviso ereptus fato, sed lenta ejusmodi tabe confectus, quam* senilem *vocamus* marasmum. *Pie autem placideque exspiravit d. III. Jan. Anno hujus seculi trigesimo, cum vitam honestissime traduxisset ultra annos LXXXIII. & menses III. ad dies XIII. decenti pompa funeris elatus, communi optimorum quorumvis civium luctu, qui probe perspexerant, quantum ornamentum ac Medicinæ præsidium amisisset Augusta Patria, uno adempto SCHROECKIO. Neque minus graviter nos lugemus tanti Viri, etiamsi non immaturam mortem, quam, si per mortalis vitæ conditionem optare liceret, longissime remotam voluissemus, aut omnino deprecati essemus. Sed frustra solicitamus inexorabile fatum, aut revocamus defunctum, cui, post tot tantosque labores, in salutem ac emolumentum nostræ cumprimis Academiæ exantlatos, æternam requiem nemo bonus invidebit. Nos saltem virtutum ac meritorum ipsius, sane illustrium, exemplar ad imitandum pro virili parte nobis proponentes, perpetuo gratam servabimus ejusdem memoriam. Simplex est laudatio, verissima tamen, quando VIRVM OPTIMVM FVISSE profitemur. Nec enim splendidius* Elogium *admittere arbitramur summam τῆ μακαρίτε modestiam; alias & illud adscriberemus, quod olim Romæ ad portam, ATTILIO CALATINO inscisum erat :* Uno ore, cui plurimæ consentiunt gentes ; *POPVLI PRIMARIVM FVISSE VIRVM. Nempe decus haud exiguum nostro fuit, inclytæ Societatis Collegam extitisse ultra semiseculum,*

in-

induſtria & autoritate ſingulari prælucentem, ſed quod majus omnino eſt, ſuſtinuit graviſſimum Præſidis munus *in octavum luſtrum, applauſu communi, non ſolum Germanicæ nationis, ſed & complurium exterarum Gentium, quotquot inſtituto laudabili, provehendæ hiſtoriæ naturalis, & incremento Artis medicæ bene cupiunt. Iſthoc in munere* Collegas Academiæ ſupra ducentos *cooptavit;* Adjunctos *elegit* quindecim; Directores *autem* Ephemeridum *noſtrarum ſucceſſive inſtituit* quinque, *pari prudentia ubique uſus, hinc omnium amorem & obſervantiam promeritus. Noverat etenim diligentes in obſequio retinere, tardiores vero, aut immemores officii, comiter admonere; Patronos ac Fautores ſubinde novos conciliare Collegio noſtro; hujus denique in univerſum dignitatem atque commoda tueri & amplificare. Tacemus epiſtolas propemodum innumerabiles, ab uno ad permultos, non ſolum Collegas, ſed alios eruditione & autoritate præſtantes Viros exaratas; in quibus ſane, utrum concinnitatem verborum magis, an humaniſſimam officioſæ voluntatis ſignificationem æſtimare conveniat, difficile dictu eſt. Annales Academiæ noſtræ, ab Anteceſſoribus vix inchoatos, accuratione mira contexuit, ac ſingulorum Collegarum nomina resque geſtas nitida ſcriptione & incredibili diligentia retulit in commentarios.* Ἀρχεῖον *noſtrum ordinate diſpoſuit, multumque locupletavit; nec minus prudenter ac fideliter rem fiſci adminiſtravit. Quæ omnia profecto ſunt ejusmodi, ut non poſſint non immortalem reddere* bonita-

tis ac induſtriæ SCHROECKIANAE memoriam. *Hanc vero epicediis concelebrare, ſupervacaneum plane ducimus; quin & immenſam fore talium collectionem veremur, cum nemo forte noſtrûm exiſtat, qui non aliquid afferret lubens in laudem Viri nunquam ſatis laudandi, ſuamque erga ipſum pietatem carmine declararet. Vnicam apponimus, ſepulchralem velut inſcriptionem, cujus Autor, κῆ δυῖὸς νῦν ἐν ἁγίοις, interpres eſto communis omnium ſententiæ.*

I. N. I.

EHEM!
FRVSTRA ES, VIATOR,
QVAERENDO CELSVM IN IMIS.
CONDITAE SVNT HEIC CELSI TANTVM EXVVIAE,
QVOD EIVS EST PRAECIPVVM
IN CELSA BEATORVM SEDE QVAERENDVM.
NE TAMEN SIS NESCIVS,
CVIVS IPSANA ISTHAEC TVMBA SERVET,
EA PERTINERE DOCEO
AD EXCELSVM, IMMO CELSISSIMVM
CELSVM
DN. LVCAM SCHROECKIVM,
CAESAREO-CAROLINAE ACADEMIAE NATVRAE
CVRIOSORVM,
SVB AGNOMINE CELSI, PRAESIDEM,
SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS ARCHIATRVM,
SACRI EIVSDEM PALATII COMITEM,
S. R. IMP. VERVM NOBILEM,

REIPV-

REIPVBLICAE AVGVSTANAE PROTOMEDICVM,
FACVLTATIS SVAE DECANVM PERPETVVM.
CVI NOMEN ADSCITITIVM CELSI,
SVMMO SVO MERITO, SI VNQVAM ALII, IMPOSVIT
LAVDATA NATVRAE CVRIOSORVM ACADEMIA.
CONVENIVNT REBVS NOMINA SAEPE SVIS.
HIC APPRIME, SI VNQVAM VSQVAM, CONVENISSE,
QVI SENEM OPTIMVM INTIMIVS NOVERVNT,
FATERI NECESSE HABENT.

(a) CELSVM HABEMVS MEDICI AVRELIVM CORNELIVM,
INTER LATINOS MEDICOS
ET LATINISSIMVM ET EXCELLENTISSIMVM.
QVID ET QVALIS ISTE CVM NOSTRO COMPARATVS?
VIDELICET
ETHNICVS CVM CHRISTIANO,
DOCTVS CVM DOCTISSIMO
EXPERTVS CVM EXPERIENTISSIMO?
NEC TAMEN COMPARATIONIS TERTIVM DEEST.
NOSTER CELSVS NON TAM AVRELIVS,
QVAM AVREVS REVERA FVIT
NON TAM CORNELIVS, QVAM CORNV COPIAE
INSTRVCTISSIMVM,
b) CVIVS, PER LONGAM ANNORVM SERIEM,
ABVNDANTIA MVLTORVM EGESTATI SVBVENIT,

(a) *Aurelius Cornelius Celsus* vixit sub TIBERIO, in omni disciplina summus, non autem solum Medicus, sed Rhetor potius fuit. Lang. Histor. med. Sec. I, p. m. 12.

(b) II. Cor. VIII. 14.

SEV MEDICAM SPECTES, SEV QVAMVIS ALIAM OPEM,
AVRELIVS CORNELIVS CELSVS
FVIT VIR IN OMNI DISCIPLINA SVMMVS,
NON SOLVM MEDICVS, SED ETIAM RHETOR,
QVALIS, AMABO, NOSTER FVIT?
CERTE ET IPSE VIR IN OMNI DISCIPLINA SVMMVS
NON SOLVM MEDICVS, ISQVE EXERCITATISSIMVS,
SED ETIAM, VLTRA RHETOREM,
PHILOSOPHVS, PHILOLOGVS, ET QVID NON?
ἰατρός, πολλῶν ἀνδρῶν ἄξιος ἄλλων.
(c) CVM LVCA, EVANGELISTA-MEDICO,
LVCAS, QVOQVE NOSTER INNVMERIS AEGROTIS,
ET MEDICVS FVIT, ET EVANGELISTA.
SCHROECKIVS FVIT
(d) AMABILIS OMNI, TERRIFICVS NVLLI,
NISI FORTASSE MORTI.
MVLTORVM HVNC VITAE RESTAVRATOREM,
DICAS FVISSE MORTIQVE MORTEM.
DE RELIQVO HVMILLIMVM MENTE, GENIO
CELSISSIMVM,
IN PVSILLO CORPORE GIGANTEA VI PRAEDITVM.
ETENIM, SICVT DIVI PAVLI EPISTOLAE
(e) SIC CELSI NOSTRI SCRIPTA QVAMPLVRIMA
GRAVIA FORTIAQVE SVNT,
CORPORE EXISTENTE IMBECILLO.

POSTRE-

(c) Alluditur ad baptismale Beati nomen.
(d) Terrificus; alludit ad cognomen SCHROEKII.
(e) II. Cor. X. 10.

POSTREMO, QVAE MEDICORVM EST GLORIA,
NEMPE, SI SENES MORIANTVR,
HANC ETIAM NACTVS EXCELSVS NOSTER CELSUS,
(f) CVM LVCA MEDICO ET EVANGELISTA,
MORTVVS, NON NISI COMPLETIS ANNORVM SEDECIM
LVSTRIS,
MORTVVS, CVM IPSO, MORTE BEATA,
QVI FVIT IN TERRIS NOMINE REQVE CELSVS,
IN ABRAHAE SINV FACTVS EST CELSISSIMVS.
ABI VIATOR!
NVNTIA, TE VIDISSE TVMBAM
VNIVS CELSI,
CVI PAR INTER MEDICOS
NEC FVIT VNQVAM, NEC ERIT PORRO
CELSVS.
IDQVE TIBI VNICE CVRANDVM PVTA,
VT, SI NON ES IN HAC VITA,
SALTEM IN FVTVRA FIAS
CELSVS.
ITA TE HVMILIANS EXALTABERE,
QVANDO ALII SE EXALTANTES HVMILIABVNTVR.
INTERIM EVROPA,
INTERIM GERMANIA,
INTERIM AVGVSTA,
INTERIM NATVRAE CVRIOSORVM COHORS
CELSISSIMVM FACTVM LVGENT,
QVEM CELSVM ADHVC DIV OPTASSENT.
QVEM DENIQVE LVCTV NON FICTO LVGET,
AMICISSIMVS AMICISSIMVM
COLLEGAM, FAVTOREM, AMICVM,

(f) Lucas Antiochenus, Medicus fuit, Pauli Apostoli Sectator, a quo edoctus, scripsit Evangelium & Acta Apostolica. Excessit natus annos LXXXIV. vid. Ravis. Text. Officin.

IN AETERNITATIS LIMINE CONSTITVTVS
(g) ORDINIS CVRIOSORVM SENIOR
ORIBASIVS
ROSINVS LENTILIVS,
Consiliarius & Archiater
Ducalis Würtenbergicus.

(g) Lentilius, A. 1682. in Curiosorum ordinem, sub charactere Oribasii, cooptatus, hujus ordinis nunc Senior, sive spectes ætatem, sive receptionis annos; nunc stadium quartum supra septuagesimum decurrens. O si metam quam proxime attigisset!

* * *

Jam restat nihil, præter indicem Scriptorum, *quæ ὁ μακαρίτης elucubravit ac in publicum proposuit. Quamvis enim hæc ab ipsomet in sua vitæ historia ὡς ἐν παρόδῳ annotata sint, pleniores tamen singulorum titulos, tum & formas & annos quibus edita sunt, nonnulli forsitan Lectores desiderabant. En igitur illorum seriem!*

1. Exercitatio Academica de MOSCHO, ad disputandum proposita, sub Præsidio *Jo. Theod. Schenckii*, Jenæ, 1667. in 4t.

2. Dissertatio Inauguralis medica, de BVLIMO, eodem Præside *Schenckio*, 1669.

3. *Pharmacopœja Augustana restituta*, sive examen animadversionum *Jo. Zvelferi* in Dispensatorium Augustanum ejusdemque Mantissam Hermeticam, Aug. Vind. 1673. 4t.

4. *Pharmacopœjæ Augustanæ restitutæ defensio*; qua inprimis *Fider. Hoffmanni* argumentis respondetur, simulque *Philonis* cujusdam *Nasturtii* Postscriptum, & *Schmuziana* antithesis excutitur: Ib. 1675. 4t.

5. *Memoria Welschiana*, sive historia vitæ V. C. *Georgii Hieronymi* WELSCHII, Aug. Vindel. 1678. 4t.

6. Ejusdem *Welschii animadversiones in Methodum medendi Walæanam*, cum præfatione & indice edidit ibidem, 1679. in 12.

7. *Jo.* HELLWIGII Observationes Phys. Med. posthumas in lucem edidit, scholiisque adauxit, ibid. 1680. in 4t.

8. *Hy-*

8. *Hygea Augustana*, seu memoria secularis Collegii medici Augustani, ibid. 1682. 4t.

9. *Historia Moschi*, ad normam Academiæ Naturæ Curiosorum conscripta, ibid. 1682. in 4t.

10. *Pharmacopœjam Augustanam*, *renovatam & auctam* edidit A. 1684. iterum A. 1695. cum appendice: tertium vero, suis sumptibus, cum *Welschianis* quibusdam *animadversionibus*, A. 1710. in Fol.

Tametsi vero singula hæc *ingenii Schrœckiani monumenta* eximiam prorsus eruditionem veluti certatim eloquantur; seorsim tamen illis in *Augustanam Pharmacopœjam*, perpoliendam pariter ac defendendam impensis laboribus, apud Medicorum non minus quam Pharmacopœorum ordinem, amplissimam gratiam, & hoc insuper promeruit Autor doctissimus, ut quasi dictatoriam ipsi dignitatem in re pharmaceutica ultro detulerint quamplurimi, laudatumque *Dispensatorium* perpetuam sibi normam constituerint.

Iniquum autem foret, ista omittere specimina industriæ, quibus ὁ πάνυ CELSVS noster, Symbolo Societatis admonitus imprimis, se NVNQVAM OTIOSVM probavit. Etenim ab illo tempore, ex quo nomen dedit *Naturæ Curiosorum Academiæ*, ad hujus *Ephemerides* adeo diligenter contulit *observationes* lectissimas, ut nullum omnino Volumen exire pateretur, cui non aliquid notatu dignum de suis insereret, præter complura observationibus aliorum liberaliter adjecta *Scholia*. Ut fides eo facilior habeatur dictis, *Observationum Schrœckianarum* heic subjungere juvabit *Catalogum*.

Dec. I. Ann. IV. & IV.

De Hippolitorum natura. p. 214.
- - *Calculis Renum & Vesicæ in bobus.* 223

Dec. I. Ann. VI. & VII.

De Raro passerum Canariensium colore. 340
- - *Aloë Augustanâ.* 340
- - *Intestinis fœtus extra naturalem locum pendulis.* 341

Dec. I. Ann. VIII.

De Animali moschifero. 81
- - *Catechu.* 88

Dec. I. Ann. IX. & X.

De Calculo vesicæ sponte dissoluto. p. 239
De Anatome Iliaci. p. 242
- - *Enterocele, abscessu inguinis spontaneo sanata.* 360
- - *Bufone per alvum excreto.* 361
- - *Ischuria spuria 17. dierum lethali, perlustrato corpore mirabili.* 410

Dec. II. Ann. I.

De Pilis marinis. 32

Dec. II. Ann. II.

De Pomis citriis monstrosis. 33
- - *Pomo aurantio citrato.* 35
- - *Anatome calculosi* 36
- - *Testiculo in inguine abscondito* 38

Dec. II. Ann. III.

De Officulis ex farcocele suppurata prodeuntibus.

untibus. p. 66
- - *Hydrocele à catarrho orta.* 69
Dec. II. Ann. IV.
De Ægagropila b dzahardica. 339
- - *Podagra & Ossium excrescentia in capone.* 341
- - *Asthmate ficco, convulsivo, esu raphani sanato.* 334
Dec. II. Ann. V.
De Cervo, corde plumbea glande à Sereniss. Electrice Brandenburgica trajecto, mortui instar prostrato, & post tres horas quadrantes quatuor circiter passuum millia aufugiente. 8
- - *Gemino Rhinocerotis cornu.* 468
Dec. II. Ann. VI.
De Ischuria octiduana curata. 556
- - *Ischuria duodecim dierum curata.* 558
Dec. II. Ann. VII.
De Phalæna maxima. 475
- - *Termitibus cum Urina excretis.* 478
- - *Verme quadrato.* 480
Dec. II. Ann. VIII.
De Anatome dysuria extincti. 556
- - *Hydrope saccato.* 559
Dec. II. Ann. IX.
De Sutura Cranii debiscente. 451
- - *Sanguine albo.* 452
Dec. II. Ann. X.
De Fungulis minimis seminiferis. 411
- - *Fixatione Salium Volatilium urinosorum.* 416
Dec. III. Ann. I.
De Anatome Viri, hydrope & fluxu hepatico defuncti. 305
Dec. III. Ann. II.
De insigni brachii & manus tumore. 353
- - *Anatome ischuria defuncti.* 356
Dec. III. Ann. III.
Anatome phthisica. 316
Auditus laconico ablatus, & restitutus. 318
Constitutio epidemica Augustana, Anni 1659. 139. *App.*
Dec. III. Ann. IV.
De infante hydrocephalo. p. 238
- - *fungo corylino florido* 238
- - *lapide Buttleri.* 239
- - *Anatome Emyematici.* 244
Constitutio Epidem. August. A. 1696. 155. *App.*
Dec. III. Ann. V. & VI.
De usu Mercurii in colica convulsiva. 304
- - *Anatome hominis, ex diuturno alvi obstructione demortui.* 676
Constitutio Epidemica Augustana Ann. 1679. & 98. 153. *App.*
Dec. III. Ann. VII. & VIII.
De ligno fagino figurato. 189
- - *farina minerali.* 353
Constitutio epidemica Augustana Ann. 1699. & 1700. 87. *App.*
Dec. III. Ann. IX. & X.
De Aphonia singulari. 160
- - *Anatome puellæ, asthmate & convulsionibus defunctæ.* 284
Constitutio epidemica Augustana Ann. 1701. 2. 3. 4. & 5. 33. *App.*
Centur. I. & II.
Gravis abscessus abdominis curatus. 302
Dysuriæ causa rara. 396
Constitutio Epid. August. A. 1706. 1. App.
Centur. III. & IV.
Calculorum singularis excretio. 228
Constitutio Epidem. August. Ann. 1711. sequ. 22. *App.*
Centur. V. & VI.
Hydrops peritonæi. 35
Constitutio Epidem. August. Ann. 1715. 16. 1. *App.*
Centur. VII. & VIII.
De auro anatino. 330
- - *Sacculis in intestino Ileo.* 331
Centur. IX. & X.
De Calculis vesicæ. 457
Actor. Volum. I.
De Urina chylosa. 552

INDEX.

INDEX RERVM MEMORABILIVM IN VOLVMINE TERTIO ACTORVM ACAD. NAT. CVRIOSORVM.

Vbi aſteriſci, numeris præfixi, ad paginas Appendicis remittunt.

Abortus cum molis uteri iteratus. pag. 238
Abſceſſus in capite a podagra retropulſa. 63
- - occulti variorum viſcerum. 365
Aceti ſcillitici uſus in calculo renum. 336
Acidum felibus infeſtum. 9
Acontias ſerpens. 104
Adipis cervini perennitas. 344
Alaudarum comeſtarum noxæ. 217
Alkermes compoſitio. *44
Alni corticum virtus anthydropica. 70
Aloë officinalis florens. 59
Aluminis plumoſi noxæ. 224
Anatome apoplexia defunctæ mulieris. 380
- - calculoſi viri. 308
- - nephritide defuncti. 310
Anatome frigore interempti hominis. 89
- - gangræna veſicæ defuncti. 382
- - hydrope ovarii defunctæ. 335
- - melancholici, tabe extincti. *176
- - pedis prætumidi. 376
- - peripneumonia defunctæ cingaræ. 86
- - taxi ſuilli. 127
Anatomica auris præparatio. 228
Androgyna inſecta num dentur? *31
Aphonia Chronica curata. 272
- - per hæmorrhag. narium ſoluta. 353
Apodemialgiæ exemplum notabile. 76

Apoplexia defunctæ anatome. pag. 380
Aquæ grisæ Chirurgorum usus in fistulis. 58
Arteriæ magnæ apostema & ossescentia. 98
Arthritis vaga convulsionibus epilept. soluta. 332
Auditus organorum anatom. præparatio. 228
Auroræ borealis ridicula origo. 6

BArbata virgo Dresdensis. 387
Belladonnæ baccarum noxæ. 283
Bezoar lapis raræ magnitudinis. 300
Bicho vermiculus, homini infestus. 25
Bituminis ignis inextinctus. * 129
- - incendium, causa thermarum. * 124. 130
Brachio fracto natus infans. 342
Bubones verminosi. 38

Calculosi anatome. 308
Calculi per alvum excreti. 273
Calculus vesicæ felleæ. pag. 90
Calculi renum, vesicæ & linguæ rariores. 295
Calculus, abscessu facto juxta scrotum excluſus. 362
- - urethræ diu inhærens. 181
Cannabis herbæ noxia effluvia. * 150
Carmini pigmenti parandi ratio. 275
Carvi stramen œdematis remedium. 221
Cataracta infantis, medicamento curata. 85
- - oculorum. 107
Cephalalgia fonticulo curata. 138
- - diuturna, excretis per nares vermibus soluta. 343
Ceraſtes serpens. 105
Cerebrum humanum petrefactum. 344
Cerei plantæ character genericus. 393. seq.
- - species variæ. ibid.
- - Sirinamensis character. ibid.
- - florentis exempla. ibid.
Cetaceorum piscium dentes prægrandes. 5

Cetaceorum piſcium notæ & exempla. pag. 3. 5
Cherſydrus ſerpens. 104
Chique, vermiculus homini infeſtus. 25
Cicatricem ducit ſcarificatio. 413
Cingaræ, peripneumonia defunctæ, anatome. 86
Cingulum Salomonis magicum. 178
Clyſterum nutrientium ratio. 34. 38
Coccineus color è ligno Fernambuci. 277
Cocci radicum hiſtoria naturalis. *5. ſequ.
Coccus Baphica. *6. 34
Cochinella ſ. Coccus Americ. *9. ſequ.
- - inſectum eſſe negatur. *46
- - - - affirmatur. *74
Cochleæ & Conchæ monſtroſæ ac pretioſæ. 316
Colica convulſiva à cortice Peruano. 118
Colon inteſtinum, ſtomachi vicarium. 35
Color coccineus è ligno Fernambuci. 277
Conchæ male præparatæ & noxiæ. pag. 84
Conchæ & cochleæ monſtroſæ ac pretioſæ. 316
Conchyliorum ſpecies & numerus. 320
Confectio alchermes *44
Conſanguinei morbis iisdem tentati. 233
Conſtitutio Epidemica Anni 1730. *99. ſequ.
Coria rubro colore tincta. *71
Cortex Peruanus colicæ convulſ. cauſa, 218
Cortices ulmi & alni hydropem ſanant. 70
Cranium a fonticulo eroſum, cephalalgiam tollit. 138
Crocus martis antimoniatus quartanam duplicem ſanat. 47
Cryſtalli Helveticæ rariores. 110
Cryſtallinus humor cataractæ ſedes. 167
- - uveæ tunicæ adnatus. ibid.
Cucurbitulæ lippitudinis remedium. 214
Culebrilla inſectum hominibus ac brutis infeſtum. 22
- - eſt veterum dracunculus. 26

Curationum heroicarum exempla funesta. *pag. 179

Dentes prægrandes piscium cetaceorum 5
Dentium dolor vomitu statim sublatus. *163
Dendrites glacialis. 108
Dracunculus veterum est culebrilla Hispanorum 26
Duodeni intestini vulnus lethale. 74

Epidemica constitutio Anni 1730. *99. sequ.
Epidemii morbi Bononienses. 144
Epilepsia arthritidem vagam solvit. 332
- - per aspectum alterius personæ epilepticæ protinus concitata. 187
- - cum hydrocephalo monstroso. 385
Epilepticus singultus. 225
Equitatio rheumatismum solvit. 294
Essentiæ dulcis Halens. efficacia. *167
Extensio corporis violenta febrem lethalem concitat. 211
Exulceratio vesicæ lethalis. pag. 382

FEbris catarrhalis epidem. historia. *77. sequ.
- - continua lethalis, ab extensione corporis violenta. 210
- - expulsione vermium soluta. *163
- - quartana duplex, croco martis antimoniato curata. 46
- - quotidiana quadruplex. 133
Flores insueto anni tempore apparentes. 193
Fœtus gemellus valde inæqualis. 315
- - aliquot mensium intervallo editus. 337
Fons soterius Weidenbergensis. 365
Fonticulus, eroso cranio cephalgiam sanat. 138
- - oculi staphyloma solvit. 153
Frigore interempti anatome. 89
Fulmine percussi viri anatome. 57
- - cuticula non abscedit. 58

Ge-

Gelidissimæ potiones vomitum sanguinis salubriter reprimunt. pag. 197
Gemelli aliquot mensium intervallo editi. 337
Geniohyodeorum musculorum usus. 288
Glacialis dendrites. 108
Glandulæ duræ meningis. 381
Globuli saponacei per alvum excreti.
Grana Kermes *33. sequ.
- - Gallæ quasi species. *37. & 73
- - chimice examinata, *41
Graviditas perperam à medicis negata. 254
Graviditatis indicia singultus & lypothymia. 210
Gummi Laccæ historia naturalis. *60. sequ.
Hæmorrhagia auris spontanea salutaris. 192
-- narium aphoniam solvit, 353
- - - - icterum solvit. 209
- - - - cum maculis atro-purpureis. 270
- - - - a fœtore lini & cannabis. *165
- - - - menstrua, in puella sexenni. *170
- - penis venerea. 81
Hæmorrhoides ac menses in vetula septuagenaria. 384
- - frustra & funesto eventu solicitatæ. 71
- - impeditæ, in ulcus lumborum conversæ. 53
Hemiplegia, cum aphonia, hirudinibus & vesicatorio curata. *165
Hepatis steatoma & hydatides. 377
Heroicarum curationum exempla funesta. *179
Hirudines hemiplegiam & aphoniam tollunt. *165
Histricis lapis. 288
Hydatidum copia in hepate. 377
Hydrocephalum stupendum. 385
Hydrophobia ex morsu luträ. 6
- - incertam habet periodum. 8
- - lethalis, sine delirio. 182
Hydrope ovarii defunctæ anatome. 335
Hydropem sanant ulmi & alni cortices. 70

Hydrus ſerpens. pag. 104
Hypochondriaci doloris cauſa ſingularis. 184

Jaculus ſerpens. 104
Jaſpidis globulus in moſchi folliculo. 322
Icterus hæmorrhagia narium ſolutus. 209
Idioſyncraſia tactus rara. 208
Ignis bituminum inextinctus. * 129
- - lambentis exemplum rarum. 11
Ilei inteſtini vulnus ſanatum. 220
Ileus in infante recens nato. 414
- - cauſas ſedesque habet diverſas. 415
- - in cane obſervatus. ibid.
Ilex cocciglandifera. * 35. 50
Imaginaria mors. 92
Impetigo maligna, per contactum digiti obſtetricis, ad multas mulieres aliasque perſonas propagata. 14
- - - - convenit cum lepra Græcorum. 16
- - - - curatur uti lues venerea. ibid.
Inediæ diuturnæ exempla vera & rara. pag. 27. 117
Infanticidii crudeliſſimi exemplum. 68
Inſecta androgyna vix dantur. * 32
Inteſtini duodeni vulnus lethale. 74
- - ilei vulnus ſanatum. 220
Iſchuria diuturna à veſicæ calculo. 28
- - ab urethræ calculo. 181

Kermes granorum vera origo. * 52. 58
- - colligendi ratio. * 53
- - rubri & albi coloris. * 57
- - ſecundaria grana. * 58
- - ſpiritus & ſal volatile. * 42
- - uſus tinctorius. * 54

Laccæ hiſtoria naturalis. * 60. ſeqq.
- - eſt favi ſeu ceræ ſpecies. * 62.
- - differentiæ à patria. * 70
- - flava, ex inſula Madagaſcar. * 65
- - bacillorum. * 67
- - in granis * ibid.
- - in maſſa & panibus. * 68. 69
- - in tabulis. * 72
- - tincturæ extractio. * 70

Laccas

Laccas pictorum parandi modus. pag 275
Lana sordida, scabiei contumacis causa. 155
Lapidum felleorum usus specificus. *175
Lapis Bezoar raræ magnitudinis. 300
- - Hystricis, i. pietra del porco. 288
- - Serpentis Indici. ibid.
- - in medio trunco betulæ. 66
Lien in steatoma conglomeratus. 223
Linguæ calculus. 297
Lini herbæ effluvia noxia. *150
Lipothymia graviditatis indicium. 210
- - cum convuls. hyster. per hæmorrhag. auris sublata. 192
Lippitudo cucurbitulis sanata. 214
Lithontripticorum remediorum noxæ. 309
Lues venerea in sexenni puella. *172
- - - - fuctu mammarum propagata. 17
Lumbrici per inguina prodeuntes. 39
Lumbricorum latorum inextirpabilis progenies. *159
Lutræ morsus hydrophobiam excitat. 6
- - hepar felibus exitiosum. 8
Luxatio femoris ab interna causa. 336.

MAculæ atro-purpureæ. 270
Magicum Salomonis cingulum. 178
Marroquina appellata coria. *71.
Mázlác Turcarum. *154
Melancholia Sphacelo sublata. 212
Memoria SCHROECKIANA. *185. sequ.
Menses ac hæmorrhoides in muliere septuagenaria. 384
- - variolis supervenientes, non lethales. 383
Mensium periodica ad mammas motio. *168
Mercurius vivus in Ileo frustra assumtus. 415
Mola cavernosa prægrandis, dentibus ac pilis referta, per umbilicum excluſa, matre superstite. 40

Mole

Molæ uteri cum abortu iterato. pag. 238
- - veſiculares in omaſo. 134
Montium ignivomorum ratio. * 126
Morbilli illuſtr. familiis fatales. 232
Mors imaginaria. 99
Morſus humanus exitioſus. 135
- - Lutræ hydrophobiam excitat. 6
Moſchi animal & origo. 322
Moſchiferus foliculus Jaſpide prægnans. ibid.
Mular piſcis cetaceus. 2
Muſcæ cocci radicum. * 29
Mylohyoideorum muſculorum uſus. 228

NÆvus ſcrotum mentiens. 291
Nephriticorum vulg. remediorum noxæ. 310
Nique vermiculus, homini infeſtus. 25
Noſtalgiæ exemplum memorabile. 75
Nympha excreſcens, perperam judicata uteri procidentia. 79
- - - - ſuffimigio curata. pag. 80

OCuli ſtaphyloma fonticulo curatum. 153
Oedematis pedum topica curatio. 221
Oedipus proprie dictus. 374
Omaſi molæ veſiculoſæ. 134
Omentum in ſteatoma conglomeratum. 223
Opiatorum noxæ in phthiſi. * 181
Opuntia fovet cochenillam. * 75
Oſſeſcentia arteriæ magnæ. 98
Oſſiculum ſub cranio repertum. 63
- - in proceſſu falciformi. 380

PArotis a variolis inflamm. ſuppurata. 92
Partum promovens evporiſton. 315
Partus mirus infantis male conformati. 314
- - geminus, aliquot menſium intervallo editus. 337
- - octimeſtris ac decimeſtris dubius. 166
- - terminus anceps. 162

Pedis

Pedis prætumidi anatome. 376
Penis hæmorrhagia Venerea. pag. 81
Peripneumonia defunctæ lingaræ anatome. 86
Phthiseos pulmonum dubia indicia. 311
Pietra de cobras de Cabelo. 288
- - del porco. ibid.
Pique, insectum Americ. homini infestum. 18. 20
- - - - quomodo extirpetur. 19
Piscis prægrandis Mular. 2
Piscium cetaceorum notæ & exempla. 3. 5
- - - - dentes prægrandes. 5
Plantæ in confiniis Siberiæ repertæ. 355
- - circa Teplicium nascentes. *136. sequ.
Plicæ amputatio damnosa. *158
- - spontaneus & innoxius casus. 329
Podagra retropulsa lethalis. 62
Pollicis articulus, una cum tendine ac nervo violenter avulsus. 372
Polonicus coccus. *5. sequ.
Polygonum cocciferum. *15
Polyposæ concretiones vomitu rejectæ. 271
Populi arboris species. 301
- - albæ præparata med. varia. 303
- - - - virtus balsam. & traumatica. ibid.
Pulmones infantis, post partum trucidati, aquæ supernatant. 69
Pulmonum abscessus occulti. 365
- - corrupt. aut consumpt. incerta sunt indicia. 308. 310
Pulsus quarto quovis ictu intermittens. 94
Purgans drasticum hydropicæ funestum. 334

QVartana duplex croco Mart. Antimon. curata. 46
Quiete corporis sanatum ulcus ventriculi. 171

REitliesen, vermiculi cutanei. 25
Ren porcinus cum uretere monstrosus. 109
Renum calculi rariores. 295
Respiratio læsa à musculorum in faucibus vulnusculo 227
Rheumatismus equitando curatus. 294

Rosæ rubræ vermiculus. *75
SAl thermarum Badensium Helvet. 126
Salomonis cingulum magicum. 178
Scabies pustulosa periodica. 155
Scarificatio ulceribus cicatricem ducit. 412
Scilliticum acetum calculo renum medetur. 336
SCHROECKIANA memoria. *185. sequ.
- - merita in Acad. Nat. Cur. *201
- - scripta *206
Scrotum mentiens nævus. 291
Sebacei vomitus origo. 389
- - - - differentia. ibid.
Serpens magnus cristatus. 104
- - variæ ejus appellationes. ibid.
Serpentis Indici lapis. 288
- - pugna singularis cum viro. 103
Serpentum venenum. 176
- - salutaris esus. 177
Sexuum confusio ex naturæ lusu. 216
Siberiæ plantæ indigenæ. 355
Singultus epilepticus. 225
- - graviditatis indicium. 210
- - contumax vomitorio curatus. pag. 83
Sirones vermiculi subcutanei 25
Solani furiosi baccarum noxæ. 283
Spermatis ceti copia. 4. 6.
Sphacelus melancholiam tollit. 212
Spica siliginea in ulcere infantis reperta. 78
Spongiolæ rosarum vermi equorum medentur. *48
Stanni solutio Laccam producit. 277
Staphyloma oculi fonticulo curatum. 153
Steatoma hepatis cum hydatidibus. 377
- - ventriculi vomitus sebacei causa. 392
- - ventriculum, lienem & omentum includens. 223
Superfœtationis apparentis exempla. 315. 337
Suctu mammarum propagata lues venerea. 17
TAbe extincti anatome. *176
Tactus idiosyncrasia rara. 208
Taxi suilli maris anatome. 127
Tendo pollicis cum nervo & arti-

articulo violenter evulsus. pag. 372
Teplicenses plantæ. *136. sequ.
Teplicensium thermarum consideratio. *122. sequ.
- - - - puritas & limpiditas. *132
- - - - singulares effectus subtiles bitumin. halitibus debentur. *133
- - - - in balneo præstantia. ibid.
Terræ motus causa. *129
- - in Helvetia observatus. 112
Thermarum causa est bituminis incendium. *124
- - Badensium sal. 126
- - Teplicensium descriptio. *122. sequ.
Tumor unius pedis chronicus. 374

Valerianæ radicis usus errhinus in visu debili. 384
Variolæ fœtus in utero. 101
- - infectio particularis per contactum. 102
Variolis laborans mulier, menstruum fluxum patitur innoxie. 383
Venæ sectio morbum convulsivum tollit. 349. 352
Venarum vestigia profundissima in cranio. pag. 380
Venerea lues in puella sexenni. *172
- - - - male pro scorbuto curata. ibid.
Ventriculi ulcus, quiete corporis sanatum. 171
Ventriculus in steatoma conglomeratus. 223
Vermes causa febrium. *163
- - naribus excreti. 344
Vermiculi cocci radicum, alati mares, non alati fœminæ. *29
- - - - in rosa rubra. *75
Vermis equini remedium. *45
Vermium latorum in intestinis progenies inextirpabilis. *159
Verminosi bubones. 39
Vernix è lacca. *72
Vesicatoriorum usus in hemiplegia & aphonia *165
- - - - in petechiis. 281
- - - - in variolis. ibid.
Vesicæ calculus rarior. 298
- - exulceratio & gangræna lethalis. 382
Virgo barbata Dresdensis. 387
Viperæ morsus. 178
Viscerum abscessus occulti. 384

Vitra singularia. 323
- - malleabilia. 324
- - rubini coloris. 326
- - ex cineribus tabaci. 328
- - ex ossibus veter. urnarum. 327
Vlceribus cicatricem ducit scarificatio. 412
Vlcus lumborum fistulosum a qua gryſea sanatum. 53
Vlcus ventriculi quiete corporis sanatum. 173
Vlmi arboris tumores. *45
- - corticum virtus anthydropica. 70
Vomitorio singultus contumax curatus. 83
Vomitu spontaneo sedatus illico dentium dolor. *163
Vomitus sanguinis potu gelidissimo sedatus. 197
- - Sebacei origo. 389
Vortices marium ac fluminum. *127
Vreteres stupendæ amplitudinis, sine ullo calculi vestigio. 382
Vrina ad stomachum translata, & vomitu rejecta. 27. 37
Vterus ex mala conformatione propendens, male pro hernia judicatus. 312
- - sphacelo correptus, sanatus. ibid.
WEidenbergensis fons soterius. 356
Zeh-Kranckheit. 347

MENDA TYPOGRAPHICA

corrigenda in observationibus.

Pag. 6. lin. 22. leg. *auroram.* p. 18. lin. ult. *propagandi.* p. 23. l. 5. *assiduitati.* p. 24. l. 24. *quot.* p. 54. l. 24. *vegetior.* p. 62. l. 27. *fiebat.* p. 82. lin. penult. *marino.* p. 93. l. 15. *immisimus.* p. 96. l. 12. *fœtida.* p. 123. l. 16. *sclopeto.* p. 152. lin. penult. *cornea.* p. 156. l. 30. *transire.* p. 163. l. 10. *est.* p. 165. l. 10. *præcoces.* p. 166. l. 31. *præterquam.* p. 187. l. 8. *convulsæ.* ibid. lin. 16. *quemque.* p. 244. l. 7. *expetierit.* p. 249. l. 15. *imminuenda.* p. 254. l. 22. *pro.* p. 255. l. 10. *perpeti.* p. 257. l. 10. *diorthoterii.* p. 258. l. 7. *adagiorum.* p. 259. l. 5. *superioribus.* p. 269. l. 25. *correctam.* p. 277. l. 21. *aquæ.* p. 295. l. 19. *triginta.* p. 304. l. 7. *clavellatorum.* p. 306. l. 28. *lamentabatur.* p. 311. l. 15. *nonnunquam.* p. 316. l. 3. *superfœtatione.* ibid. lin. penult. *easdem* p. 322. l. 1. *aliisque.* ibid. lin. 20. *vitriaria.* p. 334. l. 19. *effugitavit* p. 337. l. 20. *ivit.* p. 343. l. 8. *menses.* pagg. 371. 373. & 377. pro D. leg. DN. D. p. 403. l. 20. *petendum.* p. 410. l. 13. *monopetalos.* p. 413. lin. ult. *Norimbergæ.*

In Appendice.

Pag. 124. lin. 30. *Pyrite.* p. 206. l. 18. *desiderabunt.* p. ead. lin. 26. *Friderici.*

Reliqua, minoris fortasse momenti, à nobis non annotata, ipsemet L. B. pro humanitate sua corrigere haud gravabitur.